UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

urn:nbn:de:hbz:466:1-94626

Visual Library

Th. 414a.

G. V. 11
17.

DECISIONES MISCELLANEÆ

JOANNIS CLERICATI

PRÆPOSITI PATAVINI

Juris Utriusque Doctoris, olim in Curia Episcopali Patavina Advocati, Promotoris Fiscalis, deindè Auditoris, ac demùm Vicarii Generalis.

IN QUIBUS

Ex studio, & Responsis Cleri Patavini ad Casus Conscientiæ, atque Prudentiæ eidem Clero per eum demandatos, jussu S. M. Eminentissimi, ac Reverendissimi D. D.

GREGORII CARDINALIS BARBADICI

EPISCOPI PATAVINI

Explicantur omnia Peccata, & Virtutes concernentes duo prima Decalogi Præcepta, & amplissimè traditur tota materia de Usuris, de Censibus, de Cambiis, de Livellis, & de Restitutione. Prudentialiter verò traduntur industriæ adhibendæ per Parochos tùm pro eorum probitate excolenda; tùm pro eliminandis frequentioribus abusibus (potissimùm Tabacchi) Ecclesias, Ecclesiasticos, ac plebium mores deturpantibus, de quibus in Indice Argumentorum quamcunque Decisionem præcedentium.

OPUS

Utile, ac jucundum non tàm Prælatis, Parochis, Confessariis, & Prædicatoribus pro foro Poli; quàm Judicibus, Advocatis, Notariis, aliisque Studiosis pro foro Fori.

Argumentis prædictis, Summariis, Historiis, ac Indice generali Rerum Notabilium locupletatum.

Tomi secundi Liber nonus.

AUGUSTÆ VINDELICORUM.
Sumptibus MARTINI HAPPACH & FRANC. XAV. SCHLÜTER,
MDCCXXX.

AUCTORIS PARÆNESIS

Ad R. R. Parochos, ac Confessarios Patavinos.

Studia Vestra Annis 1681. 1682. 1685. & 1686. in lucem edita tantum invenerunt applausum apud eruditos Viros illius temporis, ut posteri Vestrorum laborum veneratores eadem conquirentes, nec amplius invenientes compulerunt meipsum ad eorundem studiorum quartam impressionem procurandam, quæ in hoc unico libro, sub nomine Decisionum Miscellanearum prodeunt iterum in lucem; & continent ea omnia, quæ in prædictis quatuor annis fuerunt à Vobis digesta, non solùm circa peccata, & virtutes primi, ac secundi Præcepti Decalogi, nec non circa peramplam materiam Usurarum, Censuum, Cambiorum, Livellorum, & perdifficilem aliam de Restitutione: sed etiam ea, quæ in casibus Prudentialibus edocuistis, tùm circa prærogativas scientiæ, laboris, probitatis, & sollicitudinis erga salutem animarum requisitas in Parochis, tùm circa industrias per eosdem adhibendas ad eliminandos abusus, & ad inserendas Virtutes in Parochianis, ut ipsi reddantur devoti, ac obsequentes erga Ecclesias, Sacramenta, dies festos, divinorumque mandatorum observantiam; & abstineant à Vitiis hìc longa serie examinatis. Sunt igitur hæ Decisiones studia Vestra? & quidem ampliora, ac ornatiora ob Historiarum, & Casuum additamenta; atque ob argumenta, & summaria facilioris studii gratia, cuicumque Decisioni præposita. Illa consueto, religiosoque animi vestri affectu excipite; & quæ scripsistis circa Sacramentum Matrimonii, Annis 1683. & 1684. non multùm posthinc, cum Decisionibus de Ordine Sacro, cui Anno 1692. studuistis, expectate, & Valete.

NOI RIFFORMATORI

Dello Studio di Padova.

COncedemo Licenza à Lorenzo Baseggio Stampatore, di ristampare il Libro intitolato *Decisiones Miscellaneæ, Jo. Clericati Præpositi Patavini*, giusto l'esemplare stampato nell'Anno 1709.

Data 17. Gennaro 1723.

Alvise Pisani Kav. Procur. Riff.
Zan Pietro Pasqualigo Riff.

Agostino Gadaldini Segret.

INDEX
ARGUMENTORUM

Harum omnium Decisionum Miscellanearum.

DECISIO I. *Argumentum.*

Disseritur quid, & quotuplex sit Peccatum? Quot in casibus peccatum mortale transeat in Veniale? Et è contra Veniale transeat in mortale? An peccet qui internis cogitationibus libidinosis neque assentit, neque dissentit? Et an ille qui ex nimia ira solet blasphemare? Prudentialiter autem ponuntur remedia adhibenda, ut populus evitet verba obscœna.

DECISIO II. *Argumentum.*

Agitur de metu, & de ignorantia, & quibus in casibus excusent peccantes à mortali? Media adhibenda, ut populi accedant ad discendam Doctrinam Christianam.

DECISIO III. *Argumentum.*

Explicatur, quid sit fides? quot ejus præcepta? Et quot peccata contra ipsa? Quæ mysteria fidei de necessitate scienda? Et quando sint eliciendi actus Fidei? De Professione fidei à Parochis facienda, & prudentialiter de remediis pro servanda reverentia in Ecclesiis.

DECISIO IV. *Argumentum.*

Disseritur de Spe, & de Charitate erga Deum? Quæ sint peccata contra has virtutes? Quo tempore actus earum sint eliciendi? An peccent, qui semper stare vellent in hoc mundo; & qui dum infirmantur, nolunt medicinas? Tandem de remediis pro extirpandis Choreis, ac Saltationibus.

DECISIO V. *Argumentum.*

Declaratur primum Decalogi præceptum; quæ sint peccata Religioni opposita? Quid & quotuplex sint Adoratio, ac Oratio? An liceat vendere Agnos cereos benedictos? Et nullam recitare in die Orationem? Dantur modi excitandi populum ad devotionem, & orationem.

DECISIO VI. *Argumentum.*

Agitur de Divino Officio, ac Horis Canonicis,

cis, & de iis, qui ad eas sunt obligati. An Canonicus Coadjutor obligatus sit recitare Divinum Officium, & ille qui habet beneficium? Monita pro recitando Officio Divino devotè.

DECISIO VII. *Argumentum.*

Dantur definitiones, & divisiones Superstitionis, Idololatriæ, ac Magiæ. Referuntur superstitiones Muliercularum, & Alchimistarum. Deinde remedia pro eliminandis superstitionibus.

DECISIO VIII. *Argumentum.*

Exponitur quid, & quotuplex sit Maleficium? Quæ circumstantiæ sint perquirendæ à Confessario circa hoc peccatum? Quæ censuræ latæ sint contra maleficos? Remedia præservandi filios à maleficiis.

DECISIO IX. *Argumentum.*

Exponitur quid, & quotuplex sit Sacrilegium? Qui possint absolvere sacrilegum percussorem Clerici? An sit sacrilega delectatio turpis, dum peragitur res sacra? Quibus mediis concilietur obsequium erga Ecclesiasticos?

DECISIO X. *Argumentum.*

Agitur de Sacrilegio in loco sacro, quod fit per furtum, per exercitium Judicii sæcularis; per pollutionem Ecclesiæ, & aliis modis loco sacro injuriosis. Diligentiæ, ut populus devotè interfit Divinis Officiis.

DECISIO XI. *Argumentum.*

Quomodo Ecclesia polluatur per effusionem sanguinis, ac seminis humani? & per sepulturam excommunicati, vel infidelis? Proponuntur casus duo de eadem materia, & dantur remedia, ut Ecclesiæ serventur cum nitore, & absque sordibus.

DECISIO XII. *Argumentum.*

Declarantur effectus Pollutionis Ecclesiæ; functiones sacræ, quæ fieri non possunt in Ecclesia polluta; & pœnæ contra Sacerdotes illas facientes. An bona fides eos excuset? Et an pollutio Ecclesiæ extendatur ad cæmeterium? & è contra? Monita pro nitore suppellectilis Sacræ.

DECISIO XIII. *Argumentum.*

Agitur de Immunitate loci Sacri, & de securitate Reorum ad Ecclesiam confugientium. Quo Jure sit introducta? Quæ loca gaudeant hac immunitate? Quæ delicta sint excepta? Quæ pœnæ infligtæ contra violantes illam? Casus duo de delinquentibus in Ecclesia, & an gaudeant ejus immunitate? Remedia pro temperantia Ecclesiasticorum in cibo, & potu.

DECISIO XIV. *Argumentum.*

Declaratur quid sit Homicidium proditorium. Quid sit Assassinium? Quale crimen læsæ Majestatis non gaudens Immunitate loci Sacri? Qui sint latrones publici? & qui grassatores viarum; Casus duo de homicidio proditorio. Tandem quibus industriis sit retrahenda plebs ab ebrietate.

DECISIO XV. *Argumentum.*

Referuntur pœnæ constitutæ contra usurpantes bona Ecclesiastica; & modi omnes, quibus dicta usurpatio fiat. An liceat Parochis cædere arbores fructiferas suorum beneficiorum, & Patroni possint habere fructus beneficii vacantis? De abusu Tabachi, quibusvè mediis sit ab Ecclesiasticis proscribendus.

DECISIO XVI. *Argumentum.*

Disputatur, An liceat locare bona Ecclesiæ ultra triennium? Vel ea in emphyteusim dare? Quæ requirantur pro iis ad livellum dandis? Quæ bona Ecclesiæ possint alienari sine licentia? Quid relevet clausula salvo beneplacito Sedis Apostolicæ? Confraternitates laicorum an possint earum bona alienare? De methodo suadendi populo solutionem integram Decimarum.

DECISIO XVII. *Argumentum.*

Ostenditur quid sit blasphemia? Quàm grave peccatum? Quot modis committatur? Casus duo de hoc crimine. Suasio ad Ecclesiasticos pro quotidiana oratione mentali per ipsos facienda.

DECISIO XVIII. *Argumentum.*

Sequitur explicatio peccati blasphemiæ. De ea casus & doctrinæ pro Confessariis. Impugnantur Choreæ, ac saltationes.

DECISIO XIX. *Argumentum.*

De eodem gravissimo peccato Blasphemiæ quæsita, & casus scitu necessarii. Pro astruenda devotione in Ecclesiasticis qui libri sint magis proprii.

DECISIO XX. *Argumentum.*

Discutitur, an liceat jurare per Deos falsos? per diabolum? & quis sit blasphemus consuetudinarius? Casus duo, unus de blasphemia, alter de Juramento per comparationem, Obligatio solvendi legata pia.

DECISIO XXI. *Argumentum.*

Referuntur pœnæ statutæ in blasphemos, & in provocantes ad blasphemandum. Ad quid sint obligati qui audiunt aliquem blasphemare? Blasphemus an possit capi in Ecclesia? Quæ & quot facienda ab Ecclesiasticis, ut salventur.

DECISIO XXII. *Argumentum.*

Declaratur, quid & quotuplex sit Simonia, & in quibus rebus committatur? Casus tres simoniaci; unus circa Sacramentorum administrationem; alii duo circa beneficia. De remediis, pro tollendo abusu secretæ conversationis inter Viros, ac puellas nubiles.

DECISIO XXIII. *Argumentum.*

Continuatur materia Simoniæ, & quæritur, an sit prohibita, quia est mala? An sit mala, quia est prohibita? An liceat dare pecuniam pro redimenda Vexatione in beneficio? Casus Patroni Simoniaci. Item Pensionarii volentis extinguere suam Pensionem. Motiva, quibus Ecclesiastici debent suas functiones devotè facere.

DECISIO XXIV. *Argumentum.*

De gravitate criminis Simoniæ, & de ejus pœnis tàm si sit realis, quàm conventionalis, aut confidentialis in beneficiis, seu cum examinatoribus Synodalibus. Casus duo Simoniaci, unus in ordine sacro, alter in resignatione beneficii. Quibus modis excitabitur in populis devotio erga Sacrosanctam Eucharistiam.

DECISIO XXV. *Argumentum.*

Explicat præsens Decisio. Quid sit Usura? Quare sic sit dicta? Quotuplex sit? Et quot, ac quibus legibus sit prohibita?

DECISIO XXVI. *Argumentum.*

Probatur, esse Usuram vendere triticum de-

terminato pretio post certum tempus solvendo; sed cum pacto, ut tempore solutionis possit venditor tenere, vel pretium, vel triticum ad sui beneplacitum.

DECISIO XXVII. *Argumentum.*

Disputatur, ac deciditur famosa, sed difficilis Quæstio, Ad quem spectet augmentum, vel decrementum monetæ mutuatæ, si ante restitutionem mutui valor Monetæ augeatur, vel minuatur?

DECISIO XXVIII. *Argumentum.*

Referuntur media attrahendi plebem ad audiendum Verbum Dei, & ad discendam in Ecclesia Doctrinam Christianam.

DECISIO XXIX. *Argumentum.*

Declaratur, quinam sint Usurarii manifesti; & duodecim pœnæ inflictæ de Jure contra illos.

DECISIO XXX. *Argumentum.*

Disputatur casus frequens in Praxi de animalibus datis in societatem alicui rustico sub certa annua pensione, & ad caput salvum; idest ut reddatur eadem æstimatio, ac pretium, quo empta fuerunt ipsa animalia. Ostenditur talem contractum esse Usurarium, ac traduntur plures regulæ pro cognoscenda injustitia eorum, qui faciunt societates salvo capitali.

DECISIO XXXI. *Argumentum.*

Instruitur Confessarius, quid agere debeat cum Usurario pœnitente, ut eum possit ritè, ac rectè absolvere.

DECISIO XXXII. *Argumentum.*

Redduntur rationes octo, ob quas Parochi debent inhabitare domum Parochialem.

DECISIO XXXIII. *Argumentum.*

Declarantur illæ duæ Theologorum exceptiones; quod pretium in mutuo non sit Usura ob lucrum cessans; vel ob damnum emergens.

DECISIO XXXIV. *Argumentum.*

Mutuans, qui ex mora mutuatarii in restituenda pecunia mutuata, non potuit ludere aleis, nihil valet exigere ratione lucri cessantis. Plura de ludo Alearum, & de conditionibus veri lucri cessantis.

DECISIO XXXV. *Argumentum.*

Usura Simoniaca, & Simonia Usuraria est mutuare pecuniam Patrono beneficii, ut cedat mutuanti liberam nominationem ad illud.

DECISIO XXXVI. *Argumentum.*

Quia plures rusticorum audiunt Missam in januis Ecclesiæ notantur decem jucunda argumenta, quibus Parochi eos suadebunt Ecclesiam intrare.

DECISIO XXXVII. *Argumentum.*

Quia sub prætextu periculi plures in mutuo committuntur Usuræ; declaratur in hac Decisione, quæ, & quot conditiones requirantur, ut ratione periculi possit exigi lucrum absque labe Usuraria.

DECISIO XXXVIII. *Argumentum.*

Disputatur, & deciditur, quando mutuans possit nomine pœnæ exigere lucrum à mutuatario. Differentia inter forum fori, & inter forum poli. Quatuor requisita, ut pœna exigi possit in mutuo. Interusuria dotalia sunt licita. Alii casus de licita pœnæ exactione.

DECISIO XXXIX. *Argumentum.*

Undecim motiva notatu digna describuntur, quibus Parochi in die festo celebrare debeant in propria Parochiali.

DECISIO XL. *Argumentum.*

Solvuntur quæstiones duæ. Una, quod non sit Usura mutuare ad acquirendam benevolentiam mutuatarii. Altera quod sit Usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius remutuet mutuanti.

DECISIO XLI. *Argumentum.*

Declaratur quid & quotuplex sit Mons Pietatis? Quæ leges sint in eo observandæ, & quantum possit exigere pro pecunia mutuò data pauperibus. Notantur abusus aliqui, qui irrepserunt in Montibus Pietatis.

DECISIO XLII. *Argumentum.*

Usura non esse mutuare pecuniam, ut sibi reddatur farina: seu ut agricola conducat agros, firmat hæc Decisio, cum conditionibus tamen in ea suppositis.

DECISIO XLIII. *Argumentum.*

Sex urgentissimis rationibus demonstratur majorem obligationem habere genitores benè educandi filios, quàm habeant Episcopi, vel Parochi.

DECISIO XLIV. *Argumentum.*

Explicatur difficilis materia Pacti legis commissoriæ in mutuo. Referuntur duodecim casus, in quibus altercantur DD. an dictum Pactum sit licitum? Deciditur alia Quæstio an Mutuans licitè petat sibi dari fidejussorem?

DECISIO XLV. *Argumentum.*

An sit Usura solvere medietatem debiti anticipati; ut alia medietas non exigatur, nisi post tempus debitum? Item an liceat uti equo in pignus tradito?

DECISIO XLVI. *Argumentum.*

Triplici similitudine Magistri, Medici, ac Patris suadentur Parochi providere sibi de Confessario stabili, qui secum agat Officium supradictorum trium.

DECISIO XLVII. *Argumentum.*

Disputatur celebris Quæstio; An Usurarius acquirat dominium rei per usuram acceptæ? Rationes tùm pro affirmativa: tùm pro negativa, quæ amplectitur; etsi sub fœdere distinctionis utraque concilietur. Motiva tùm Parochis, tùm Concionatoribus invehendi contra Usuras, ac illicitos contractus.

DECISIO XLVIII. *Argumentum.*

Quia ex re per Usuram acquisita sæpè nascuntur fructus; ideò disputatur, an eorundem Usurarius Dominus fiat.

DECISIO XLIX. *Argumentum.*

Disquiritur, An lucrum majus, sed incertum, possit emi minori lucro, sed certo. Item an credita difficilia vendi possint minori pretio.

DECISIO L. *Argumentum.*

Docet præsens Decisio, quando sit licitum dare in Societatem animalia æstimata ad caput Salvum, & cum obligatione, ut post quinquennium reddantur ad eandem æstimationem.

DECISIO LI. *Argumentum.*

Rationes decem ad suadendos homines, ne ad Ecclesiam accedant cum Sclopis, aut aliis armis.

DECISIO LII. *Argumentum.*

Quia tardatio solutionis debiti causat plura peccata; ideò in præsenti decisione declaratur pernicies tardæ solutionis, quæ vocatur Mora.

DECISIO LIII. *Argumentum.*

Quia ob moram Mutuatarii in restituendo mu-

mutuo Doctores videntur concedere exactionem pœnæ; demonstratur, quibus conditionibus pœna in mutuo sit imponenda, & exigenda? Item an pecora possint dari in societate salvis capitibus.

DECISIO LIV. *Argumentum.*

Fortissimis motivis demonstratur, parcendum esse inimicis: Ac jucundis, sed veris rationibus ostenditur, abstinendum esse à litibus.

DECISIO LV. *Argumentum.*

Comprobat hæc decisio, Usuram in re levi non esse peccatum mortale.

DECISIO LVI. *Argumentum.*

Disputatur, an peccet, qui petit mutuam pecuniam cum Usura? Rationes pro utraque opinione. Distinctione eædem conciliantur: concluditur, melius esse non petere mutuum ab Usurariis.

DECISIO LVII. *Argumentum.*

Exponuntur sequentia carmina, quæ continent casus quatuordecim, in quibus non est Usura lucrum recipere à debitore pecuniæ.

DECISIO LVIII. *Argumentum.*

An sit licitus, vel illicitus contractus dictus *dare a godere*, ubi exbursatur pecunia, Modi, ac conditiones dandi rem fructiferam *a godere* pro pecunia absque labe Usuraria.

DECISIO LIX. *Argumentum.*

Ponuntur conditiones necessariæ in Censu vitalitio servandæ; ne sit Usurarius.

DECISIO LX. *Argumentum.*

Pro festorum dierum sanctificatione tria bonorum operum genera esse facienda, & alia tria esse fugienda docet præsens Decisio. Exempla punitionis Divinæ contra profanatores festorum dierum.

DECISIO LXI. *Argumentum.*

Declaratur quis sit Usurarius manifestus? Quis occultus? Et quæ differentia inter utrumq;.

DECISIO LXII. *Argumentum.*

Docetur qui, & qualis sit contractus dictus *Moathra*, seu *Stocco*. Ostenduntur quatuor modi illum committendi: Qui omnes damnati fuerunt ab Innocentio XI. Ideò caute legendi Cardenas, & F. Cassianus à S. Elia circa hunc contractum.

DECISIO LXIII. *Argumentum.*

Ut ludus, qui vocatur *Lotto*, sit licitus, quæ, & quot conditiones, ac cautelæ sint necessariæ, docet præsens Decisio.

DECISIO LXIV. *Argumentum.*

Referuntur rationes ex Jure Divino, naturali, Ecclesiastico, ac Civili; ob quas Filii tenentur honorare Parentes, ac genitores suos.

DECISIO LXV. *Argumentum.*

Declaratur quid, & quotuplex sit Census? & quæ, & quot conditiones sint in eo servandæ, ut sit licitus, præcipuè ex Bulla S. Pii V.

DECISIO LXVI. *Argumentum.*

Disputatur famosa Quæstio an licitè à Judæis exerceantur Usuræ? Vera declaratio text. Deuter. 23. 19. quem Judæi ridiculè interpretantur pro Usuris faciendis, etsi prohibitæ sint cum quocunque.

DECISIO LXVII. *Argumentum.*

An retardata solutione legati pii, à testatore in pecunia soluti, possit legatarius exigere prodia ad rationem quinque cum dimidio pro centenario ab hæredibus, seu Commissariis ejusdem testatoris absque labe Usuraria.

DECISIO LXVIII. *Argumentum.*

Decem motiva, rationes, ac argumenta, quibus Parochi suadebunt fidelibus, ut omninò caveant à perjuriis, falsisque juramentis.

DECISIO LXIX. *Argumentum.*

Declarat præsens Decisio, quid sit Livellus? & in quibus differat à Feudo, ac à Censu, & præcipuè ab Emphyteusi? Et in quibus cum ea conveniat.

DECISIO LXX. *Argumentum.*

Propositis quatuor divisionibus Livelli disputatur, an alius sit Prædialis, seu fundiarius, & alius Pecuniarius? Hanc divisionem traditam à Cæsare Manento non esse veram; sed omnem Livellum esse prædialem fortissimis rationibus ostenditur, evacuatis argumentis ejusdem Cæsaris Manenti.

DECISIO LXXI. *Argumentum.*

Livellarium contractum esse de sui natura licitum probat hæc Decisio. Deindè examinat, an sint justa hæc quatuor pacta scilicèt? 1. Ut solvantur quinque cum dimidio pro omni centenario? 2. Ut sint libera à publicis gravedinibus? 3. Et ab omni restauro? 4. Et quod in casu venditionis rationum utilium Dominus directarius præferatur cæteris.

DECISIO LXXII. *Argumentum.*

Disputatur de justitia, vel injustitia aliorum duorum pactorum circa contractus Livelli. Unum, An Livellariæ pensiones non solutæ possint converti in capitale? Aliud circa pacta affrancationis Livelli potissimùm ad beneplacitum Livellantis.

DECISIO LXXIII. *Argumentum.*

Demonstratur, non esse dicendam illicitam constitutionem Livelli super minori numero camporum existentium in corpore, & de corpore possessionis, seu campaneæ majoris summæ; etsi confines illorum paucorum camporum individualiter non specificentur in Instrumento Livelli.

DECISIO LXXIV. *Argumentum.*

Domus, & Campi relicti à Testatore Monialibus, ut ex eorum fructibus Capellaniam pro ejus anima erigant; sed cum prohibitione eosdem campos alienandi, hypothecandi, seu Livellandi; possunt à Monialibus dari ad Livellum ob difficultatem illos locandi.

DECISIO LXXV. *Argumentum.*

De Livellis debitis cuidam Moniali, decursis, & non solutis in magna quantitate, potest ipsa Monialis de licentia Abbatissæ compositionem facere super iisdem cum suis parentibus egenis, illis aliquam portionem crediti decursi relaxando, condonando, ac remittendo.

DECISIO LXXVI. *Argumentum.*

Declaratur quid, & quotuplex sit Cambium? Quibus titulis cohonestetur lucrum in Cambiis? Quæ, & quot conditiones sint in eis servandæ, ne committatur Anatocismus.

DECISIO LXXVII. *Argumentum.*

Resolvitur non esse Cambium usurarium, si Campsarius petat, & insumat pecuniam in suis necessitatibus, ac promittat pro lucro Cambii quatuor pro centenario, licet non habeat alibi

modum negotiandi ad cambia; si tamen Campsor dat pecuniam cum bona fide, & non habeat certam scientiam intentionis, ac egestatis ejusdem Campsarii.

DECISIO LXXVIII. *Argumentum.*

Probatur, Cambia maritima Spalatensium cum lucro certo sex pro centenario omni trimestri esse licita, ac legitima, quia verè, & propriè non sunt cambia, sed societates ad negotiandum, cum assecuratione pecuniæ à periculis, quam campsor ipse facit.

DECISIO LXXIX. *Argumentum.*

Quid, & quotuplex sit Restitutio? Quomodo ea facienda circa damna data per animalia in campis.

DECISIO LXXX. *Argumentum.*

Traduntur plures denominationes, ac definitionis Virtutis.

DECISIO LXXXI. *Argumentum.*

Differitur, an ficti pauperes possint retinere sibi eleemosynas datas. Refertur lepida Historia de duobus Cæcis multam pecuniam habentibus tempore Sancti Antonini.

DECISIO LXXXII. *Argumentum.*

Resolvuntur duo importantes Casus de restitutione facienda à Meretricibus; & de deneganda absolutione divitibus non solventibus Livellos, ac alia debita sua.

DECISIO LXXXIII. *Argumentum.*

Quid, & Quotuplex sit Prudentia? Quæ ejus munia? Quæ virtuti Prudentiæ partes integrantes? Quale ejus objectum? Subjectum? Quæ vitia Virtuti Prudentiæ opposita?

DECISIO LXXXIV. *Argumentum.*

Agitur de restitutione damni ob homicidium: & quomodo sit definiendum pretium rei furto ablatæ, restituendum Domino.

DECISIO LXXXV. *Argumentum.*

Docet hæc Decisio, quid, & quotuplex sit Justitia? Quale Objectum, ac Subjectum Justitiæ? Qui Justitiæ effectus? Quæ vitia Justitiæ opposita.

DECISIO LXXXVI. *Argumentum.*

Enucleantur diversi casus circa obligationem restituendi: nempè, si dominus rei sit ignotus, vel incertus? vel absque hæredibus defunctus? Si res sublata esset nocitura suo domino? Vel si quis possideat campos alienos ex sententia injusta?

DECISIO LXXXVII. *Argumentum.*

Quid, & quotuplex sit Amicitia? Quæ ejus proprietates? Quæ ejus officia? Quibus causis dissolvatur.

DECISIO LXXXVIII. *Argumentum.*

Differitur ad quem spectet thesaurus inventus vel in fundo proprio, vel in fundo alieno? Dantur plures distinctiones circa diversos modos inveniendi thesauros. Docetur, quid dicendum de bonis repertis in littore maris.

DECISIO LXXXIX. *Argumentum.*

Declaratur quid sit Liberalitas? Quotuplex? Quodnam ejus objectum, & subjectum? Quæ conditiones in ea servandæ, Quæ vitia sint Liberalitati opposita?

DECISIO XC. *Argumentum.*

Quis dicatur bonæ fidei possessor? Quis autem malæ fidei? declarat præsens Decisio in ordine ad restitutionem.

DECISIO XCI. *Argumentum.*

Matri dicenti, se genuisse filium ex adulterio, an ei credendum? Et quatenùs verum dicat, quomodo suæ conscientiæ consulendum? Notantur pœnæ contra adulteros antiquorum temporum.

DECISIO XCII. *Argumentum.*

Traditur, an satis sit restituere titulo donationis rem furto ablatam? De restitutione bovis, & ovis apud Hebræos. An fur posset occidi impunè? Quid significet Vox *septuplum?* Exemplum campanulæ jugiter sonantis abacto bove.

DECISIO XCIII. *Argumentum.*

Explicatur, Quid sit Fortitudo? Quotuplex? Quot ejus partes? Quale objectum Fortitudinis? Qui ejus Actus? Quæ vitia Fortitudini opponantur.

DECISIO XCIV. *Argumentum.*

Demonstratur, non satis esse debitori ordinare restitutionem in Testamento. Res donata, moriente donatore, ac donatario ante consignationem, quibus hæredibus sit danda? Confessarius an de suo teneatur dare pecuniam sibi supreptam, habitam à Pœnitente pro restitutione facienda.

DECISIO XCV. *Argumentum.*

Explicatur, Quid sit Patientia? Quotuplex? Quodnam ejus objectum? Quibus mediis acquiratur? Quibus contrariis oppugnetur.

DECISIO XCVI. *Argumentum.*

Referuntur novem genera personarum, quæ obligatæ sunt ad restitutionem, ob damnum alteri datum, vel rem injustè acceptam.

DECISIO XCVII. *Argumentum.*

Ostenditur quando sit obnoxius restitutioni, qui consulit circa furtum faciendum, vel dat suffragium pro lite injusta gerenda.

DECISIO XCVIII. *Argumentum.*

Explicatur, Quid sit Humilitas Virtuosa? Quotuplex? Quot ejus gradus? An exerceri possit à personis sublimibus, & in dignitate constitutis? Quibus incentivis?

DECISIO XCIX. *Argumentum.*

Deciditur, an teneatur restituere Mandans damnum fieri, si revocavit mandatum factum? Et an illi, qui filios illegitimos mittunt ad Hospitale Domus Dei? Et an Advocati patrocinati lites injustas, vel dubias.

DECISIO C. *Argumentum.*

Declaratur, quid sit Abstinentia? Quotuplex? Quot ejus species? Quæ ejus extrema?

DECISIO CI. *Argumentum.*

Agitur de obligatione restituendi, quæ incumbit Adulatoribus, ac Meretricibus. Refertur factum mirabile, sed non imitabile S. Vitalii Abbatis.

DECISIO CII. *Argumentum.*

Exponitur: Quid sit Eutrapelia? Quotuplex? Quando sit Virtus? Quando Vitium?

DECISIO CIII. *Argumentum.*

Breviter, sed clarè traditur obligatio restituendi fructus tàm bonæ, quàm malæ fidei possessoris.

DECISIO CIV. *Argumentum.*

Melioramenta facta in re aliena, quando sint restituenda ei, qui illa fecit? Et an teneantur ad restitutionem illi, qui præstant domos suas lusori-

lusoribus alearum? Industriæ B. Nicolai Albergati Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis in extirpandis alearum, ac taxillorum ludis.

DECISIO CV. *Argumentum.*

Docetur: Quid sit Mansuetudo? Quotuplex? Quæ ejus officia? Quæ ejus requisita? Quæ vitia Mansuetudini opponantur?

DECISIO CVI. *Argumentum.*

Referuntur compendiosè, Quæ sint causæ excusantes à restitutione rei alienæ? & quando Judices obligati sint ad restitutionem? Notantur novem qualitates boni Judicis excerptæ ex revelationibus S. Birgittæ.

DECISIO CVII. *Argumentum.*

Demonstratur, cur, & quando Confessarius teneatur ad restitutionem, quam pœnitens ipse facere debebat?

DECISIO CVIII. *Argumentum.*

Explicatur, quid sit Virtus Heroica? Quotuplex? Quæ sint requisita Heroicitatis? Quibus signis cognoscatur Heroica Virtus? Quos pariat effectus?

DECISIO CIX. *Argumentum.*

Referuntur motiva, quibus Parochi, & personæ Ecclesiasticæ tenentur exercere Officia Divina cum Tonsura, Veste talari, decenti supellectilli Sacra; & servare Silentium in Choro, & Attentionem internam, & externam.

DECISIO CX. *Argumentum.*

Quibus mediis, & rationibus poterunt Parochi retrahere populum à peccatis carnis.

DECISIO CXI. *Argumentum.*

Referuntur rationes, quibus Ecclesiastici, de bonis per eos cumulatis redditibus beneficiorum, tenentur potiùs facere Eleemosynam in vita, quàm eam ordinare faciendam in testamento post mortem.

DECISIO CXII. *Argumentum.*

Recensentur rationes, ac diligentiæ adhibendæ ab Animarum Curatis, ut retrahant populum à crapulis, & ebrietatibus?

DECISIO CXIII. *Argumentum.*

Refertur ordo, sive methodus incensandi Altare juxta Rubricas. Numerus incensationum. Earundem Mysterium, tàm in Missa, quàm in Vesperis.

DECISIO CXIV. *Argumentum.*

Disputatur quibus modis auferri, & aboleri possit pessima consuetudo Plebis blasphemandi, pejerandi, & irreverenter nominandi Sanctissimum Nomen Dei, ac B. Mariæ Virginis.

DECISIO CXV. *Argumentum.*

Disputatur, An Rubricæ Missalis rectè dividantur in Præceptivas, & Directivas? Hæ, & illæ, quæ sint? Et quando earum transgressio sit culpa mortalis? aut Venialis.

DECISIO CXVI. *Argumentum.*

Ostenditur quibus industriis possit Parochus inserere in cordibus populorum devotionem veram erga Sanctissima Sacramenta; ita ut piè, ac frequenter accedant ad Confessionem, & Communionem.

DECISIO CXVII. *Argumentum.*

Disseritur, quo mysterio celebretur Missa pro Defunctis etiam die Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniversario? Et quænam sit Missa de Requiem dicenda pro Defuncto Sacerdote ex quatuor positis in Missali.

DECISIO CXVIII. *Argumentum.*

Demonstratur, quibus rationibus persuadendi sint homines Adulti, ut concurrant ad Ecclesiam ad audiendam explicationem Doctrinæ Christianæ, hora, qua fiunt disputationes circa illam.

DECISIO CXIX. *Argumentum.*

Disseritur, quot, & quibus causis non sint permittendæ confabulationes, discursus vani, verba otiosa, aut ridicula in Sacristiis.

DECISIO CXX. *Argumentum.*

Referuntur Argumenta ad suadendum Mulieribus, ut modestas Vestes deferant; pectus, humeros, & brachia velata habeant; & ab ornamentis vanis abstineant.

DECISIO CXXI. *Argumentum.*

Demonstrat hæc Decisio, quot rationibus Parochus timere non debeat incommoda: Sed eum oportet incessanter laborare in ministerio suo, procurando spiritualia bona, ac Salutem animarum sibi creditarum.

DECISIO CXXII. *Argumentum.*

Disseritur, quibus rationibus retrahendi sint per Confessarios filii familias, ac famuli à furtis domesticis, & à dissipatione rerum suæ domus.

DECISIO CXXIII. *Argumentum.*

Exponuntur, quæ, & quot sint utilitates resultantes, quando Parochus, præcipuè in Villis, scholam aperit, & docet pueros suæ Parochiæ legere, ac scribere.

DECISIO CXXIV. *Argumentum.*

Traditur, quibus rationibus Parochus suadebit populo suo, ut propriam Ecclesiam Parochialem frequentet, in ea audiendo Divina officia, & recipiendo Sanctissima Sacramenta.

DECISIO CXXV. *Argumentum.*

Demonstratur, quot, & quibus rationibus debeat quilibet Confessarius singulis diebus determinatè legere tùm Spiritualem aliquem librum, tùm alterum librum de casibus conscientiæ pertractantem.

DECISIO CXXVI. *Argumentum.*

Demonstratur, quibus industriis, seu rationibus evelli possit à populo Vitium detractionis.

DECISIO CXXVII. *Argumentum.*

Explicatur, quot, & quibus rationibus debeant Parochi personaliter exercere curam animarum, & administrare S.S. Sacramenta per se ipsos, non autem per capellanum.

DECISIO CXXVIII. *Argumentum.*

Referuntur rationes omnes, quibus demonstratur obligatio genitorum, ne permittant pueros, & puellas, quinquennio completo, dormire simul.

DECISIO CXXIX. *Argumentum.*

Proponitur, quot, & quibus rationibus debeat Parochus personaliter assistere agonizantibus, & moribundis suæ Parochiæ.

DECISIO CXXX. *Argumentum.*

Ostenditur, quibus rationibus persuadendus sit populus ad servanda jejunia sacra, tùm Quadragesimæ, tùm Vigiliarum de Præcepto.

DECISIO CXXXI. *Argumentum.*

Item demonstratur, quibus, & quot rationibus Parochus obligatus sit prædicare populo suo Verbum Dei festivis diebus.

DECISIO CXXXII. *Argumentum.*

Recenletur, quæ sit vera methodus prædicandi fructuosè.

DE-

DECISIO CXXXIII. *Argumentum.*
Declaratur, quinam sit finis ultimus hominis? Undè procedat cæcitas humana, quæ de ultimo Fine parùm, aut nihil curat? Quæ sint damna hujus cæcitatis? Quæ remedia.

DECISIO CXXXIV. *Argumentum.*
Exponitur, quid sit Habitus malus ad peccandum: Unde oriatur, & augeatur? Quot ejus sint damna? Quæ ipsius remedia.

DECISIO CXXXV. *Argumentum.*
Disputatur, & definitur, Quid sit Amor proprius? Quæ ejus origo? Quæ damna pariat? Quæ sint remedia?

DECISIO CXXXVI. *Argumentum.*
Quid sit Superbia? Quotuplex? Quot ejus filiæ? Quot mala pariat? Quibus remediis curetur.

DECISIO CXXXVII. *Argumentum.*
Disseritur, Quid sit Avaritia? Quotuplex? Quæ ejus filiæ? Quæ mala proveniant ex Avaritia? Quibus remediis curanda?

DECISIO CXXXVIII. *Argumentum.*
Declarat hæc Decisio. 1. Quid sit Amor carnalis? 2. Quotuplex? 3. Qui ejus effectus? & damna? 4. Quæ remedia.

DECISIO CXXXIX. *Argumentum.*
Ad avertendos Juvenes à conversationibus pravis declarat hæc Decisio, quæ, & quot mala insurgant ex conversatione pravorum hominum? Quibus motivis sit ab eorum familiaritate, & amicitia abstinendum.

DECISIO CXL. *Argumentum.*
Eleganti, sed docto stylo declaratur. 1. Quid sit Ira? 2. Quotuplex? 3. Quæ ejus filiæ? 4. Quot species iratorum hominum? 5. Quæ mala nascantur ex ira? 6. Quibus remediis ira curetur.

DECISIO CXLI. *Argumentum.*
Tractat præsens Decisio. Quid sit Gula? Quot, & quibus modis contingat peccare per Gulam? Quot effectus, seu Filiæ ejus? Quot mala producat? Quibus remediis obviandum iisdem.

DECISIO CXLII. *Argumentum.*
Declaratur, quid sit Acedia? Quæ, & quot ejus filiæ? Quæ, & quot damna ex ea procedant, potissimùm in animarum Pastoribus? Quæ remedia adhibenda contra hoc vitium.

DECISIO CXLIII. *Argumentum.*
In præsenti Decisione ostenditur Quanta sit Comœdiarum inhonestarum pernicies? Quibus motivis sit ab eis abstinendum?

DECISIO CXLIV. *Argumentum.*
Dilucidat præsens Decisio. 1. Quid, & quotuplex sit Mendacium, & Quale peccatum? An aliquando liceat dicere mendacium? An ad celandam veritatem in aliquo casu sit licitum adhibere restrictiones mentales; sive Verba æquivoca, aut amphybologica? Quæ mala eveniant à mendacio? Quibus industriis Parocho utendum, ut fideles abstinere, & abhorrere faciat à mendaciis?

DECISIO CXLV. *Argumentum.*
Examinat hæc Decisio. 1. Quid sit Abortus? Quàm grave peccatum? Quæ pœnæ sint statutæ contra procurantes Abortum?

DECISIO CXLVI. *Argumentum.*
Explicatur in hac Decisione. 1. Quid sit Adulterium? 2. Quotuplex? 3. Quàm grave peccatum? 4. Qui ejus pessimi effectus? 5. Quæ ejus pœnæ? 6. Quæ ejus remedia?

DECISIO CXLVII. *Argumentum.*
Proponitur: Quid sit Ambitio? Quantum perniciosa? Quæ remedia adversus illam?

DECISIO CXLVIII. *Argumentum.*
Declarantur mala, quæ proveniunt ex amatoriis conversationibus adolescentium diversi sexus. Et quibus remediis occurrendum sit illis?

DECISIO CXLIX. *Argumentum.*
Agitur, ex Choreis quot mala proveniant? Quibus argumentis sint usuri Parochi contra Choreas.

DECISIO CL. *Argumentum.*
Ostenditur. Quàm grave peccatum sit Blasphemia? & quibus argumentis retrahendi sint homines ab hoc delicto?

DECISIO CLI. *Argumentum.*
Indicatur. Quàm grave piaculum sit Irreverentia in Ecclesiis? Quibus remediis eidem occurrendum?

DECISIO CLII. *Argumentum.*
Inquiritur, Quæ, & Quot sint malæ cogitationes cordis? Quanta earum malitia? Quibus remediis repellendæ?

DECISIO CLIII. *Argumentum.*
Perquiruntur, & examinantur viginti quatuor peccata Patrum, ac Matrum familias occasione filiorum. Quibusvè rationibus suadendi sint ad benè educandos Filios?

DECISIO CLIV. *Argumentum.*
Præsens Decisio manifestat, Quid sit Judicium Temerarium? Quanta ejus gravitas, & malitia? & quibus remediis, seu rationibus obviandum sit illi?

DECISIO CLV. *Argumentum.*
Continet hæc Decisio: 1. Quid sit Detractio? & Quot modis fiat? 2. Quæ sint præcipuè Quæstiones in materia Detractionis non ignorandæ à Confessariis? 3. Quot, & quibus noceat Detractio? 4. Quando, & Quomodo sit restituenda Fama? & alia damna ex Detractione secuta? 5. Quanta sit malitia Detractionis? Quibus remediis tanto crimini obviandum?

DECISIO CLVI. *Argumentum.*
Invehit hæc Decisio contra Calumniatores; & quia plurimùm calumniæ prodeunt vel à Forensibus, vel ab Aulicis, de his præcipuè agitur, juxta numeros sequentes; videlicet: 1. Quid sit Calumnia? 2. Quarum personarum proprium sit Calumniari? 3. Quanta sit excellentia Advocatorum? 4. Quæ boni Advocati requisita? 5. Quæ mali Advocati fors, & obligatio? 6. Quæ peccata Procuratorum in litibus? 7. Quæ pœnæ statutæ de Jure contra Calumniatores in Judicio? 8. Quæ Notariorum culpæ? 9. Quæ Aulicorum crimina? 10. Quæ Invidorum flagitia. 11. Quibus argumentis deterrendi Calumniatores. 12. Quibus confortandi calumnias patientes.

** ** **
* * *

DE-

DECISIONES MISCELLANEÆ.

DECISIO PRIMA.

ARGUMENTUM.

Disseritur quid, & quotuplex sit Peccatum? Quot in casibus peccatum mortale transeat in Veniale? Et è contra Veniale transeat in mortale? An peccet, qui internis cogitationibus libidinosis neque assentit, neque dissentit? Et an ille, qui ex nimia ira solet blasphemare? Prudentialiter autem ponuntur remedia adhibenda, ut populus evitet verba obscœna.

SUMMARIUM.

1. *Peccati definitio, & divisio.*
2. *Regula ad discernendum peccatum mortale à Veniali.*
3. *Mortale peccatum, quando transeat in Veniale?*
4. *Parvitas materiæ in quibus casibus non excuset à mortali?*
5. *Motus quot sint in agente?*
6. *Veniale quot in casibus fiat mortale?*
7. *Cogitationibus libidinosis expresè dissentiendum.*
8. *Consuetudo blasphemandi non excusatur ob iram.*
9. *Verba obscœna ob rationes quatuordecim evitanda.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

1 AD Primum. *Quid sit peccatum?* Alii, esse recessum à regula Divina voluntarium. *Ex Tolet. lib. 3. c. 1.* Alii, esse dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. *Ex D. Aug. contra Faustum lib. 22. c. 27.* Alii, esse actum malum interiorem, & exteriorem. *Ex Magist. sent. dist. 35. lib. 2.*

Ad Secundum. *Quotuplex sit peccatum?* Alii, tot esse species peccatorum, quot virtutes, quibus opponuntur. *Joseph Aug. in brevi not. de Sacr. Pœnit. n. 33.* Plures, alia esse peccata commissionis, & alia omissionis. Utraque vel esse peccata cordis, vel oris, vel operis. *Tolet. lib. 3. cap. 2.* Item alia esse peccata immediatè contra Deum, alia contra Proximum. Item alia esse contra justitiam, alia contra charitatem. *Reginald. lib. 15. cap. 1. 2. & 3. Filliuc. tract. 21. c. 6. n. 24.* Deindè, ferè omnes concluserunt, peccatum esse duplex Originale, & actuale, quod subdividitur in mortale, & veniale. *Sanchez in Decal. lib. 1. cap. 1. n. 3.*

Ad Tertium. *Quæ, & quot sint Regulæ ad discernendum peccatum mortale à Veniali?* Alii, attendendam esse gravitatem, vel levitatem materiæ. *Ex Coton. lib. 1. contr. 1. c. 4. n. 68.* Plurimi hanc Regulam generalem notarunt, videlicèt, peccatum fieri mortale, ubi gravitèr lædatur Charitas Dei, vel Proximi, vel sui ipsius. At, ad cognoscendam læsionem gravem charitatis, dari sequentia signa. 1. Si Deus per eam culpam comminetur in sacris litteris exclusionem à regno cœlorum; ut *Fornicator, aut immundus, non habet hereditatem in regno Christi. Ephes. 5.* 2. Si talis actio declarata sit mortalis per Ecclesiam. 3. Si Viri docti, & prudentes judicent eam culpam mortalem. 4. Si virtus aliqua Theologalis offendatur. 5. Si præcepta Decalogi confringantur. 6. Si repugnet Præceptum Ecclesiæ, vel Superioris sub pœna peccati mortalis. 7. Si quid sit jussum, vel vetitum sub pœna excommunicationis. Ita *ex Tamburin. in Decal. lib. 1. c. 1. §. 2.* & ex *Mastrio in Theol. Moral. disp. 15. n. 48. & 49.* 2

Ad Quartum. *Quot in casibus peccatum mortale transeat in Veniale?* Multi, in duobus casibus; 3 nempè ex levitate materiæ, & ex actus imperfectione. *Tolet. lib. 3. cap. 1.* At studiosiores addidere, mortale transire in Veniale in tribus casibus. 1. Ob parvitatem materiæ (exceptis odio Dei, ejusque contemptu, Violatione virtutum Theologicarum, Perjurio assertorio deliberato, Magia, Simonia, Re Venerea ob libidinosum finem, irritatione Sacramentorum, Violatione Sigilli Sacramentalis, ac naturalis jejunii in sumpturo Eucharistiam, in quibus omnibus parvitas materiæ non excusat à mortali.) 2. Ob imperfectam deliberationem, ut in Semidormiente, vel Semiebrio, vel in agente cum repentino motu; quo loci notarunt, tres dari motus. *Primò primum*, in quo nulla est advertentia, & sic nulla culpa, 5 quamvis in re gravi. *Secundò primum*, in quo imperfectè, & confusè homo advertit, & in hoc culpa mortalis transit in Venialem. *Et motum deliberatum*, in quo res seriò consideratur, & in re gravi culpa est semper mortalis. 3. Ob ignorantiam non omninò crassam. Ita *ex Tamb. in d. lib. 1. cap. 1. §. 3.*

6 Ad Quintum. *In quot, & in quibus casibus peccatum Veniale transeat in mortale?* Ferè omnes scripsere sex in casibus. 1. Respectu ultimi finis, ut si quis mendacium dicat pro committendo adulterio. 2. Respectu contemptus, ut si quis contemnat Superiorem licèt in re non gravi. 3. Respectu periculi labendi in mortale. 4. Respectu conscientiæ erroneæ. 5. Respectu scandali. 6. Si plura venialia concurrant ex unione ad faciendum unum mortale, ut si quis sæpè comedat parùm in die jejunii. Ita *ex Azor. part. 1. lib. 5. c. 9. q. 15. & ex Tamb. d. lib. 1. cap. 1. §. 4.* His adde septimum, si ex re levi fiat damnum grave, ut furando acum Sutori aliam non habenti. Vide mea Erotemata *c. 1. n. 5.*

AD PRIMUM CASUM.

IOannes sæpè sæpiùs internas patitur cogitationes libidinosas, quibus non dat assensum, sed neque etiam positivum dissensum. Quæritur, an peccet?

7 Tres relatæ sunt opiniones. Prima, quod dictus Joannes peccet mortaliter, quia licèt non det assensum formalem, dat interpretativum, qui æquivalet formali, & in delectationibus Venereis facit culpam mortalem. Ita *Valent. tom. 2. disp. 6. q. 4. p. 3. Becan in Theol. Scol. par. 2. tr. 2. cap. 5. q. 5. n. 4.* Secunda, quod peccet tantùm venialiter, quia admittit cogitationes saltem vanas, & inutiles *Azor. p. 1. lib. 4. c. 9. q. 7. Fumus in Summa Armilla Verb. Cogitatio sub n. 4.* Tertia, quod neque mortaliter, neque venialiter peccet, tùm quia illæ cogitationes non sunt actus voluntatis, sed intellectus, tùm quia nullum est peccatum, ubi nullum est præceptum; sed circa dictas cogitationes præceptum est non consentiendi; non autem repellendi. *Cajetan. Verb. delectatio morosa, & Bonac. de matr. q. 4. p. 7. n. 8.* Duæ ultimæ opiniones improbabiles non sunt, ut docet *Diana coordinatus to. 8. tractat. 9. resol. 8.* Prima tamen probabilior est, & securior, ac in praxi servanda; quia dicit Scriptura Sacra quasi conquerens *Usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? Jerem. 4. 14. & Isa. 1. 16. Auferte malum cogitationum vestrarum.*

AD SECUNDUM CASUM.

PEtrus ex nimia ira solet blasphemare: de hoc se accusat in confessione. Quæritur, An peccet?

Ferè omnes observarunt illa duo Verba *Nimia*, & *Solet*. 8 Nam ex verbo *Nimia* (quod significat excessum magnum rei, cui adjicitur *ex Cic. Tusc. 4. & ex Tacito lib. 19.*) dixerunt, Petrum non peccare, quia absque deliberatione, & ex subreptione iræ blasphemare videtur. *S. Th. 2. 2. q. 13. art 2. ad tertium. Farinac. de Pœnis temper. q. 91. n. 10.* At ex Verbo *Solet*, quod consuetudinem significat, censuerunt, Petrum mortaliter peccare, quando non dat operam, ut consuetudinem illam deponat. *Ex Suarez de Religione tom. 2. lib. 3. c. 8. & Layman. lib. 1. tr. 2. cap. 3. num. 6.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

QUæ remedia sint adhibenda, ut populus evitet verba obscœna? Responderunt, inculcandas esse 9 sequentes rationes. 1. Quod ipsimet Ethnici illa abhorrebant, unde ajebat Cato *Virtutem primam esse puto compescere linguam.* 2. Quod *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Matt. 12.* Ergo eò rigorosiùs de verbis turpibus, & obscœnis. 3. Quòd verba turpia frequenter esse possunt peccata gravia ratione scandali, aut mali finis. 4. Quod quando etiam non excedant malitiam peccati venialis, punienda erunt acerbissimo igne Purgatorii. 5. Prædicandum esse præceptum correptionis fraternæ, ut quilibet audiens verba turpia possit corripere ea proferentes. 6. Hortandos illos, qui ad hæc sunt proclives, ut agant pœnitentias voluntarias toties, quoties verba obscœna protulerint. 7. A Parochis esse crebrò reprehendendos sermones turpes, & laudandas virtutes modestiæ, & honestatis verborum. 8. Moneatur populus, ut postulet à Deo gratiam evitandi talem defectum linguæ. 9. Quod quilibet fidelis quotidie proponat linguæ custodiam. 10. Recordentur omnes, esse semper, & ubique in Dei præsentia. 11. Quod maculati hoc crimine confiteantur cum dolore, & vero proposito emendationis. 12. Parochi narrent exempla ultionis Divinæ in eos, qui fuerunt pessimæ linguæ, & turpiloqui in sermonibus. 13. Confirment has reprehensiones auctoritate SS. Patrum, utpotè S. Ambrosii *lib. 2. offic. cap. 3.* S. Gregorii *moral. lib. 7. cap. 12.* S. Augustí. *in Ps. 140.* Ultimò Parochi proponant suis populis considerandam æternitatem, horribilem gradum mortis, severitatem Judicii Divini; & quàm magnum sit, salvare animam propriam, ne damnetur perpetuis tormentis inferni, sed ut adipiscatur æternæ gaudia Vitæ. In his argumentis toto spiritu immorentur Parochi, ex quibus fiet, ut quivis licèt pessimus convertatur, & dicat, *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Meditatus sum nocte in corde meo; exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Psal. 76. 7. & per consequens *linguam meam.*

DECISIO SECUNDA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Metu, & de Ignorantia, & quibus in casibus excusent peccantes à mortali? Media adhibenda, ut populi accedant ad discendam Doctrinam Christianam.

SUMMARIUM.

1. *Metus quid sit? & quotuplex?*
2. *Ignorantia quid, & quotuplex sit?*
3. *Metus quando excuset à peccato, & quando non?*
4. *Ignorantia quando excuset, & quando non à culpa?*
5. *Famuli inservientes Domino in rebus peccaminosis ob metum gravem, peccant mortaliter.*
6. *Ignorantes mysteria principaliora fidei non sunt absolvendi.*
7. *Industriæ decem, & octo ad conducendos populos ad discendam Doctrinam Christianam.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid, & quotuplex sit metus?* Alii 1 *ex Cicerone lib. 4. Tusc. quæst.* Esse opinionem impendentis mali. Alii *ex Ulp. in l. 1. ff. de eo, quod met. caus.* Esse instantis, vel futuri periculi causa trepidationem mentis. Alii ex *Aristotele Rhetoricor. lib. 2. cap. 5. & ibi Sylv. Mauro Soc. Jesu* voluerunt, Esse motum appetitus irascibilis, quo quis horret grave malum futurum, apprehensum ut proximum & difficile quod fugiatur. Omnes autem scripsere, *Metum* alium esse ab intrinseco,

ut

ut si metu naufragii voveas jejunium: alium ab extrinseco, ut si quis tibi minetur mortem, nisi ei marsupium tradas. Rursus *Metum* ab extrinseco provenientem, vel esse levem, vel esse gravem; qui cadens inconstantem virum appellatur; & utrumque, *levem* scilicet, *& gravem*, vel esse juste incussum, vel injuste, quas omnes divisiones ponunt, & declarant DD. præcipuè *Laym. lib. 1. tract. 2. cap. 6.* & *Gobat. in experimentali Theolog. Tract. 9. n. 246. & seqq.*

2 Ad Secundum. *Quid, & quotuplex sit ignorantia?* Alii esse rerum scibilium inscitiam. *Vel* Carentiam Scientiæ, quam quis natus est habere *ex Poliant. Verb. Ignorantia.* Hanc autem esse vel Juris, vel Facti, vel Pœnæ. Item aliam esse *Invincibilem*, aliam *Vincibilem*. Item *Vincibilem*, vel esse *Affectatam*, cum quis studiosè non vult addiscere, ut liberius peccet. Vel esse *Crassam*, cum quis ob maximam negligentiam nescit ea, quæ scire debet. Vel esse *Tenuem* ob levem negligentiam. Vel esse *Comitantem*, quia stat in affectu malo, non in opere; ut declarat *Bordon. Var. res. p. 1. res. 38. à n. 52. usque ad n. 67. ubi DD.*

3 Ad Tertium. *An metus excuset à peccato, & quando?* Ferè omnes responderunt, in præceptis Divinis nullum metum, etsi gravem, excusare à peccato actiones intrinsecè malas: ideò ad evitandam mortem non licere fornicari, adorare Idola. Si verò actio non sit intrinsecè mala; metum gravem excusare à peccato, ut remigare in navi Turcarum contra Christianos, quòd eò magis procedit in Præceptis humanis remoto scandalo, vel contemptu. *Summa Diana Verb. Metus num. 2. Tamburin. in dec. lib. 1. cap. 2. §. 6. Farinac. de Pœnis Temperan. qu. 97. à. num 5. & seqq.*

4 Ad Quartum. *An ignorantia excuset à peccato, & quando?* Omnes concordarunt, Ignorantiam invincibilem excusare ab omni peccato sive sit Juris, sivè sit Facti. Vincibilem verò, Crassam, & Affectatam non excusare à mortali. Ignorantiam verò Tenuem, & Comitantem excusare à mortali, non autem à Veniali, *Bordon. d. p. 1. res. 38. n. 63. & seq.*

AD PRIMUM CASUM.

5 *HErus quidam sollicitat ad turpia ancillam suam, aliàs vult eam graviter verberare: Eodem modo cogit famulum suum excubias facere, donec cum dicta ancilla turpiter agat. Illa, & ille obediunt ob metum gravis Verberationis. Quæritur, an peccent mortaliter?* Absque hæsitatione, *circa ancillam*, omnes affirmarunt, eam peccare mortaliter, quia consentit in actionem intrinsecè malam, à qua metus gravis non excusat ex supradictis. *Circa famulum*, alii asseruerunt, eum peccare, alii negarunt *ex Castropal. tom 1. Tract. 6. d. 6. p. 11. num. 5.* Sed studiosiores asserentibus adhæserunt; & quidem optimè, nam opinio contraria damnata legitur per SS. D. N. INNOCENTIUM Papam Undecimum feliciter regnantem *die Jovis 2. Mensis Martii 1679. in Propositione 51.* Quæ sic asserebat: *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam Virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne á Domino malè tractetur &c.*

AD SECUNDUM CASUM.

6 *FRanciscus accedit ad Confessionem Sacramentalem, & notum facit Confessario, se neque memoriter scire, neque intelligere Orationem Dominicalem, Symbolum Apostolorum, neque Decalogum. Quæritur, an sit in peccato, & sit absolvendus?* Plurimi plurima scripsere. Sed convenerunt in hoc, quod quilibet Christianus tenetur scire, saltem quo ad substantiam, articulos Symboli Apostolici, Decalogum, Sacramenta Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ. Ex DD. *apud Tambur. in decal. lib. 2. cap. 1. §. 1. n. 5. 6. & 7.* Ideò Franciscum esse in peccato mortali, neque absolvendum, si ob negligentiam ignoret prædicta, & ea saltem virtualiter non intendat. DD. quos citat, & sequitur *Barbosa de Offic. Parochi cap. 15. n. 4. & 5.* Quæ opinio eò verior est habenda, quò ejus contraria legitur damnata à prælibato Sanctissimo Domino Nostro Papa INNOCENTIO Undecimo *in Propositione 64.* Sic loquente: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei: & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem nesciat Mysteriun SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini Nostri JESU Christi.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

7 *SCribantur impedimenta, & prætextus, quibus populi non accedunt ad discendam Christianam Doctrinam. Et notentur remedia, ut omninò ad eam capescendam concurrant.* Zelus, & Pietas Parochorum suggessit sequentia. 1. Quod Piscatores satagant, pueros aberrantes in viis colligere. 2. Quod Magistri tabellas habeant, in quibus filii instruendi sint conscripti. 3. Quod si qui pueri desunt, eorum Genitores statim moneantur. 4. Quod in Villis, ubi omnes pueri eodem tempore convenire non possunt, fiat instructio Doctrinæ Christianæ statim vel ante, vel post Missam Parochialem. 5. Quod Parochi, & Prædicatores non cessent loqui de necessitate addiscendi Doctrinam Christianam. 6. Quod populi moneantur abstinere diebus festis à negotiis temporalibus, ut vacare possint studio Christianæ Doctrinæ. 7. Quod Genitores certi fiant de præcisa eorum obligatione instruendi filios, & edocendi Doctrinam Christianam; seu satagendi, ut ad eam ediscendam vadant, & de hoc strictissimam rationem Judici æterno in puncto mortis esse reddituros. 8. Quod ipsimet Genitores hortentur, ut personaliter ad Ecclesiam, hora Doctrinæ Christianæ exponendæ, accedant; ut sic eò certiùs & filii, & famuli ad eam conveniant. 9. Quod Confessarii omnes in Sacramentalibus Confessionibus interrogent homines de hujus obligationis implemento; nec absolvant contumaces, aut notoriè negligentes. 10. Quod etiam in propriis domibus curent Patres familias docere suos Doctrinam Christianam. 11. Quod iisdem Patribus familias ostendatur excellentia animarum; ut sciant earumdem saltem tantam curam agere, quantam de bobus habent, quos in necessariis esurire non patiuntur. 12. Quod frequenter legantur, & declarentur Indulgentiæ concessæ docentibus, & discentibus Christianam Doctrinam, ut populi ad ejus studium accendantur.

His relatis EMINENTIS. PRÆSULI, ac lætanter auditis, mandavit ulterius addi. 13. Quod omnes Parochi statim in meridie incipiant docere Doctrinam Christianam, & ad hunc effectum celebrent Missam hora tertia matutina; quia compertum est in Visitationibus, morosam Missæ celebrationem impedire Scholam Doctrinæ Christianæ. 14. Quod iidem

Parochi habeant librum particularem, in quo descripti sint omnes filii, & filiæ ab annis. 4. usque ad 16. ut eos omnes agnoscant, & sciant, an conveniant, vel non ad Doctrinam Christianam? & valeant negligentes arcessere. 15. Quod eo tempore, quo pueri à Magistris in Ecclesia Doctrinam Christianam edocentur, ipsi Parochi in Sacristia, vel alia capella instruant adultos de aliquo mysterio, seu parte ejusdem Doctrinæ Christianæ. 16. Quod infra disputationem, quæ fit per doctiores pueros ad finem Doctrinæ Christianæ, Parochi explicent eamdem Doctrinam methodo accommodata ad instruendos homines adultos ibi præsentes, ut sic excitentur ad libentiùs conveniendum, & ediscendam ipsam Doctrinam. 17. Ut Parochi legant, & legere faciant singulis festivis diebus partem aliquam Regularum Doctrinæ Christianæ, ut à confratribus, & operariis ejusdem observentur. 18. Tandem, quod Parochi omnes, & Curati animarum sciant, hoc esse unum ex præcipuis muneribus, de quo à Domino in die Judicii interrogabuntur. Ideò nunquam cessent, monere, arguere, & hortari populum ad hoc studium; & tali fervore prædicent de necessitate Doctrinæ Christianæ, ut populi capiant, hoc maximè referre. Neque se excusent Parochi super Populi pigritia; nam experientia demonstrat, sub fervidis Parochis, populos aliàs pigerrimos, diligentissimos effectos in hoc sancto opere Doctrinæ Christianæ.

DECISIO TERTIA.

ARGUMENTUM.

Explicatur, quid sit Fides? quot ejus præcepta? Et quot peccata contra ipsa? Quæ mysteria fidei de necessitate scienda? Et quando sint eliciendi actus Fidei? De Professione fidei à Parochis facienda, & prudentialiter de remediis pro servanda reverentia in Ecclesiis.

SUMMARIUM.

1. *Fidei definitio.*
2. *Fidei præcepta quinque.*
3. *Peccata quatuor contra Fidem.*
4. *Mysteria Fidei quæ credenda, & quæ sciendi de necessitate?*
5. *Fidei actus quando sint eliciendi?*
6. *Parochus non faciens professionem fidei an mortaliter peccet?*
7. *In quam pœnam incurrat?*
8. *Hæresis si sit tantùm in corde, an possit Confessarius absolvere ab ea?*
9. *Irreverentiæ, quæ fiunt in Ecclesiis, & remedia contra easdem.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid sit Fides?* Esse virtutem Theologicam, à Deo infusam, per quam firmiter, propter ipsius Dei authoritatem, assentimur iis; quæ à Deo revelata sunt & ab Ecclesia proposita. *Ex S. Thom. 2. 2. q. 4. art. 1. & Tamb. in Dec. lib. 2. c. 1. n. 1* 1

Ad Secundum. *Quot sint Præcepta Fidei:* Esse quinque, videlicet, 1. Credendi articulos fidei. 2. Eos sciendi. 3. Illos exteriùs confitendi. 4. Fidem exteriùs non negandi. 5. Eamdem interiùs non perdendi. Horum autem prima tria esse affirmativa, quæ non obligant semper. Duo ultima esse negativa, & ideò obligare semper. *Tamb. d. lib. 2. in Dec. cap. 1. §. 1.* 2

Ad Tertium. *Quot sint peccata contra Fidem?* Quatuor, Nempè. 1. *Infidelitatem*, ut in Paganis, Judæis, & Saracenis. 2. *Hæresim*, quando homo baptizatus tenet in intellectu errorem cum pertinacia contra aliquem fidei articulum. Et hæc est duplex vel *interior*, vel *exterior*. 3. *Apostasiam:* cum fidelis recedit in totum à fide. Et 4. *Schisma;* quando fidelis credit quidem articulos fidei, sed retrahit se ab obedientia Summi Pontificis, ut est Christi Vicarius. Ita *ex Sanchez lib. 2. in Dec. capit. 7. ex Castropal. tom. 1. tract. 4. dis. 3. part. 2. & ex Tambur.* ubi plurimi. *dict. lib. 2. in Dec. §. 4. §. 9. & §. 10.* 3

Ad Quartum. *Quæ de necessitate scire debeant homines mysteria fidei?* Non minùs amplæ, quàm doctæ responsiones super hoc prodiere; quibus duæ opiniones relatæ sunt Theologorum inter se dissidentium, quos allegat *Salelles de officio S. Inquisit. lib. 1. cap. 9. reg. 77. num. 94.* Alii enim tenent, quod fideles necessitate *Medii*; Alii quod sola necessitate *Præcepti*, à quo ignorantia inculpabilis excusat, teneantur explicitè credere *Mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei, atque Incarnationis D. N. Jesu Christi.* Scire autem debeant, saltem quo ad substantiam, Articulos Symboli Apostolici, Decalogum, & Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. Ita pluribus DD. citatis *Salelles dict. regul 77. & regul. 78.* 4

Ad Quintum. *Quando necesse sit elicere actus fidei?* Distinxerunt: vel loquimur *de necessitate Medii?* Et sufficit semel in vita, id est, dum baptizantur adulti; vel pueri ex Parentibus Christianis dum perveniunt ad usum rationis, qui hoc adimplere reputantur, quando Doctrinam Christianam ediscunt, aut mysteria divina colunt, quæ celebrantur in Ecclesia. Vel quærimus *de necessitate Præcepti*, & quia damnatæ sunt propositiones dicentes, Nullo tempore, vel semel in vita satis esse elicere actus fidei, ut sub *SS. Alex. Septimo Prop. 1. & Sub SS. Innocent. XI. Prop. 17. & 65.* ideò pluries in vita esse eliciendos. *Sanch. lib. 2. c. 1. n. 3. & ibi DD.* Prædictæ propositiones damnatæ ita asserebant. Prop. 1. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Prop. 17. *Satis est actum Fidei semel in vita elicere.* Prop. 65. *Sufficit illa Mysteria semel credidisse.* 5

AD PRIMUM CASUM.

QUidam Parochus in confessione se accusat, nunquam feciisse professionem fidei? *Quæritur, in quam culpam, in quam pœnam, in quam obligationem incurrerit?* 6

Responderunt. *Quo ad culpam*, incurrisse in peccatum mortale secundum magis communem opinionem Doctorum, quos allegat, & sequitur *Sanchez in Dec. lib. 2. cap. 5. num. 1.* ea ratione quia Concilium Trid. *sess. 24. cap. 12. de ref.* utitur gravibus verbis, & infert gravem pœnam. Quamvis probabile sit, venialiter tantum peccare, quia lex pœnalis regulariter non obligat ad culpam mortalem, & ita tenet *Ricciullus de Jure personar. l. 1. cap. 16. Quo ad pœnam*, amisisse fructus beneficii ipso Jure, adeò, ut neque Ordinarius possit eos illi condonare. *Ricciull. d. c. 16. num. 7. & Thesaurus de Pœnis part. 2. Verb. Fidei professionem num. 3.* Quo verò *Ad quam obligationem?* 7

nem? Teneri ſtatim ad ipſam fidei Profeſſionem faciendam, non quidem ad recuperandos fructus amiſſos, ſed ad quærendos futuros. *Pariſius de reſignat. beneſic. lib.* 10. *qu.* 9. *num.* 13. Quia terminus duorum menſium à Concilio eſt præfixus non ad finiendam obligationem, ſed ad differendam pœnam. *Navar. conſ.* 4. *tit. de Sum. Trin. & fide Cathol.*

AD SECUNDUM CASUM.

8 *QUidam ſe accuſat in confeſſione noluiſſe credere reſurrectionem corporum futuram, quia licet de hoc fidei articulo fuerit admonitus, reputavit eam impoſſibilem in corde ſuo. Nunc tamen credere eſt paratus. Quæritur, an poſſit à quolibet Confeſſario abſolvi?* In primis lucullenter diſcuſſerunt, an per ſolam hæreſim in mente retentam incurrantur cenſuræ? & cum duæ ſint opiniones, ut docet *Azor. p.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *qu.* 3. Affirmativa antiquorum, & Gloſſæ *in Clem.* 1. *verb. eo ipſo incurrant. De Hæretic.* & Negativa modernorum, quæ communior eſt, *ex Simanca de Cathol. inſt. tit.* 42. *n.* 3. *&* 4. Ideò huic adhæſerunt, reſolventes, pœnitentem præfatum, qui tantùm in corde ſuo non credebat corporum reſurrectionem, poſſe à quolibet Confeſſario abſolvi *ex Layman. lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 14. Et hanc eandem opinionem ego tenui in meis Deciſionibus *de Pœnitentia Deciſ.* 44. *n.* 10. ubi DD. graviſſimos allegavi.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

9 *NOtentur irreverentiæ, quæ à populis committuntur in Eccleſiis. Et remedia pro iiſdem tollendis.* Diverſi diverſa ſcripſere, quæ ſequuntur. 1. Puerorum ſtrepitus. 2. Mulierum voculæ. 3. Amatorii geſtus. 4. Virorum multitudo in Januis. 5. Armorum delatio. 6. Adhæſiones altaribus, & ſedibus confeſſionum. 7. Genuflexiones imperfectæ. 8. Viri intuentes mulieres. 9. Garrulitas. *Remedia* harum irreverentiarum eſſe. 1. Quod Parochi in concionibus oſtendant Sanctitatem Templorum, & in eis eſſe ſummo timore, & tremore immorandum ob Dei præſentiam, Angelorum aſſiſtentiam, & Sacrificiorum excellentiam. 2. Quod allegentur exempla Regum, & Principum, qui in Eccleſiis ſummam reverentiam præſtitere, & exigere curarunt. 3. Quod ipſimet Turcæ, & Infideles templa ſua venerantur. 4. Narrentur punitiones, & flagella in contemptores Eccleſiarum. 5. Pœnæ, & Cenſuræ à Sacris Conſtitutionibus indictæ. 6. Mulieres ſtent diviſæ à virorum cœtu cum telis in Viſitationibus Epiſcopalibus præſcriptis 7. Infantes non deferantur tempore Miſſæ, pueri grandiores cuſtodiantur à Genitoribus, & doceantur ſilere, & orare. 8. Sæpè moneantur populi de reali præſentia Chriſti Redemptoris in Euchariſtia. 9. Colligantur Scripturæ, & Patrum teſtimonia ſuper reverentia Templorum. 10. Et in confeſſionibus Parochi agant de hoc, ut pœnitentes doleant de patratis irreverentiis, & ſe emendent. Legant Parochi Quadrageſimale P. Pauli Segnerii Soc. Jeſu *Concione XXIII.* in qua tractat eleganter, & doctè de reverentia præſtanda in Eccleſiis cum multis argumentis, hiſtoriis, & exemplis; nec non eundem Auctorem in *Chriſtiano Inſtructo p.* 3. *Diſc.* 4. per totum, ex quibus locis ipſi Parochi deſument materiam diſſerendi cum fructu de hoc caſu ad ſuas plebes.

DECISIO QUARTA.

ARGUMENTUM.

Diſſeritur de Spe, & de Charitate erga Deum. Quæ ſint peccata contra has virtutes? Quo tempore actus earum ſint eliciendi? An peccent, qui ſemper ſtare vellent in hoc mundo; & qui dum infirmantur, nolunt medicinas? Tandem de remediis pro extirpandis Choreis, ac Saltationibus.

SUMMARIUM.

1. *Spei definitio, & ejus encomia.*
2. *Peccata contra Virtutem Spei duo, & quæ?*
3. *Spei in Deum actus quando ſint eliciendi?*
4. *Charitatis in Deum definitio.*
5. *Charitas in Deum quot peccatis offendatur?*
6. *Charitatis actus in Deum quo tempore eliciendi?*
7. *Vivere ſemper velle in hoc mundo an ſit peccatum?*
8. *Medicinas recuſare in infirmitate an ſit peccatum?*
9. *Choreæ, ac Saltationes quibus remediis à Parochis retrahendæ?*

Ad infraſcripta Quæſita, & caſus DD. Parochi, & Confeſſarii dixere.

AD Primum. *Quid ſit Spes?* Alii, quod eſt inclinatio ad futuram beatitudinem, Dei auxilio conſequendam. *Ex Toler. lib.* 4. *c.* 7. *n.* 1. 1 Alii, quod eſt Virtus infuſa, ac Theologica, per quam à Deo ſperamus vitam æternam omnibus mediis neceſſariis. *Ex Reginald. tom.* 2. *lib.* 1. *tr.* 2. *cap.* 6. *num.* 75. Alii, quod eſt expectatio certa beatitudinis ex Dei gratia, & noſtris meritis. *Ex Mag. Sent. in* 3. *diſt.* 26. Alii in laudanda ſpe ſe extendentes variis Epithetis eam appellarunt, præcipuè, Baculum hujus peregrinationis, juxta illud *Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Pſal.* 21. Umbraculum diei ab æſtu. *Iſa.* 4. Et calceum, ſymbolum poſſeſſionis, & dominii, ut mos erat apud Hebræos; *Ruth.* 4. 7. Ideò Filio prodigo revertenti datus eſt, juſſu Patris, annulus, calcei, & ſtola prima, id eſt dona fidei, ſpei, & charitatis; ut *Marchant. lib.* 2. *tract.* 1. *lect.* 1. *de Spe.*

Ad Secundum. *Quæ, & quot peccata contra hanc virtutem?* Concordarunt omnes, eſſe duo, *Præſumptionem, & Deſperationem.* 2 Præſumptio eſt, cum quis confidit conſequi gratiam, & gloriam, vel ex ſeipſo tantùm, vel ex ſola miſericordia Dei, ſine ſui ipſius cooperatione. Deſperatio eſt, cum quis tenet, Deum vel nolle, vel non poſſe ei gratiam, & gloriam conferre. Et utrumque peccatum, ſi ſit cum errore intellectus, & pertinacia, unitum eſſe hæreſi, & hanc circumſtantiam eſſe in confeſſione aperiendam. *Ex Abelly in medulla Theol. p.* 2. *tract.* 2. *cap.* 4. *ſect.* 1. §. 2. *& Tambur. in Decalog. lib.* 2. *cap.* 2. §. 1.

Ad Tertium. *Quando ſint eliciendi actus Spei?* Diſtinxere. *Ut Præceptum negativum non deſperandi*, obligare ſemper, & ad ſemper. *Ut affirmativum ſperandi*, in tribus caſibus obligare ad actus Spei eliciendos. 1. Cum primùm adultus intelligit, ſe creatum à Deo pro æterna ſalute conſequenda. 2. Quando eſt facturus actum, cui neceſſaria eſt virtus ſpei, ut confiteri, contritionem agere. 3. Quando gravis tentatio deſperationis urget. *Abelly d. p.* 2. *ex Bann.* 2. 2. *q.* 22. *art.* 11. *dub.* 2. *ex Azor. p.* 1. *lib.* 9. *c.* 2. *q.* 6. Et mea Erotemata *cap.* 11. *num.* 4. 3

Ad Quartum. *Quid sit Charitas in Deum?* Alii
4 esse amicitiam hominis ad Deum supernaturalem. *Ex Toler. lib. 4. cap. 8. num. 1.* Alii esse Virtutem supernaturalem, qua Deum super omnia appretiativè diligimus. *Ex Tamb. in lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 1.*

Ad Quintum. *Quæ, & quot peccata contra charitatem Dei;* Alii,
5 quod tot sunt peccata contra Dei charitatem, quot sunt transgressiones Præceptorum, juxta illud *Jo. 14. 15. Si diligitis me, mandata mea servate.* Alii esse duo. *Unum*, omnium maximum, nempè *Odium Dei*, in quod cadunt impii, cogitantes Dei Justitiam punitivam culparum. *Alterum, Accidiam*, videlicèt tædium, & tristitiam bonorum operum, quæ opponitur charitati, cujus proprius effectus est gaudium in operibus spiritualibus. *Abelly in med. Theol. part. 2. Tract. 2. cap. 4. sect. 1. §. 3. ad finem.* Et mea Erotemata *cap. 12.* in quo plenè de hac virtute, & de vitiis ei oppositis.

Ad Sextum. *Quo tempore obligentur homines ad*
6 *eliciendum actum charitatis Dei?* Omnes difficillimam rem dixerunt cum *Navar. in man. c. 11. n. 7.* A pluribus plura relata sunt tempora: Videlicèt. 1. In initio usus rationis. 2. In fine vitæ. 3. Semel saltem in singulis mensibus. 4. Festivis diebus. 5. Adulti dum baptizantur. 6. In sumptione Eucharistiæ. 7. In martyrio. 8. Ubi magnum beneficium à Deo recipitur. 9. Quando quis impius auditur, Deum blasphemare. 10. Ubi gravis urget tentatio contra Dei amorem. Ita *ex Tamb. in Decal. lib. 2. cap. 3. §. 2.* Alii, quando agitur de Justificatione peccatoris, videlicèt de elicienda contritione, deficiente confessario. Ex *Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 4. q. 1.* Alii tandem, non reperiri præcisam obligationem eliciendi specificos actus amoris Dei, sed sufficere observantiam Divinorum Præceptorum, quia *Plenitudo legis est dilectio, Rom 13. 10.* Ita *ex Tamb. d. §. 2. num. 3.* At hæc opinio videtur damnata à Summ. Pont. Alex. Sept. *propos. prima*, & Innoc. XI. *propos. 5. 6. & 7.* Ex quibus tenere oportet, frequenter esse eliciendos actus charitatis in Deum, ut docent Cardin. de Laurea, & Cardinas, quos allegant mea Erotemata *d. cap. 12 num. 4.*

AD PRIMUM CASUM.

Quæritur, An peccent mortaliter, qui ultimum fi-
7 *nem ponunt in hac Vita, & vellent hic semper permanere, & nunquam mori?* Plurimi responderunt affirmativè. Studiosiores distinxerunt. Vel nunquam vellet mori, præferendo delicias hujus sæculi Visioni, & Fruitioni divinæ, & in hoc casu mortaliter peccaret. *Bon. in primo Decal. præcept. disp. 3. quæst. 4. par. 1. in fine.* Vel cuperet remanere semper in hac vita timore Judicii, & non peccaret mortaliter. *Castrop. & Sanchez*, quos citat, & sequitur *Tamb. d. lib. 2. in Decal. cap. 3. §. 1. n. 3.* Mea Erotemata *d. cap. 12. num. 6.*

AD SECUNDUM CASUM.

Quæritur an peccet infirmus, & cujus peccati sit
8 *reus, si respuat omnem medicinam, ea ratione, quia protestatur, se sperare in Deo, a quo sanari potest sine medicinis?* Alii peccare contra quintum Præceptum Decalogi, & esse reum suicidii, id est homicidii sui ipsius. *Nald. Verb. infirmus num. 1.* Alii, peccare contra Religionem tentando Deum. *Toler. lib. 4. c. 19.* Alii peccare contra spem, nisi excusetur in deliberatione, vel peculiari instinctu Spiritus Sancti. *Tamb. d. l. 2. cap. 2. §. 2.* & prædicta mea Erotemata *cap. 11. n. 7.* ubi alii Doctores.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quia Deus graviter offenditur in choreis, & sal-
tationibus, ideò notentur media, ac remedia, 9
ut retrahantur fideles à dictis saltationibus, & choreis. Super hoc data fuere sequentia. 1. Satagere, ut à Superioribus prohibeantur. 2. Monere auctores, & auctores chorearum, eos reddituros esse rationem Deo de omnibus peccatis, quæ ibidem committuntur. 3. Ostendere fidelibus, choreas esse à diabolo adinventas. 4. In ipsis sæpè sæpiùs honestatem puellarum periclitari. 5. Easdem choreas esse seminarium peccatorum, ob commotionem sensuum visus, tactus, & aliorum, & illas frequentantes esse in periculo damnationis æternæ; quia difficile est, videndo, non commoveri; tagendo, non aduri; vestitu non superbire. 6. Narrent exempla ex historiis Ecclesiasticis eorum, qui ob has saltationes fuerunt punita à Deo. 7. Legant Parochi Marchantium, seu Hortum Pastorum *lib 3. tract. 3. lect. 10.* ubi plures Doctrinæ, rationes, & auctoritates contra saltantes. Item legant S. Franciscum Salesium *Introduzione alla Vita divota part. 3. cap. 32.* Ubi optima documenta. 8. Demonstrent Parochi, deesse in choreis bonum utile, quia tempus, & pecunia consumitur; bonum honestum, quia inhonesta tractantur; & bonum delectabile; quia labor, incommoda, ac sæpè infirmitates è saltationibus prodeunt. 9. Habeant liberculum, cujus titulus. *Il Ballo promiscuo* Auctore *P. M. Benedicto Bovio* impressum *Taruisii anno 1670.* 10. Parochi incessanter arguant, obsecrent, increpent in suis sermonibus choreas. 11. Legant, & referant exempla *del Prato Fiorito, & Ex Sylva Historiali Jo. Baptistæ Matthioli* impressa Venetiis *apud Paulum Baleonium 1672.* in qua plurima, eaque luculenta reperiuntur *lib. 7. cap. 1. tit. 5. 12.* Occupatum teneant populum in Ecclesia, in oratione. 40. horarum, in recitatione Rosarii, in Verbo Dei audiendo, & in aliis piis exercitationibus, ne otiosus convolet ad choreas. Videant mea Erotemata *cap. 73. num. 24.*

DECISIO QUINTA.

ARGUMENTUM.

Declaratur primum Decalogi præceptum; quæ sint peccata Religioni opposita? Quid, & quotuplex sint Adoratio, ac Oratio? An liceat vendere Agnos cereos benedictos? Et nullam recitare in die Orationem? Dantur modi excitandi populum ad devotionem, & Orationem.

SUMMARIUM.

1. *Virtutes quænam sint exercendæ pro adimplendo primo præcepto Decalogi?*
2. *Peccata quænam sint contra primum Decalogi præceptum?*
3. *Adoratio quid, & quotuplex sit?*
4. *Oratio quid sit? & quotuplex?*
5. *Simonia est vendere Agnos Cereos benedictos.*
6. *Orationem ullam in die qui non recitat, an peccet?*
7. *Argumenta pro excitandis populis ad frequentiam Orationis.*

Ad

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quæ sint virtutes exercendæ pro* 1 *adimplendo primo Præcepto Decalogi?* Plurimi, Tres Theologales, quia de his in hoc præcepto DD. agunt. *Bonac. tom. 2. disp. 3. Reginald. tom. 2. lib. 2. cap. 1. usque ad 13.* At alii ad illas duas præcipuas se restrinxerunt, quibus Deus Opt. Max. veneratur, nempe *Adorationem, & Orationem. Tamburin. in lib. 2. cap. 4.*

Ad Secundum. *Quæ sint peccata opposita Vir-* 2 *tuti Religionis, & huic primo Præcepto Decalogi?* Ex diversis auctoribus diversa collegerunt; quæ omnia sunt, Superstitio, Idololatria, Magia, Divinatio, Vana observantia, Maleficium, Sacrilegium, Blasphemia, & Simonia. *Tolet. lib. 4. à cap. 13. usque ad 19. Reginald. tom. 2. tract. 4. capit. 14. Layman. lib. 4. tract. 10. capit. 8. Tamburin. in Decal. d. lib. 2. capit. 6.*

Ad Tertium. *Quid, & quotuplex sit Adora-* 3 *tio?* Esse actum, quo quis profitetur cognoscere, & colere excellentiam Dei; ideò *Deut. 6.* dictum est, *Dominum Deum tuum adorabis*, & Matth. 4. MAGI *procidentes adoraverunt* JESUM. Triplicem autem eam asseruerunt *ex S. Thom. 3. part. quæst. 25. Latriam*, qua adoratur Deus. *Hiperduliam*, qua Virgo Deipara. Et *Duliam*, qua Sancti adorantur. Adnotantes, quod per Latriam dupliciter adoramus Deum; primò per se, & ratione sui, & sic adoratur Sanctissima Trinitas, Christus Dominus, & Eucharistia. Secundò per conjunctionem ad Deum, & hoc modo per Latriam adoratur Humanitas Christi, Crux, & alia Instrumenta Dominicæ Passionis, quia licèt ex se non mereantur talem adorationem, tamen ut quid unum cum Christo, & relata ad ipsùm eadem adoratione Latriæ coluntur. *Suarez. tom. 1. in 3. p. d. 51. sect. 2. & Tamb. d. lib. 2. cap. 4. §. 1. n. 3.* Mea Erotemata *cap. 14.*

Ad Quartum. *Quid, & Quotuplex sit Ora-* 4 *tio?* Plures, easque elegantes definitiones adduxere. At præcipuè, quod *Oratio*, largè sumpta, *est elevatio mentis in Deum.* Propriè verò, *Oratio est petitio, quæ ad Deum, vel ad alium propter ipsum dirigitur, qua flagitamus bona nobis decentia. Thom. 2. 2. quæst. 83. Tamb. lib. 2. cap. 4. §. 2.* Duplicem autem eam dixerunt. *Publicam*, ut Horæ Canonicæ, Missa. Et *Privatam*, ut aliæ preces fidelium, quam subdiviserunt in *Vocalem*, & *Mentalem*. *Vocalis* est, quam ore exprimunt orantes. *Mentalis*, quæ mente agitur, & ejus duæ sunt species. *Ordinaria*, & *Extraordinaria*, illa *Meditatio*, hæc *Contemplatio*. Ordinaria, seu *Meditatio* est illa, quæ fit per considerationem quatuor extremorum, Passionis Dominicæ, pulchritudinis Virtutum, deformitatis vitiorum, relevantiæ salvationis æternæ; ut inde homo magis excitetur ad benè, sanctèque vivendum. Extraordinaria, seu *Contemplatio* est illa per quam anima à Deo elevatur, vel plenè, vel semiplenè extra sensus, & miro quodam modo in divinis eruditur, per internam Sancti Spiritus elocutionem, ut explicat *Lud. à Ponte Soc. Jesu in suis Medit. part. 1, in Introduct. à §. 1. usque ad §. 13. Rodriguez. in Exercit. perfect. part. 1. tract. 6. cap. 4.* Et mea Erotemata *c. 16.*

AD PRIMUM CASUM.

Quidam habebat Agnum Dei Cereum, benedictum à S. Pio Papa Quinto, & quia audivit eum esse magni valoris, & in multa æstimatione, illum vendidit quinque ducatis. Timet peccasse. Quæritur, an peccaverit, & possit absolvi? Responsum fuit, peccasse culpa Simoniaca. *Bonac. de Simon, disp. 1. qu. 4. §. 2. n. 6.* Et incurrisse excommunicationem latam à Gregorio XIII. de qua *Quarant. in Summ. Bull. verb. Agnus Dei, & Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 9. quæst. 1.* Sed posse absolvi, quia nulli dicta censura est reservata. *Barb. allegat. 50. num. 150.* Immò non incurrisse in excommunicationem, si de ea scientiam non habebat. *Thesaur. de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Agnus Dei limitat. prima.* Advertentes, quod non peccasset, si vendidisset ratione solius materiæ, ut contra Azorium tenet *Jo Ant. Novarius in Summ. Bullar. Comment. 3. num. 2.* De Virtutibus, quas habent Agni Cerei à Papa benedicti, videantur mea Erotemata *cap. 15.* 5

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam in Confessione exponit, se solitum nullam orationem dicere, sed à summo mane usque ad 6 *Vesperas negotiis domesticis vacare. Quæritur, an peccatum committat, & possit absolvi?* Varii varia scripserunt; Alii, non peccare, quia, Præceptum Divinum orandi non habet per se determinationem præcisam temporis, sed solum per accidens, ratione, vel boni acquirendi, vel mali avertendi. *Reginald. lib. 4. capit. 9. num. 75. Coton. lib. 1. controvers. 10. cap. uncio nu. 7.* Sed alii, & quidem securiùs, prædictum non orantem peccare, tùm ratione consuetudinis, qua quilibet, etsi impius, se Deo quotidie commendat, dicendo saltem *Pater, & Ave. Tambur. in Decal. lib. 2. cap. 4. §. 2. nu. 4.* tùm omissione medii adeò necessarii, secundum legem Dei ordinariam ad salutem consequendam; ut eruditè docet *Paulus Segneri Soc. Jesu* in aureo opusculo, cujus titulus *Il Penitente istruito cap. 13.* Et ideò non posse absolvi, nisi proponat emendationem. *Lessius libr. 2. cap. 37. dub. 3. num. 11.*

AD CASUM PRUDENTIALEM

NOtentur industriæ, modi, & remedia ut populus devotionem acquirat, & frequentet orationem 7 *tùm Vocalem, tùm Mentalem.* Adhunc concorditer omnes dixere. 1. Quod Parochi eum crebrò doceant utilitatem, & excellentiam orationis, de qua plenè apud *P. Alphonsum Rodriguez Esercizio di Perfezione part 1. tract. 5. per totum.* 2. Eam non esse causam mœstitiæ, mœroris, vel melancholiæ, sed gaudii, lætitiæ, & fructus, ut apud *P. Francisc. Stadier. Soc. Jesu* in libro *Inganni della Via Spirituale tract. 14. cap. 1.* & S. Francisc um Salesium *Introduzione alla Vita divota part 2. capite primo.* 3. Quod pueri instruantur de hac necessitate orandi præcipuè tempore Doctrinæ Christianæ. 4. Quod Parentes moneantur, se orantes præbere filiis suis, & secum illos mane, & Vespere recitare faciant pias preces ad Deum, Deiparam, & Sanctos. 5. Quod de hoc præcipuè interrogentur, & urgeantur in Confessionibus. 6. Quod discant homines, Deum *non longe esse ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus. Act. 17.* ideò ejus præsentiam Divinam attendentes, sciant promptè, & devotè orare. 7. Quod determinet unusquisque aliquam temporis partem

sibi

sibi magis liberam ad orandum; & in ea quotidiè fideliter oret. 8. Parochi explicent tot Sacræ Scripturæ oracula, quæ orationem, & devotionem commendant, 9. Narrent exempla Redemptoris, Apostolorum, & Sanctorum, qui enixè orationi vacarunt. 10. Legant Parochi Catechismum Romanum *part.* 4. *c.* 1. *&* 2. & nunquam cessent, excitare fideles, qui ideò indevoti, quia non redarguuntur, & non instruuntur.

DECISIO SEXTA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Divino officio, ac Horis Canonicis, & de iis, qui ad eas sunt obligati. An Canonicus Coadjutor obligatus sit recitare Divinum Officium, & ille qui habet beneficium? Monita pro recitando Officio Divino devotè.

SUMMARIUM.

1. *Officium Divinum quid sit?*
2. *Horæ Canonicæ à quibus sint recitandæ de præcepto?*
3. *Horas Canonicas, qui non teneantur recitare?*
4. *Regulares quinam sint non obligati ad Chorum?*
5. *Canonicus Coadjutor an debeat recitare Officium Divinum.*
6. *Beneficium tenue quale sit, ne obliget ad Horas Canonicas?*
7. *Remedia duodecim pro recitando Officio cum devotione?*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid sit Divinum Officium, seu Horæ Canonicæ?* 1 Esse certam orationem laudandi publicè Deum, & precandi mente, & voce, authoritate Præsulum institutam. *Bellarm. lib.* 1. *de bonis. operib. cap.* 10. Vel esse laudem Dei voce expressam per institutionem Ecclesiæ determinatam. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 1.

Ad Secundum. *Qui teneantur recitare horas Canonicas?* 2 Quatuor personarum genera, nempè Clerici Sæculares in Sacris constituti, Beneficiarii, Regulares ad chorum deputati, & Moniales. *Graffius p.* 1. *cap.* 10. *n.* 1. *Tamb. lib.* 2. *in Decal. cap.* 5. *num.* 2.

Ad Tertium. *An dentur Clerici Sæculares in Sacris, qui non teneantur recitare horas Canonicas?* 3 Ex pluribus DD. collegerunt, dari sequentes. 1. Dispensatum ex benignitate Pontificia ad Matrimonium. 2. Ordinatum de facto in Sacris, qui antea uxorem habebat, si ad eam cogatur redire. 3. Damnatos ad triremes, vel captivos infidelium. 4. Detentos in publicis carceribus, nec non capite damnatos. 5. Affectos infirmitate, vel maximo aliquo animi mœrore. Ita *Azor. Navar. Squillant. Castropal. Sà, & alii*, quos allegat, & sequitur *Tambur. d. cap.* 5. *num.* 4.

Ad Quartum. *An dentur Regulares professi, qui* 4 *non teneantur ad dictam recitationem?* Affirmarunt de Regularibus choro non addictis, quales sunt Patres Societatis Jesu, & Militarium ordinum, qui nisi in Sacris sint, vel beneficium Ecclesiasticum habeant, ad recitandas horas Canonicas non tenentur *Castrop. & Tambu. d. cap.* 5. *num.* 6. An autem omnes Regulares, qui non sunt in Sacris, & Moniales professæ teneantur recitare Divinum Officium extra chorum? Vide mea Erotemata *cap.* 17. *n.* 9.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Canonicus Coadjutor se accusat in confessione, qualiter illis diebus, quibus ad chorum 5 *non vadit Officium Divinum non recitat. Quæritur, an peccet, & sit alicui pœnæ obstrictus?* Processerunt cum distinctione. Vel talis Coadjutor habet aliquam partem fructuum beneficii, & non recitando officium, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. *Bonac. de Horis Canonic. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *num.* 13. Vel nullos fructus habet, & à culpa est immunis, atque à pœna, *Graff. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 50. *num.* 22. *Summa Dian. Verb. Horæ Canonicæ num.* 11. *Suarez lib.* 4. *cap.* 22. *num* 19.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam beneficiatus in confessione narrat, se non recitare Divinum Officium, quia ejus beneficium est 6 *tenue. Quæritur, an peccet? An sit alicui pœnæ obstrictus? Et quale reputandum sit beneficium tenue?* Quo ad peccatum, tres adduxerunt sententias. Negativam *ex Soto de Justitia, & Jure lib.* 10. *qu.* 5. *artic.* 3. ea ratione quia, qui de Altari non vivit, altari non tenetur servire. *capit cum Secundum Apostolum. De Præben.* Affirmativam, quod scilicet peccet, & teneatur restituere fructus. *ex Bonac. de Horis Canonic. disp.* 10. *quæst.* 2. *part.* 4. *num.* 17. ex pluribus rationibus ibi allegatis Mediam, quod non peccet, si recitet saltem diebus festis, & Dominicis; prout *ex Lessio, & Maldero* notat *Coton. in Summ. Dian. Verb. Horæ Canonicæ num.* 7. Cæterùm in Curia Patavina placuit affirmativa; quam tuetur *Pyrrh. Corad in paraxi dispensat. lib.* 4. *cap.* 2. *num* 53. firmans, hisce temporibus omne beneficium, quamvis tenue obligare ad Divinum Officium. Porrò circa tenuitatem, alii eam posuerunt in aureis octo *ex Soto ubi supra;* alii in aureis sexdecim *ex Sanchez in opusc. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 57. *num.* 5. Alii in tertia parte Ecclesiastici Patrimonii *ex Tamb. in dec. lib.* 2. *cap.* 5. *§.* 1. *num.* 25. quæ in hac Diœcesi erit in Ducatis tredecim cum dimidio circiter; eo quia admittuntur Clericis in Sacris Patrimonia ducatorum quadraginta *ex Synod. Patav. p.* 1. *c.* 16.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quia plures Ecclesiastici committunt graves negligentias in recitatione horarum Canonicarum, notentur 7 *modi, & remedia, ad recitandas cum Devotione.* Pro executione dixere. 1. In initio cujuscunque horæ reflectendum ad ejus significatioem; nam, ut scribit *Tolet. lib.* 2. *cap.* 11.

Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis; dat Causam Tertia mortis.
Sexta Cruci nectit, latus ejus Nona bipertit.
Vespera deponit, Tumulo Completa reponit.

2. Recitare non ex usu, sed pia in Deum mente. 3. Eligere locum, & tempus opportunum. 4. Nolle in curas exteriores advertenter advertere. 5. Non cursim, & rapidè, sed debito sonu, & distantia Psalmos, & lectiones legere. 6. Attendere tûm ad literalem, tum ad mysticum sensum. 7. Scire, se ad Dei præsentiam, & ejus laudes profari, quod est munus Angelorum, juxta illud *Ps.* 137. *In conspectu Angelorum psallam tibi,* 8. Non memoriter, sed ex Breviario legendo recitent. 9. Recordentur, scriptum esse,

Male-

Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter. Jer. 48. 10. Recogitent, idem esse non recitare, ac sine attentione recitare, & cum negligentia, nam in utroque casu est culpa gravis, & obligatio restituendi fructus. *Navar. de Orat. cap.* 20. *num.* 32. 11. Legant Toletum in summa *lib.* 2. *cap.* 13. & ibi *additiones.* Et Novissimè opus Illustriss. Episc. Pompei Sarnelli inscriptum *Specchio del Clero Secolare* impressum Neapoli anno 1678. ubi *tom.* 1. agit de Divino Officio *à pag.* 191. *& seqq.* Item Meditationes Busei *tom.* 2. *de Dignitate, & Virtutib. Sacerdotum Medit.* 14. 12. In fine cujusque Psalmi ad Vers. *Gloria Patri &c.* elevent mentem in Deum.

DECISIO SEPTIMA.

ARGUMENTUM.

Dantur definitiones, & divisiones Superstitionis, Idololatriæ, ac Magiæ. Referuntur superstitiones Mulierc ularum, & Alchimistarum. Deinde remedia pro eliminandis superstitionibus.

SUMMARIUM.

1. *Superstitio quid sit? & Quotuplex?*
2. *Idololatria quid, & quotuplex sit?*
3. *Magia quid sit? & Quotuplex?*
4. *Mulierc ularum superstitiones quædam. Et an sint peccata?*
5. *Alchimiæ ars an sit licita?*
6. *Superstitiones quibus remediis eliminandæ?*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid, & Quotuplex sit superstitio?* Alii, esse falsam, seu vanam Religionem *ex* 1 *Tolet. lib.* 4. *cap.* 14. Alii, esse offensam factam Deo per cultum falsum, seu indebitum. *Ex Tamb. lib.* 2. *in Dec. cap.* 6. §. 1. *num.* 1. *&* 2. Eruditionum studiosi addidere, *ex Cic. lib.* 2. *de nativit. Deor.* esse sollicitudinem nimiam, qua homines angebantur immolantes, precantesque, ut filios superstites relinquerent. Vel *ex Lactant. lib.* 4. *div. Inst. cap.* 28. Sic dictum ex eo, quod homines relictis veteribus Diis colerent superstitem memoriam suorum majorum. Vel *ex Servio in* 8. *Æneid.* Superstitionem appellatam nimium timorem iræ Deorum superstantis. Omnes autem concordarunt, duplicem esse superstitionem. Unam *cultus falsi*, puta colere Deum per cæremonias Judaicas, vel Mahumetanas, vel per cantica Turpia, quæ semper est mortalis. *Tamburin. d.* §. 1. *num.* 2. & 3. *Salelles de S. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 14. *reg.* 11. Alteram *cultus indebiti*, quæ ex se est Venialis; at mortalis in tribus casibus. 1. Si sit mixtum pactum cum Dæmone. 2. Si gravis aliqua irreverentia fiat. 3. Vel magnus contemptus Rubricarum. *Tamb. d.* §. 1. *num.* 2. *Et in opusc. de sacrif. Missæ, lib.* 2. *cap.* 5. §. 1. Mea Erotemata *cap.* 19. ubi plura de ea.

Ad Secundum. *Quid, & quotuplex sit Idololatria?* Alii, esse Divini cultus erga falsum Deum exhi- 2
bitionem, *ex Tolet. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 2. Alii, esse actum adorationis, quo quis aliquid creatum colit, loco Dei. *Ex Salelles d. lib.* 1. *cap.* 14. *Reg.* 112. *num.* 21. *&* 22. & dici *Idololatriam*, quasi *Idolorum latriam.* Duplicem autem asseruerunt esse. Unam propriè sumptam, cum quis adorat idola, vel creaturas. Alteram impropriè, cum quis animo sic adhæret alicui vitio, ut videatur illud adorare. *Salelles d. reg.* 112. *num.* 21. Unde Apostolus de avaritia ait, *Quod est Idolorum servitus. Ephes.* 5. & de Gulosis. *Quorum Deus venter est. Philip.* 3. plura de hoc peccato in meis Erotemat. *cap.* 20.

Ad Tertium. *Quid, & quotuplex sit Magia?* esse 3
Artem, seu facultatem, vi creata, & non supernaturali, quædam mira, & insolita efficientem, quorum ratio sensum, & communem hominum captum superat. *Salelles lib.* 1. *reg.* 119. *Delrius disquisit. Magic. lib.* 1. *cap.* 2. ubi singula Verba definitionis explicat. Triplicem autem dixerunt *Magiam*, scilicet *Naturalem, Artificiosam, & Diabolicam.* Prima, & Secunda est licita, quia innititur Secretis Philosophiæ, seu virtutibus naturalibus herbarum, vel lapidum. Tertia est prohibita, quia ei inest pactum, vel expressum, vel tacitum cum Dæmone, ut exemplis latè demonstrat *Delrius. d. lib.* 1. *cap.* 2. 3. *&* 4. Et mea Erotemata *cap.* 21. ubi plura & utilia, & jucunda, scituque digna traduntur.

AD PRIMUM CASUM.

Quæritur, an peccent mulieres, quæ in die Sabbati nere recusant. In nocte S. Joannis Baptistæ herbas colligunt. Signant ad morbos fugandos cum prolatione aut verborum Sacrorum, aut inutilium. Et an Viri, qui nolunt inter tredecim convitatos ad mensam sedere? Plurimi doctè, & eruditè responderunt ad singulas casus partes, concorditer sentientes, omnes mortaliter peccare, superstitionis, & vanæ observantiæ vitio. *Ex Tamb. in Decal. lib.* 2. *cap.* 6. §. 1. *n.* 27. 28. *& seqq. Ex Joan. Tullio Embl.* 26. *& Marchant. lib.* 3. *lect.* 2. *Propos.* 1. Sed prædictos omnes excusari invincibili ignorantia *ex Azor. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26. *q. ult.* Vide prædicta mea Erotemata *d. cap.* 19. ubi plures alii casus superstitiosi. 4

AD SECUNDUM CASUM.

Cum Alchimia sit ars fundens metalla, ad ea in aurum transformanda. Quæritur, an dicta Ars sit licita? Ex longis, doctisque responsionibus, quibus DD. Parochorum & studium, & doctrina, & eruditio summoperè fuit commendata, colligitur, quod vel quærimus in foro fori? Et in hoc de Jure civili *Alchimia* non reperitur prohibita; sed vetita est de Jure Canonico *per Joan.* 22. *in Extravag. Spondent. De crimin. falsi inter commun.* Vel quærimus in foro Poli? & in hoc *Alchimia* est licita, servatis quatuor conditionibus, scilicet *Finis, Modi, Temporis, & Personæ.* Conditio *Finis*, ut Alchimia exerceatur non ob lucrum, vel avaritiam, sed honestam animi recreationem. *Modi*, ut absit omne pactum vel auxilium, tacitum, aut expressum cum diabolo. *Temporis*, ut nimium non insumatur, sed quantum licet honesto otio dare. *Personæ*, ut hæc non sit egena, sed locuples, ut discretè probat *Delrius d. l.* 1. *cap.* 5. *q.* 4. *Thesaur. de Pœnis Ecclesiast. p.* 2. *Verb. Falsum, c.* 2. & demonstrant mea Erotemata *c.* 22. ubi alii Doctores. 2

AD CASUM PRUDENTIALEM

Quæ sint remedia, & rationes à Parochis adhibenda, pro eliminandis superstitionibus, & vanis observantiis, quas Plebs exercet, & potissimùm in Villis? Notarunt Sequentia. 1. Quod Parochi doceant, earumdem auctorem esse diabolum *Ex Delrio lib.* 6. *in Anaceph. monit.* 4. 2. Referant exempla fraudum Dæmonum circa exercentes superstitiones, de quibus *Delrius lib.* 2. *quæst.* 12. 16. *&* 30. *Et Hieronymus Menghi in compendio Artis Exorcist.* 3. Quod superstitiosæ operationes, licèt videantur prodesse corpori, semper obsunt animæ, quæ 5

majoris valoris est, ut *ex Delrio lib. 6. & Marchant. lib. 3. tract. 3. lect. 2.* 4. Quod suadeant Parochi populum ad devotionem Sanctorum, quorum precibus, & meritis sentient se juvari. 5. Moneant, supernaturales operationes, quæ non sunt à Deo, procedere saltem ex tacito pacto cum Dæmone; & sic cum maxima injuria Creatoris. 6. Ostendant, Sanctos Viros abhorruisse semper vanas observantias, & superstitiones. 7. Eas ab Ecclesia semper fuisse damnatas, & pluribus in Diœcesibus, inter casus reservatos comprehensas. 8. Negandam absolutionem Sacramentalem illis, qui antea moniti non emendantur. 9. Injungantur iisdem Pœnitentiæ salutares, sed graves, 10. In concionibus, & sermonibus spiritualibus prædicent Parochi in detestationem superstitionum, & vanarum observantiarum, ut ab eis deterreant, & revocent plebes suas. 11. Moneantur Populi, ne statim remediis muliercularum credant, sed priùs de eis Parochum consulant, *ex Trullench. lib. 1. in Decal. c. x, dub. 11. num. 17.*

DECISIO OCTAVA.

ARGUMENTUM.

Exponitur quid, & quotuplex sit maleficium? Quæ circumstantiæ sint perquirendæ à Confessario circa hoc peccatum? Quæ censuræ latæ sint contra maleficos? Remedia præservandi filios à maleficiis.

SUMMARIUM.

1. *Maleficium quid, & quotuplex?*
2. *Maleficium amatorium quot modis fiat?*
3. *Maleficii Venefici species octo. Et quæ?*
4. *Maleficii circumstantiæ in Confessione exprimendæ.*
5. *Malefici quibus pœnis, & censuris de jure afficiantur?*
6. *Remedia duodecim præservativa contra maleficia.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid sit Maleficium?* Alii, esse 1
Magiæ speciem, qua quis ope Dæmonis alteri damnum parat. *Ex Delrio disquis. Mag. lib. 3. quæst. 1.* Alii, esse vim, & potestatem aliis nocendi ex pacto expresso, vel tacito cum Dæmone, ex *Tamburin. lib. 2. in Decal. cap. 6. §. 2. numer. 1.* Alii, esse artem nocendi aliis, Dæmonis potestate, ex *Tolet. lib. 4. c. 16.*

Ad Secundum. *Quotuplex sit Maleficium?* Plu- 2
res plura ex Delrio adduxere; sed præcisè respondentes convenerunt, esse Duplex *Amatorium, & Venesicum.* Primum fieri ad captandas delectationes carnales. Alterum ad damnificandum Proximum. *Delrius lib. 3. quæst. 1. & Tolet. d. lib. 4. cap. 16. num. 2. Amatorium* patrari duobus modis, vel in corpore per cibum, & potum maleficiis compositum: vel extra corpus per unctiones membrorum, vel appositionem rerum maleficarum in cubiculis, in lectis, in vestibus. *Delr. lib. 3. quæst. 1. Salelles de S. Inquis. lib. 1. cap. 14. reg. 122. num. 280.* ubi advertit, esse de fide, quod nullis philtris amatoriis ope Dæmonis potest voluntas hominis cogi ad peccatum. *Venesicum,* seu *hostile* fieri octo modis, & sic sortiri octo species subalternas. 1. Dicitur *Somnificum,* quo do- 3
mestici tanto somno opprimuntur, ut malefici commodè possint vel furari, vel filiolos opprimere. *Delr. d. lib. 3. quæst. 2.* 2. Dicitur *Fascinatio,* quædam mentis offuscatio, & est triplex Poetica, Philosophica, & Magica *S. Th. 1. part. quæst. 117.* & præcipuè fit reciproco oculorum intuitu. *Delr. d. lib. 3. cap. 4. sect. 1. Salell. d. reg. 122. num. 296.* 3. Dicitur *Venesicium,* quo damnificantur homines à Sagis, & strigis, vel per contactum, vel per tempestates, vel per sufflationes, juxta exempla relata per *Delr. ubi supra quæst. 2.* 4. Dicitur *Maleficium devovendi,* per quod Dæmones ingrediuntur corpora hominum ad eos vexandos, & de modo agit. *Delr. d. cap. 4. sect. 7.* & latiùs *P. Gaspar Schottus Soc. Jesu in sua Physica Curiosa lib. 4. de mirabilib. energumenor. per totum.* 5. Dicitur *Maleficium ligaminis,* quo sponsi fiunt inhabiles ad matrimonii consummationem, juxta *tit. Decretal. de Frigidis. & maleficiatis,* & patratur variis modis, de quibus *Delrius d. lib. 4. cap. 4. sect. 8. & Salelles d. lib. 1. cap. 14. reg. 122. num. 298.* 6. Dicitur *Maleficium odii,* cum maleficæ faciunt suis præstigiis, ut conjuges se odio habeant. 7. Dicitur *Maleficium oblivionis,* quo conjux retrahitur à memoria suæ uxoris, & adducitur ad adulteram. *Delrio ubi supra sect. 9.* 8. Dicitur *Maleficium incendiarium,* quo malefici igne consumunt domos, fruges, ac humana corpora, ut latè demonstrat. *Delrius ibidem sect. 10. Salelles d. reg. 122.* eruditè *Schottus in d. sua Physica Curiosa lib. 1. p. 2. cap. 21 & seqq.* & plenius mea Erotemata *cap. 25.* ubi DD.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Pœnitens se accusat in confessione de patrato maleficio. Quæritur, quas circumstantias debeat confessarius ab eo perquirere? Alii dixere tantùm tres 4
circumstantias. 1. Si fecerit pactum cum Dæmone, & habuerit commercium cum illo. 2. Si contra fidem peccaverit, illum adorando, vel Deum negando. 3. Quale damnum intulerit proximo, cui restitutio erit facienda? Ita *ex Tambur. de expedit. confess. libr. 2. capit. 2 §. 5. & in Dec. lib. 2. capit. 6. §. 1. num. 10.* Alii exactius scribendo notarunt septem circumstantias. 1. An inciderit in hæresim? 2. An pactum fecerit cum diabolo? 3. An illum adoraverit? 4. An res sacras adhibuerit? 5. An Deum negando à fide apostataverit? 6. An bona vel corpora offenderit? 7. An habeat libros, vel Instrumenta ad maleficia, quæ S. Inquisitionis officio sint deferenda? *Ita ex Bonac. tom. 2. disput. 3. quæst. 6. part. 5. & ex Marchantio lib. 3. tract. 3. lect. 2. Ex Salelles d. lib. 1. cap. 14. reg. 122. num. 260. & seqq.*

AD SECUNDUM CASUM.

Quæritur: an committentes maleficia sint aliqua censura ligati, & an possint à quolibet confessario ab- 5
solvi? Præmiserunt: In foro exteriori contra maleficos inflictam esse pœnam mortis. *l. 3. Cod. de malefic.* aut alias corporales juxta qualitatem maleficiorum. *Farinac. de Delict. & pœn. quæst. 20. num. 89. Laurentius Prior in Praxi Crimin. Veneta Verb. Sortilegio pag. 124.* In foro autem interiori, si malefici inciderint in hæresim, ligatos esse excommunicatione Papæ reservata per Bullam *Cœna Domini.* Quod si hæresim non contraxerint, possunt à quolibet confessario absolvi, quia nulla censura, saltem reservata, sunt affecti. *DD. apud Tambur. lib. 2. in Decal. c. 6. §. 2. num 14. & 15. & Thesaur. de pœnis Eccles. part. 2. Verb. Superstitio cap. 1.* Excipiendam tamen esse reservationem Episcopalem, in quibus Diœcesibus reperiatur, ut latiùs demonstrant mea Erotemata *d. c. 25. à n. 21. & seqq.*

AD

AD CASUM PRUDENTIALEM.

6 *QUæ remedia, & monita daturus sit Parochus populo suo, ne filii, & filiæ Philtris, seu maleficiis offendantur?* Scripsere. 1. Quod Parentes doceant filios, & filias Dei timorem. 2. Quod recentes natos sollicitè curent baptizari. 3. Infantes orationes instruant, & se sacro Crucis signo munire. 4. Adolescentes, ut Doctrinam Christianam discant, diligenter curent. 5. Quod Missæ sacrificium devotè audiant, non solùm diebus festis, sed si possunt, etiam feriatis. 6. Speciali cultu venerentur Deiparam Virginem, Angelum Custodem, & Sanctos. 7. In ætate debita constituti frequentent Sanctissima Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. 8. Moneant eos se exercere in operibus Pietatis Christianæ, quia *pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, jejunia &c.* ut dicebat, & docebat *S. Antonius Abbas.* 9. Deferant reliquias Sanctorum, Agnos benedictos, Cereos, cum fide, & fiducia divini tutaminis. 10. Signent se mane, & sero Aqua benedicta, & præcipuè cum è lecto surgunt, & dormituri recumbunt. 11. Invocent sæpè sanctissima nomina JESUS, & MARIÆ. 12. In concionibus, & sermonibus ipsi Parochi piè, & doctè moneant, & hortentur genitores, ut à peccatis abstineant, præcipuè à blasphemiis, perjuriis, fraudibus, & injustitiis; ac filios, & filias, ut caveant ab inobedientia parentum, à verbis obscœnis, à mendaciis, & furtis, siquidem flagitia, & peccata sunt in causa, cur Deus permittat, homines per maleficia à Diabolo offendi, ut auctoritatibus, & exemplis demonstrat *Martinus Delrius dict. lib. 3. quæst. 7. sect. 1.* & luculenter *P. Gaspar Schotus* in prælaudata sua *Phys. Curiosa lib. 4. cap. 14.*

DECISIO NONA.

ARGUMENTUM.

Exponitur quid, & quotuplex sit Sacrilegium? Qui possint absolvere sacrilegium percussorem Clerici? An sit sacrilega delectatio turpis, dum peragitur res Sacra? Quibus mediis concilietur obsequium erga Ecclesiasticos?

SUMMARIUM.

1. *Sacrilegii definitio.*
2. *Sacrilegii Species, ac divisio.*
3. *Clericorum percussores à quibus absolvendi?*
4. *Percussio alia levis, alia gravis.*
5. *Episcopus absolvit percussores Clericorum in XVII. casibus.*
6. *Concupiscere fœminam, dum agitur res Sacra, an sit sacrilegium?*
7. *Ecclesiastici quibus mediis venerentur à laicis?*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

1 AD primum. *Quid sit sacrilegium?* Alii, esse omne peccatum contra virtutem Religionis, quasi *Sacri læsionem. Summ. Dian. Verb. Sacrilegium.* Alii, esse violationem rei sacræ. *Busemb. lib. 3. c. 2. dub. 2. & ex S. Thom. 2. 2. q. 99. art. 1.* Alii, esse rerum sacrarum furtum. *Ex Azorio p. 1. lib. 9. cap. 27. quæst. 1.*

2 Ad Secundum. *Quotuplex sit Sacrilegium?* Concordarunt omnes, esse Triplex, *Personale, Locale, & Reale*, quia committitur vel contra personas sacras, vel loca, vel res sacras. *Azor. & Busemb. ubi supra. Tambur. in Dec. lib. 2. cap. 6. §. 3.* At quamcunque speciem subdividi, in Sacrilegium mentale, & explicitum. Item in Formale & objectivum. Item in Simplex, ut si persona sacra rem habeat cum laica; & Duplex, ut si persona sacra se commisceat cum sacra. *Caramuel in Theol. fundament. l. 1. fund. 45. num 1029. & l. 2. fund. 57. num. 1075.* & plenissime mea Erotemata *à cap. 26. cum septem seqq.* in quibus de omnibus Sacrilegiis disseritur.

AD PRIMUM CASUM.

QUidam percussit Clericum. Quæritur, á quo sit absolvendus? Præmiserunt omnes, quod contra percussores clericorum lata est excommunicatio *in cant. Si quis suadente diabolo. 17. q. 4.* quæ est reservata summo Pontifici, ut notat *Barbos. ibid.* & docet *Thesaur. de pœnit. Eccles. p. 2. Verb. Injuria cap. 2. n. 1.* 3

Deinde circa propositum casum distinxerunt. vel percussio fuit gravis, vel levis? Si 4 fuit levis, potest absolvi ab Episcopo. *cap. pervenit, ubi DD. De Sent. Excom. Antonell. de Regim. milit. Eccl. lib. 8. cap. 1.* Quando autem dicatur levis? attenduntur circumstantiæ locorum, temporum, modi percussionis, & ipsius læsionis. *Bellettus de favore Cler. can. §. 3. num. 34. Antonell. d. lib. 8. cap. 5. num. 3.* Si verò percussio fuit gravis, solus Papa absolvit, seu Delegatus ab illo; nisi percussio sit secreta, vel facta sit à Monialibus vel à clericis collegialiter viventibus, vel ab officiali Principis in reprimenda turba, vel ab habente legitimum impedimentum, quo non possit ad Sedem Apostolicam accedere; nam in prædictis casibus potest absolvere Episcopus, licèt percussio fuerit gravis. *Thesaur. d. p. 2. Verb. Injuria c. 2. Antonell. d. lib. 8. c. 5.* Proindè alii ex Summa Sylvestrina *Verb. Absol. 4.* transcripsere hæc carmina; quæ 5 continent casus decem, & septem, in quibus Episcopus absolvit etiam in percussione gravi, videlicèt.

Regula, Mors, Sexus. Hostis, Puer, Officialis,
Delitiosus, Inops, Æger, Senexque, Sodalis,
Janitor, Adstrictus, Dubius, Causæ, Levis ictus.
Debilis, absolvi sine summa Sede merentur.

1. *Regula;* ideò si Regularis verberet Regularem. *cap. Monachi 2. De sent. excom. 2. Mors,* ideò in articulo mortis omnis excommunicatus potest absolvi *c. Non dubium 5, eod. 3. Sexus,* ideò mulieres *c. Mulieres 6. eod. 4. Hostis.* Ideò. si percussor habeat capitales inimicitias, quibus impediatur ire Romam. *cap. De catero 11. Et c. Ea noscitur 13. eod. 5. Puer.* Ideò, qui nondum pervenit ad pubertatem, *c. 1. & cap. ultim. eod. 6. Officialis;* qui arcendo turbam casu, sed cum aliqua culpa, clericum percussit. *cap. Siverò il 1. de sent. excom. 7. Delitiosus;* ideò multum potens, & delicatus. *d. cap. Mulieres. 6. & ibi glos. in Verb. Laborem eod. 8. Inops,* ideò qui suis manibus, & sudoribus vivit. *cap. Quod de his. 26. eod. 9. Æger,* ideò infirmus morbo longo, vel periculoso. *d. c. Quod de his. 10. Senex,* ideò major annorum 70. *cap. Quamvis 58. eod. 11. Sodalis,* ideò si clerici collegialiter viventes se percutiant. *cap. Quoniam 9. de vit. & honest. cler. 12. Janitor;* Ideò Ostiarius, si repellendo turbam percutiat clericum. *d. c. Si verò 3. eodem 13. Adstrictus,* ideò qui non est in sua, sed in alterius potestate, & servitute. *cap. Relatum, 37. de sentent. excom. 14. Dubius,* cum scilicet quis est diffamatus de percussione, licet non convictus. *capit cum desideres 15. eod. 15. Causa.* ideò qui habet legitimam causam, scilicet impedimentum, non eundi Romam. *d. cap. Quod de his 26. eod. 16. Levis ictus;* ideò qui leviter percussit. *d. capit. Pervenit 17. eod. tit. 17. Debilis,* ideò cæcus, vel claudus, vel membra habens

bens debilitata. *d. cap. Ea noscitur* 13. *eod.* Hi omnes possunt absolvi sine summa sede, id est sine recursu ad Summum Pontificem ab Episcopo, vel si sint regulares, à suo Prælato, ut latiùs declarat, & probat *Sylvester d. Verb. Absolutio* 4. *Bellettus de favor. cler. can. d. part.* 1. *§.* 3. & exactè docent mea Erotemata *c.* 27. *à n.* 12. *& seqq.*

AD SECUNDUM CASUM.

6 *QUidam Religiosus, dum Sacrum facit, vel baptizat, intuetur fœminam, & eam concupiscit ad malum finem. Quæritur quale peccatum committat; & an hæc circumstantia temporis sit aperienda in confessione?* Omnes concorditer responderunt, committere, ratione sui, peccatum Sacrilegii; ratione autem Sacrificii, vel Sacramenti peccare irreverentia gravi contra Religionem. An autem hæc circumstantia temporis littandi, vel baptizandi sit in confessione aperienda? Alii negarunt ex *Dianæ* opinione *tom.* 1. *coordin. tract.* 7. *resol.* 66. Sed alii, & quidem securiùs, affirmarunt *ex Trullench. lib.* 1. *Dec. c.* 10. *dub.* 15. *n.* 8. nihil relevante Dianæ opinione, qui loquitur de concupiscente in recitando Divino Officio, cujus irreverentia non est ita gravis, & peculiaris, ut in celebrante, vel baptizante, ut notat *Tamb. de exp. Confess. l.* 2. *cap.* 7. *§.* 5. *n.* 38.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

7 *QUibus mediis fiet, ut laici venerentur Ecclesiasticos, & obsequantur?* Dixere 1. Si Ecclesiastici sint moribus ornati, vitamque ducant exemplarem. 2. Si fugiant domesticas laicorum conversationes. 3. Si omninò abstineant à quacunque temporali negotiatione, mercatura, vel intereſse cum iisdem laicis. 4. Si pii, & liberales sint in eleemosynis faciendis, & sublevandis pauperum necessitatibus. 5. Si sæpè in concionibus agant de Dignitate Sacerdotali, & excellentia Status Religiosi. 6. Si referant exempla Principum, & Sanctorum, qui adeò Clericos, & Sacerdotes honorarunt, utpotè S. Francisci dicentis, se priùs salutaturum Sacerdotem, quam Angelum, si utrumque simul obvium haberet. 7. Si divinis oraculis Sacræ Scripturæ id probent. 8. Si argumenta hujus rei desument ex Victorello *in addit. ad Tolet. lib.* 4. *c.* 1. *&* 2. 9. Si Ecclesiastici in omni virtutum genere lucere curabunt, & non tam menti, quàm cordi eorum insit, quod

Sacra parans Domino sit Prudens, Sanctus
& ipse,
Charus, conjunctus religione, Sciens.

Quos versus declarat *Lud. Abelly.* in liberculo, cujus titulus *Sacerdos Christianus p.* 3. *cap.* 12. Si assiduè, & attentè legerint, & meditati fuerint, quæ scripta sunt de dignitate Sacerdotum per *P. Antonium Molinam Cartusianum* denuò impressum Venetiis *apud Baleonium anno* 1674. & per *P. Joseph Manssi* in libro inscripto *Il Vero Ecclesiastico* impresso Romæ anno 1673. Et novissimè, quæ typis mandata sunt ab Illustrissimo Episcopo *Pompeo Sarnelli* in suis operibus, tribus tomis distinctis, quorum titulus *Spechio del Clero Secolare*, impressis Neapoli *nu.* 1678. 11. Si temperantiam in Victu, sobrietatem in potu; & modestiam in vestimentis servaverint, & potissimùm clericalem tonsuram, non in sola corona in vertice, sed in resissione capillorum, juxta Synodales Constitutiones, & Sacrorum Canonum præcepta. 12. Si in administrandis Sacramentis, in prædicatione Verbi Dei, in edocendis populis Christianam Doctrinam, vigiles, assidui, & ferventes fuerint; ita ut dubium esse non possit, eos quærere *non quæ sua sunt, sed quæ* JESU CHRISTI.

DECISIO DECIMA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Sacrilegio in loco sacro, quod fit per furtum, per exercitium Judicii sæcularis; per pollutionem Ecclesiæ, & aliis modis loco Sacro injuriosis. Diligentiæ, ut populus devotè interſit divinis Officiis.

SUMMARIUM.

1. *Sacrilegium in loco Sacro committitur quinque modis.*
2. *Furtum in Ecclesia cum ejus fractura, vel non, an differat?*
3. *Furari crumenam divitis in Ecclesia an sit sacrilegium?*
4. *Polluta an sit Ecclesia ob percussionem hominis sine sanguinis effusione?*
5. *Diligentiæ decem, ut populus interſit devotè divinis Officiis.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. *Parochi, & Confessarii dixere.*

AD Primum. *Quot modis committatur Sacrilegium in loco Sacro?* Concorditer, quinque modis committi. 1. Si auferatur res Sacra de loco Sacro, vel non Sacra si erat in loco Sacro tanquam in custodia, vel pro ejus servitio. 2. Si in eo exerceatur Judicium sæculare. 3. Si locus Sacer polluatur humano semine, vel sanguine. 4. Si in eo sepeliatur excommunicatus, vel infidelis. 5. Si loci Sacri immunitas violetur, extrahendo personas, quæ ibi confugerunt. Ita ex *Tamb. l.* 2. *in Dec. c.* 6. *§.* 3. *n.* 6. *Summa Dian. Verb. Sacrilegium.* Et mea Erotemata *cap.* 28. 1

Ad Secundum. *An sit differentia furari res sacras cum fractura Ecclesiæ, vel sine fractura?* Resposderunt omnes, hanc esse differentiam, quod furans in loco Sacro sine fractura, nullam incurrit censuram; sed qui cum fractura, incurrit excommunicationem latæ sententiæ *capit. Conquesti* 22. *Desent. excom.* quæ tamen ante denunciationem non est reservata, sed cum effractores fuerint ab Episcopo denunciati excommunicati, non possunt absolvi nisi à Papa. *Thesaur. de Pœn. Eccl. part.* 2. *Verb. Sacrilegium cap.* 3. *ubi D.D.* Et quæcumque effractio sufficit, vel in portis, vel in seris, vel in muris, vel in vectibus, vel in fenestris etiam vitreis, si eas impingens faciat cadere, vel cædere, aut vi aperiri. *Thes. ibid. cum Filiuc. & Suarez*, qui addunt, quod ad dictam censuram incurrendam furtum debet esse grave, id est attingens ad peccatum mortale; & oportet, rem ablatam esse vel ipsius Ecclesiæ, vel ad ejus usum deputatam. 2

AD PRIMUM CASUM.

3 *QUidam furatus est crumenam à latere divitis oratis in Ecclesia: Quæritur, an fecerit Sacrilegium, & teneatur circumstantiam loci Sacri explicare?* Negativam, & Affirmativam sententiam plurimi sunt amplexi, quia utramque gravissimi auctores defendunt. Primam, ideſt, sacrilegium non committi, neque circumstantiam loci in dicto casu esse explicandam tuetur *Sotus, Fagundez, & alii*, quas allegat, & sequitur *Diana coordin. to.* 1. *tract.* 7. *resol.* 154. Contrariam tenet *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 18. & *Suarez. de Religione to.* 1. *lib.* 3

lib. 3. cap. 4. num. 7. per tex. *in cap. Quisquis 21. 17. quæst. 4.* & hæc est securior, & in praxi tenenda; quamvis contraria sit communior apud modernos, ut docent mea Erotem. *d. c. 28. n. 7.* & demonstravi in meis Decis. *de Pœnit. decis. 27. num. 23. ubi DD.*

AD SECUNDUM CASUM.

4 *Quidam fuit in Ecclesia arenæ sacculis graviter percussus, & contusus; ita ut reversus obierit: nulla tamen in Ecclesia facta est sanguinis effusio. Quæritur, an Ecclesia sit polluta?* Alii dixerunt esse pollutam, alii negarunt. Primi adhæserunt *Marchino de Sacram. ordin. tract. 3. cap. 10. num. 7. Laymano lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 8. & Fagund. par. 1. lib. 3. cap. 14. num. 13.* Secundi secuti sunt *Suarez tom. 3. par. 3. disp. 81. sect. 4. cas. 1. Azor. par. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13.* & alios, quos allegat *Diana coordin.* cum illis sentiens *tom. 9. tract. 1. resol. 136.* Eò quia pollutio Ecclesiæ est pœna, quæ restringenda est ad casum mortis contingentis in ipsa Ecclesia. Cæterùm, licèt hæc opinio negativa sit probabilis, affirmativa est probabilior, nam quamvis homicidium consummatum sit extra Ecclesiam, nihilominùs causa mortis, & malitia completa homicidii consummata fuit in Ecclesia; & cum ipsius gravi injuria; & ideò in dicto casu Ecclesiam esse pollutam sustinet *Passerin. de Pollut. Eccles. disput. 5. cap. 4.* cum viginti doctoribus ibi allegatis, inter quos *Barbos. de offic. & potest. Episc. alleg. 28. n. 23. Jordan. Ep. Trag. to. 2. li. 11. tit. 3. n. 330. Antonell. de regim. milit. Eccl. lib. 1. c. 16. n. 6.* Et mea Erot. *c. 29. n. 3.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

5 *Quas diligentias adhibere debet Parochus, ut populus cum obsequio, & devotione interfit Divinis Officiis?* Dixere. 1. Quod ipsi Ecclesiastici cum devotione eadem Divina Officia peragant. 2. Quod ipsimet cantum Gregorianum addiscant, ut ejus usu populus ad pietatem, & obsequium Ecclesiæ incitetur. 3. Quod in concionibus populus moneatur; quanto timore, & tremore adstandum sit in domo Dei, & præcipuè tempore divinorum officiorum. 4. Quod Parochi sæpè declarent ovibus suis mysteria Sacrificii, & Missæ, ac ejus cæremonias, de quibus *apud Gavant. in Rubric. Missal. par. 2. tit. 16.* apud *Sperell. Ep. Eug. in sua Paræneti Taleturgica* impressa Venetiis *apud Baleonium* 1668. & apud *Dominicum Magrium in suo Hierolexico Verb. Missa.* Romæ & Venetiis impresso. 5. Ut singulis diebus festis Parochi post Vesperas recitent cum populo quinque mysteria Rosarii, illa legendo, seu explanando, nam valdè movent ad devotionem. 6. Legant Parochi, & observent quæ præcepta sunt. *par. 1. cap. 11. & 12. Synod. constit.* & monitum faciant populum de anathematis pœna ibi inflicta contra eos, qui in templo, dum Sacra fiunt, spatiari, deambulare, nugas agere, aut alio modo perturbare audent Officia Divina. 7. Colligant ex Ecclesiasticis Historiis pœnas, & flagella, quibus Deus punivit irreverentes in Templis. 8. Doceant, Ecclesiam esse domum orationis; & Christum Dominum ejecisse è Templo profanatores manibus suis, ut ostenderet maximam Deo injuriam fieri per eos, qui minùs devoti sunt in Templis. 9. Idipsum probare poterunt dictis, & Sententiis Sanctor. Patrum. 10. Tandem certos reddant fideles, quod si devoti, & obsequiosi fuerint, *quicunque Templum, beneficia petituri, ingredientur, cuncta se impetrasse lætabuntur.*

DECISIO UNDECIMA.

ARGUMENTUM.

Quomodo Ecclesia polluatur per effusionem sanguinis, ac seminis humani? & per sepulturam excommunicati, vel infidelis? Proponuntur casus duo de eadem materia, & dantur remedia, ut Ecclesiæ serventur cum nitore, & absque sordibus.

SUMMARIUM.

1. *Sanguinis effusio in Ecclesia quando eam polluat?*
2. *Seminis humani effusio quando polluat Ecclesiam?*
3. *Cadaver pueri non baptizati sepulti in Ecclesia an eam polluat?*
4. *Sacerdos celebrans quid agat, si ex rixa Ecclesia polluatur?*
5. *Remedia duodecim pro nitore Ecclesiarum servando.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quæ requirantur, ut Ecclesia sit polluta per effusionem sanguinis?* Requiri, quod effusio sanguinis procedat ex percussione violenta gravi, & injuriosa, facta homini in loco Sacro. *Ex P. Francisc. de Lugo l. 5. c. 6. q. 8. ex Petro Francisco Passerino in suo erudito Tract. de Pollutione Ecclesiæ disp. 5. & 6.* Et ex meis Decis. *de Sacrif. Missæ Decis. 40.* 1

Ad Secundum. *Quæ requirantur, ut Ecclesia sit polluta per effusionem seminis humani?* Requiri, ut effusio sit seminis humani; tam Viri, quàm fœminæ, tàm fidelis, quàm infidelis; peccaminosa, & publica. *Passerin. de Pollut. Eccl. disp. 3. cap. 12. & disp. 7. cap. 1. Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 15. num. 11.* Hinc si sit absque peccato, ut in dormiente, vel ebrio, aut occulta, aut brutorum, Ecclesia non polluitur. *D. D. ibidem, Graff. p. 1. lib. 2. c. 48. n. 6.* Et mea Erot. *c. 30.* ubi plenè. 2

Ad Tertium. *Quæ requirantur, ut Ecclesia sit polluta per sepulturam excommunicati, vel infidelis?* Requiri, ut ponatur in tumba, sepulcro, vel fovea, intra Ecclesiam, cadaver infidelis, vel excommunicati publicè denunciati, aut notorii percussoris clericorum: *cap. Ecclesiam 1. & 2. de consecr. dist. 1. cap. Consuluisti. 7. de Consec. Eccl. vel Altar. Passerin. disp. 8. cap. 5. cap. 1. cap. 7. 8. ubi plurimi D. D.* Erotem. *c. 31.* in quo plura exempla.

AD PRIMUM CASUM.

3 *Quidam parvulus obiit, antequam baptizaretur, ejus parentes precibus, vel pecunia obtinuerunt à Parocho, illum sepeliri in Ecclesia. Quæritur, an ipsa Ecclesia sit polluta?* Ferè omnes distinxerunt, vel parvulus ille non baptizatus erat filius infidelium; & in hoc casu polluta erit Ecclesia: Vel ejus parentes erant fideles; & Ecclesia non censetur polluta, ut sustinetur à *Pace Jordan. Episcopo Tragur. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 121. à Bordono Resol. Regular. tom. 2. resol. 89. num. 23. & à Passer. disp. 8. c. 21.* ubi tamen allegat D. D. pro contraria opinione, quam etiam probabilem dicunt Erot. mea *d. c. 31. n. 13.*

AD SECUNDUM CASUM.

4 *Sacerdos est ad Altare Sacrum faciens, dum ex abrupto orta rixa inter adstantes, unus vulneratur graviter, & Ecclesia polluitur. Quæritur, quid celebrans agere debeat?* Nemine penitus discrepante responderunt, vel Sacerdos littans in Altare incœperat Canonem Missæ; & eam prosequi debet, quia si decet Sacrificii substantialiter incœpti

reverentiam. Aut nondum Canonem incœperat; & debet statim discedere, quia Sacrificium non dicitur substantialiter incœptum, ut probat, & tenet *Passer.* quindecim Doctoribus citatis *Disput. 9. cap. 27. num. 4.* ubi idem statuit, si excommunicatus publice denunciatus, vel notorius clerici percussor veniret in Ecclesiam, & nollet ab ea exire. Et cum prædictis D.D. concordat *Rubrica Missalis par. 3. tit. 10. n. 2.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

5 *CUm plures Ecclesiæ teneantur sordidæ, & cum indecentia, notentur remedia ad hunc abusum tollendum.* Dixere. 1. In sermonibus monendos illos, ad quos spectat, Ecclesias decenter tenere, quod hac de causa veniunt ficcitates, & tempestates super frugibus terræ, teste Propheta *Aggæo cap. 1.* 2. Deputandum custodem diligentem, qui eas frequenter mundet. 3. Eumdem pecuniis fabricæ, vel eleemosynis decenti mercede, seu stipendio munerandum. 4 Ipsosmet Parochos satagere, ut munda sint Altaria, scamna, & parietes, ipsis enim hæc cura præcipuè censetur à Jure demandata. 5. Ad hunc effectum sæpè legant, quæ sunt ordinata in Synodalibus Constitutionibus *par. 1. c. 12.* 6. Considerent Rectores Ecclesiarum, se reddituros rationem Deo de earumdem nitore, & ideò tales se gerant, ut mortis tempore dicere possint: *Domine dilexi decorem domus tuæ. Psal. 25.* 7. Cogitent in se, & aliis prædicent, quanta reverentia tenebatur Templum Hebræorum, undè eo magis debent ornari Ecclesiæ nostræ, *ubi inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter Col. 2. 9.* 8. Parochi non sint avari in expensis faciendis pro ornatu Ecclesiarum, & eos pudeat, domi suæ habere suppellectilia pretiosa; Ecclesias autem permittere cum telis aranearum, vel tobaleis laceris, & immundis. 9. Meditentur, quod licèt Dominus vixerit cum omni humilitate, & paupertate, tamen Sacram Eucharistiam instituit *in Cœnaculo grande strato.* 10. Exequantur Parochi Decreta Visitationis. 11. Vicarii foranei non permittant eadem Decreta incassum iri. 12. Tandem legant omnes librum, cujus titulus *Il Vero Ecclesiastico lib. 2. cap. 10.*

DECISIO DUODECIMA.

ARGUMENTUM.

Declarantur effectus Pollutionis Ecclesiæ; functiones sacræ, quæ fieri non possunt in Ecclesia polluta; & pœnæ contra Sacerdotes illas facientes. An bona fides eos excuset? Et an pollutio Ecclesiæ extendatur ad cæmeterium? & è contra? Monita pro nitore suppellectilis Sacræ.

SUMMARIUM.

1. *Effectus tres Pollutionis Ecclesiæ.*
2. *Functiones Sacræ quæ sint prohibitæ in Ecclesia polluta?*
3. *Pœnæ Statutæ contra ministrantes Sacra in polluta Ecclesia.*
4. *Differentia inter Ecclesiam pollutam, & interdictam.*
5. *Reconciliatio Ecclesiæ pollutæ an resultet, ex sola Missæ celebratione bona fide in ea facta?*
6. *Pollutio Ecclesiæ an afficiat Cœmeterium, & è contra?*
7. *Suppellex Sacra quibus diligentiis nitida servetur?*

Ad Infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

1 AD Primum. *Qui sint effectus Pollutionis Ecclesiæ?* Esse tres sequentes videlicèt. 1. Quod Sacramenta ibi non celebrentur. 2. Quod Divina Officia ibi non persolvantur. 3. Et quod Ecclesiastica sepultura ibi non tradatur. Ita *ex Can. Ecclesiam. 1. & 2. De consecrat. distint. 1. cap. Is qui 18. de Sent. excom. in 6. cap. fin. De consecr. Eccl. vel Alt. cap. Unico eod. tit. in 6. cap. Tuarum 11. de Privileg.* omnia Jura allegat, & explicat *Passer de Pollut. Eccl. disp. 9. c. 1.*

Ad Secundum. *Quæ Sacramenta, vel functiones Sacræ fieri non possint in Ecclesia polluta?* Plures plura 2
scripsere, ex quorum opinionibus colligitur, quod quinque fieri non possunt in Ecclesia polluta. 1. *Missa*, nisi semel in hebdomada ad renovandas particulas consecratas pro Viatico infirmorum. *Ugolin. de offic. & pot. Episc. p. 2. c. 29. §. 7. num. 1. Jordan. tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 147.* 2. Administratio *Eucharistiæ*, nisi infirmis morti proximis pro Viatico. *Suarez de Censuris disput. 34. sect. 1. num. 31. & 32. Passer. d. disput. 9. cap. 20. num. 4.* 3. *Ordinis* Sacramentum, nisi in casu urgentis necessitatis. *Passerin. d. disp. 9. cap. 22. 4. Horæ Canonicæ*, & aliæ orationes publicæ, tanquàm ab Ecclesia ordinatæ. *Passer. ibid. capit 30.* Nonnulli ex hoc rectè collegerunt, non posse in Cæmeterio polluto decantari Responsoria, vel Dies iræ, aut Psalmos à Clericis cum Cotta, Stola, Pluviali, & Cruce; quia ut tales sunt Ecclesiæ Ministri, & illa censentur Officia Divina publica; & sic prohibita. Et 5. *Campanarum* pulsatio in his, quæ concernunt Officia Divina. *Covaruvias in c. Alma Mater p. 2. c. 4. §. 3. Passerin. d. disp. 9. c. 43. num. 2.* Quamvis servetur in praxi, ut in Ecclesia polluta fileant omninò Campanæ, etiam ad Salutationem Angelicam; ad majorem terrorem delicti pollutivi Ecclesiarum. Quibus stantibus à contrario manifestum esse dixerunt, licere in Ecclesia polluta administrare Sacramenta Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & Matrimonii, ut latè probat *Passerin. d. disp. 9 à c. 10. & sequentib.* ubi Canones, & Doctores cumulat.

Ad Tertium. *Quænam sint pœnæ statutæ contra Sa-* 3
cerdotes administrantes Sacra, quæ administrari non possunt in Ecclesia polluta? Censuerunt, duas esse pœnas statutas. Unam, peccatum mortale. *Passerin. disp. 10. cap. 1.* Nisi excuset levitas materiæ. *Idem Auctor ibid. cap. 3.* Alteram punitionem ad arbitrium Episcopi. *Jordan tom. 1. lib. 5. tit. 12. num. 144. Barbosa de Offic. & potest. Episcopi alleg. 28. num. 54. Passerin. d. disputat 10 cap. 5. num. 4.* ubi advertit, hanc esse differentiam inter celebrantes 4
in Ecclesia interdicta, & in Ecclesia polluta; quia in primo Casu celebrantes incurrunt suspensionem, & irregularitatem; at in secundo Casu, non incurrunt censuras, sed tantummodò mortaliter peccant, *juxta tex. in d. cap. Is qui. 18. De Sentent. excomm. in 6.*

AD PRIMUM CASUM.

QUidam Sacerdos bona fide celebravit in Ecclesia polluta. Quæritur, an censeatur ex hoc reconciliata? Ali- 5
qui affirmarunt, ducti exemplo Vestium, vel Calicis nondum consecrati, qui consecrantur sola Missæ celebratione facta cum ipsis; ut tenet *Diana coordin. tom. 2 tract. 1. resol. 174.* Sed studiosiores negarunt, defendentes, (& quidem optimè) ex sola Missæ celebratione, Ecclesiam non censeri reconciliatam, ea ratione quia reconciliatio pendet ex certa Verborum forma, & solemnitate ab Ecclesia instituta, ut advertit *Layman. l. 5. de Sacrif. Missæ cap. 5. num. 13. & The-*

de

de Pœnis Eccl. part. 2. Verb. Sacrilegium cap. 5. Vers. Adverte etiam, ubi respondet similitudini Calicis, & Vestium. Et mea Erotemata *cap. 31. num. 26.* ubi alii Doctores.

AD SECUNDUM CASUM.

6 *Quæritur, an polluta Ecclesia, censeatur pollutum etiam Cæmeterium? Et è contra polluto Cæmeterio, an sit polluta etiam Ecclesia?* Omnes cum hac distinctione responderunt: vel Cæmeterium est Ecclesiæ contiguum, vel est separatum. Primò Casu, si polluatur Ecclesia pollutum censetur etiam Cæmeterium? non autem è contra; quia polluto Cæmeterio, non censetur polluta Ecclesia. Secundo Casu, per Ecclesiæ pollutionem, nequaquam polluitur Cæmeterium ab ea divisum, & separatum. *Ita ex Graffio p. 1. lib. 2. c. 48. num. 29. & ex Passerino de Pollut. Eccl. disp. 2. c. 47.* Et est tex. *in c. unico. De Consecr. Eccl. in 6.* Erotemata mea *c. 29. n. 42. & n. 43.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

7 *Quibus diligentiis debeant Parochi uti, ad effectum servandi cum munditia, & nitore suppellectilia Sacra?* Dixere. 1. Quod Parochi completo Sacrificio, & Divinis Officiis non relinquant vestes sacras incomplexas super scamnis, sed statim benè plicatas reponant, vel reponere faciant in suis armariis. 2. Ad hunc effectum habeant armaria sufficientia, benè condita, cum suis clavibus, & benè claudantur. 3. Non admittantur quæcunque personæ ad Vestes sacras pertractandas, ferendas, & plicandas, ut potè rustici, sordidi, & minùs idonei; sed qui sciant cum munditia, & nitore eas plicare. 4. Parochi eas frequenter invisant, & lavare faciant tàm corporalia, & purificatoria, quàm mappas Altarium; & resarcire curent; quæ vetustate deficiunt. 5. Reponant in suppellectili Sacra flores, & herbas odoriferas, nempè rosas siccas, & lavandulas, quibus & nitida, & benè olens reperiatur. 6. Bis singulis annis Altaria post Missam usque ad Vesperum spoliata relinquantur, ut ficci aeris beneficium sentiant, & undequaque mundentur. 7. Mappæ, & pallia mutentur frequenter, & quotidiè arundinea scopula leviter purgentur, prout etiam Icones & Tabernaculum Sanctissimæ Eucharistiæ. 8. Teneatur in gradibus Altaris Arcula ad sputum excipiendum, quæ purgetur octavo saltem quoque die. 9. Candelabra, Cruces, Thuribula, & reliqua suppellex argentea, quantum fieri potest, manibus nudis ne contrectetur; sed panno adhibito, & sæpe à pulvere extergantur leniter, adhibito molli, & lineo panno. 10. Calices, & patinæ semel in mense levi manu aqua tepida laventur, & semel in anno calida lixivia, & sapone molliori. 11. Candelabra, & Cruces ex aurichalcho quarto quoque mense diligenter abstergantur pulvere puniceo, vel ut vulgò dicitur cum *gripola*, seu uvis agrestibus, & panno asperiori fricentur; & soli siccanda exponantur. 12. Lampades vitreæ quintodecimo quoque die furfure, & aqua calida abstergantur. 13. Urceoli, & peluiculæ purgentur, & laventur quotidiè. 14. Linea omnia, id est Albæ, Amictus, Cinguli, Superpellicea, Mappæ, Purificatoria, Corporalia, Lintea ad manus abstergendas laventur separatim ab indumentis domesticis, & custodiantur in propriis armariis, & frequenter mutentur. 15. Præcipuis solemnitatibus omnia munda, & pulchriora adhibeantur. 16. Quotidie finitis Missis Mappæ Altarium contegantur stragulis suis, 17. Pluvialia, & alia, quæ rarò adhibentur, quandoque in sereno Cœlo explicata exponantur, ne fortè mucescant, vel malè oleant. 18. Meminerint Parochi, & Rectores Ecclesiarum Sacram suppellectilem in Sacris Scripturis Sanctam vocari; ideò omni cura, & diligentia esse colendam, & ex consortio Corporis, & Sanguinis Domini sublimi Majestate esse venerandam; propterea severè puniendos à Christo Domino desides, & pigros in hac custodia. 19. Curent omnes adimplere Decreta Visitationis EMINENTISS. PRÆSULIS, quæ tangunt præsentem materiam. 20. Tandem legant, quæ scripta sunt de Nitore, & Munditia Sacræ suppellectilis à *Bart. Cavanto post Comment. in Rubric. Missalis par. 5. pag. 262. & ab Illustrissimo Episcopo Pompeo Sarnello Specchio del Clero Secolare tom. 1. pag. 13. & tom. 2. pag. 31.* ubi & de Mysteriis ejusdem Sacræ Suppellectilis, & de modis eam custodiendi latiùs pertractatur.

DECISIO DECIMATERTIA.

ARGUMENTUM.

Agitur de Immunitate loci Sacri, & de securitate Reorum ad Ecclesiam confugientium. Quo Jure sit introducta. Quæ loca gaudeant hac immunitate: Quæ delicta sint excepta: Quæ pœnæ inflictæ contra violantes illam: Casus duo de delinquentibus in Ecclesia, & an gaudeant ejus immunitate: Remedia pro temperantia Ecclesiasticorum in cibo, & potu.

SUMMARIUM.

1. *Immunitas loci Sacri in quibus consistat:*
2. *Quo jure sit introducta, & n. 5.*
3. *Jus Divinum duplex positivum & naturale.*
4. *Exempla, & Historiæ antiquissimæ de Immunitate loci Sacri.*
6. *Papa an dispenset in Jure Divino naturali?*
7. *Loca quatuordecim, quæ gaudent Asyli privilegio.*
8. *Delicta octo, quæ non gaudent immunitate Ecclesiæ.*
9. *Pœnæ contra violantes immunitatem loci Sacri.*
10. *Occidens hominem stans intra, vel extra Ecclesiam, an gaudeat immunitate loci Sacri?*
11. *Iræ calore, qui facit homicidium in Ecclesia, an sit securus in illa?*
12. *Temperantia Ecclesiasticorum in cibo, & potu quibus mediis obtinenda.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid sit Immunitas concessa locis sacris, pro personis ad ea confugientibus?* Omnes in hanc convenerunt responsionem; Quod sit Privilegium concessum Ecclesiis, & Locis sacris, ut Rei ad ea confugientes per vim extrahi non possint. *cap. nullus, & cap. si quis 17. quæst. 4. cap. inter alia & cap. Ecclesia. De Immun. eccles.* & *Bulla* GREGORII PAPÆ XIV. *de anno 1591.* Quæ est septima in Bullario, & legitur apud *Pacem Jordanum tom. 2. lib. 11. tit. 3. num. 1.* Et de ea Erotemata mea *c. 32.* 1

Ad Secundum. *Quo jure sit introducta hæc Immunitas.* Non pauci juxta opinionem *Laymani lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 1. & Bonacinæ in primo Decal. Præcept. disputatione 3. quæst. 7. punct. 2.* dixerunt, eam esse de Jure humano. Cæterum Doctissimi Sacræ Theologiæ, & Juris utriusque Doctores plurimi in hac Patavina Diœcesi animarum curam 2

geren-

gerentes, & Confessariorum munus exercentes, constanter scripserunt, Immunitatem loci sacri esse introductam de Jure Divino. Ad quam Veritatem demonstrandam, Juris principia repetentes, notarunt: Jus Divinum aliud dici *Positivum*, datum scilicet vel in Scriptura sacra, vel in Evange-
3 lio; & aliud *Naturale*, quod est inditum à Deo humanis mentibus ad discernendum bonum à malo *c. 1. dist. 1. Molina de Justitia, & Jure tom. 1. tr. 1. dis.* 3. Hoc autem Jus Divinum *Naturale*, sic appellatum à Theologis, idem est, quod Jure consulti vocant *Jus gentium Primævum*, quatenùs innititur non ratione Politica (nam secundarium illud appellant, & ejus effectus sunt bella, captivitates, servitutes, & plerique contractus. *§. 2. Instit. de Jure nat. gent. & civili*) sed quatenùs pollet ratione Naturali, & lumine, à Deo, naturæ Auctore, hominibus impresso, juxta illud *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine* Psalm. 4. 7. & definitur à Justiniano *eod. tit. §. 1.* esse illud, *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes peræquè custoditur*, de quo in §. 11. idem Imperator subdit, *Sed naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræquè observantur, DIVINA quadam Providentia constituta, semper firma, atque immutabilia permanent.* Quo loci *Jul. Pacius in Analysi* sic doctè explicat; *Est autem illud solum jus immutabile, quod Divina Providentia constitutum est, id est jus naturale, & JUS GENTIUM PRIMÆVUM.* Igitur Jus, quod Theologi appellant *Divinum naturale* illud est, quod Legistæ vocant simpliciter *Naturale*, vel *Jus gentium Primævum. cap. 1. & cap. Jus naturale dist. 1. Molina d. tract. 2. disp. 6. Ant. Fab. in tit. Inst. de jure Nat. gent. & civil. in 4. princ. illat* cujus quidem Jurisgentium *Primævi*, id est, *Divini Naturalis*, præcipuus effectus est Religio erga Deum, & reverentia erga Divini Numinis cultum. *l. 2. ff. de Justitia, & Jure*; quia semper omnes gentes, & nationes quamvis barbaræ, Divinum Numen coluerunt (sivè cultu ei verè debito, sive erroneo, & superstitioso) *Cicer. lib. 2. de Nat. Deor. & lib. 1. de Legib.*

Porrò, quia inter cætera Divini cultus exercitia, Jus confugii ad Loca Sacra, & eorum Immunitas, ab orbe condito usque ad præsens, ubique fuit in usu, ut ex Historiis sacris, & profanis, & antiquorum, ac modernorum scribentium testimoniis constat; sequitur, eamdem Immunitatem *Jure Divino Naturali* introductam esse.

4 Plurima autem DD. Parochi, ac Confessarii protulerunt exempla de thesauris Historiarum nova, & vetera, circa observantiam Immunitatis prædictæ. 1. Apud Hebræos ex Divino Præcepto extabant sex civitates refugii pro confugio homicidarum. *Num. 25. 6. Jos. 20.* 2. Templo quoque, ac Tabernaculo erat Jus Asyli, tam pro personis, ficque Adonias confugit ad Altare, ne jussu Salomonis caperetur. *3. Reg. 1. 50.* quàm pro Rebus invectis; unde Heliodoro Templum expilare tentanti ait summus Sacerdos 2. *Mach. 3. Decipi eos, qui credidissent Loco, & Templo, quod per Universum mundum honoratur, pro sui veneratione, & sanctitate, omninò impossibile esse.* 2. Hinc Virgilius *Æneid.* 2. cecinit, Phœnicem, & Ulyssem in templum Junonis reposuisse res pretiosas, collectas in expugnatione Trojæ.

Et jam porticibus vacuis Junonis Asylo
Custodes lecti Phœnix, & dirus Ulysses
Prædam adservabant, huc undique Troja Gaza.

Et *Æneid.* 8. Romulum, Urbis Romæ conditorem, Asylum in ea pro facinorosis constituxisse:

Huc lucum ingentem, quem Romulus acer,
Asylum retulit &c.

Et Ovid. 4. *fastor.* ait:

Romulus, ut saxo lucum circumdedit alto,
Quilibet, huc, inquit, confuge tutus eris.

3. Idem Asylum Ninus constituit apud Assyrios; Cadmus apud Thebas; Athenis erat Templum Misericordiæ; Ephesi templum Dianæ pro refugio reorum: & *L. Florus lib. 2. cap. 12.* loquens de Xerse Rege ait: *Victus fugit in maria, insulamque Samothracem, fretus celebri Religione quasi TEMPLA, & ARÆ possent defendere, quem nec suorum mentes, nec arma potuissent.* 4. Similia centena exempla, ex Historiis deprompta, in medium affert *Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 25. num. 3. 4. & 5.* Quibus manifestum fit, quascunque gentes Deorum Templa semper fuisse veneratas, & Locis Sacris Jus Asyli pro reis indulsisse; imò testatur *Arist. lib. 9. de Nat. anim.* pluribus in locis feras ipsas à canibus securas extitisse, quæ etsi fabulosa videri possint; verissimum tamen est, quod legitur in vita S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, nempè, venaticos canes leporem insectantes, illum sub equo, cui Sanct. Anselmus assidebat, receptum non esse ausos tangere, sed cominùs latrantes, Immunitatem sacram veneratos, pium in Religionem obsequium hominesdocuisse: quod refert. *Sperell. decis. 183. num. 12.*

Ex his omnibus concludenter firmatur. Im- §
munitatem loci sacri ad Patrimonium Divinitatis pertinere, & introductam esse de *Jure Divino*; prout testimonium perhibent innumerabiles Theologi, Canonistæ, & Jureconsulti, quos allegat *Diana part. 4. tract. 1. resol. 44. num. 2.* Quæ in Coordinato nunc est *tom. 9. tract. 1. res. 1. Farin. de Immunit. cap. 2. num. 9. & 10.* Quibus Curia Episcopalis Patavina addit *Cart. dec. 46. n. 34. Guazzin. ad defens. Reor. def. 1. cap. 29. num. 4. Tuscum Litter. I. concl. 59. Ricciul. de Personis extra gremium Eccl. existent. lib. 2. cap. 12. num. 5. Sperell. decis. 103. & 104. ac Loterium de Re benefic. lib. 1. quæst. 13. num. 77. & seqq.* ubi *num. 91.* notat, scribentes, eam esse de Jure humano, intelligendos fore, quoad accidentalia Immunitatis, utpotè criminum qualitatem, limites loci sacri, pœnas in temeratores, modum reos exceptos extrahendi, & similia; non autem quoad substantialia; alioquin eorum opinio esset manifestè erronea.

Neque vim facit objectio *Bonacinæ d. disput. 3.* 6
quæst. 7. pa. 2. n. 2. Quod scilicet, si Immunitas Ecclesiæ esset de Jure Divino Naturali, in nullo casu liceret extrahere delinquentes, etiam permittente Summo Pontifice, cum ipse dispensare nequeat in Jure Divino Naturali. *S. Th. in 1. 2. q. 97. art. 4. ad 3. Sylvest. in Verb. Papa q. 15. & 16.*

Nam respondetur, Papam non dispensare in Jure Divino Naturali illud tollendo, vel relaxando: sed propter aliquam circumstantiam declarando, quod in hoc vel illo casu lex Divina Naturalis non obliget, ut docet *S. Thom 2. 2. q. 54. art. 5. Molina d. tract. 1. disp. 4. Vers. Est tamen notandum.* Et novissimè *Fagnan in cap. Cum pridem, num. 80. De Pactis*, ubi Theologos, & Canonistas cumulat; quos non ignoravit *Bonacina*, qui paulò post *d. num. 2. Vers. Secundò ut indicarem*, quasi rubore suffusus, discedere videtur à prima assertione, & Immunitatem *de Jure Divino naturali* confitetur, prout omninò fatendam, &

susti-

sustinendam concluserunt ante laudati animarum Pastores hujus amplissimæ Diœcesis.

Ad Tertium. *Quæ sint loca gaudentia dicta Immunitate?* scripserunt, esse 1. Ecclesias, etiam pollutas, vel interdictas, vel nondum perfectè constructas, aut dirutas, si subsit spes reædificationis, etiamsi in eis non servetur Eucharistia. 7 2. Oratoria Confraternitatum, auctoritate Episcopi erecta. 3. Cœmeteria, quamvis ab Ecclesia separata. 4. Hospitalia publica Episcopali Auctoritate instituta. 5. Monasteria Regularium quoad totam eorum clausuram, necnon eorumdem Grancias, seu hospitia, vel Monasteriorum membra. 6. Domum clericorum in communi viventium, quales sunt Patres Oratorii S. Philippi Nerii, & seminaria Episcopalia. 7. Domus Puellarum, & orphanorum Auctoritate Ecclesiastica fundatas. 8. Palatia Episcoporum ubique sita, nec non domus Canonicorum, ultra 40. passus ab Ecclesia non distantes. Item Palatia Episcoporum Titularium, & domus, in quibus Episcopi morantur tempore Visitationis. 9. Palatia, seu Domus Cardinalium extra Urbem Romæ. 10. Domus Parochorum, quæ sunt de jure Ecclesiarum, quamvis essent locatæ laicis. 11. Omnem locum, in quo præsens sit Sacratissimum Christi Corpus, veluti camera ægroti, cui delata est communio, nec non personam Sacerdotis Sacram Eucharistiam deferentis, si reus ad eum confugiat, imò satis esset, si se immisceret populo, eam associanti; & idem est in Processionibus S. S. Imaginum, vel Reliquiarum. 12. Campanile, etsi sejunctum ab Ecclesia. 13. Personas Cardinalium transeuntium, si ad eos rei appropinquent. 14. Si iidem adhæreant personis portantibus Aras sacras; de quibus omnibus testantur Doctores, quos allegat, & sequitur *Diana Coordin. d. tom. 9. tract. 1. à resol. 7. & seqq.* usque ad 22. *Cotonius Summator ejusdem Verb. Immunitas Ecclesiarum quoad loca à num. 2. & seqq. Chartar. d. decis. 46. num. 20. Farinac. de Immunitat. cap. 17. &* latissimè *Jordan. Episcopus Traguvien. d. tom. 2. lib. 11. tit. 3. à num. 182. usque ad num. 213.* apud quem Theologi, & Canonistæ sunt allegati; necnon mea Erotemata *cap. 32.*

8 Ad Quartum. *Quænam sint delicta, quibus non prodest Immunitas loci sacri?* Responderunt, ea nosci ex Bulla Gregoriana, quæ excipit reos indignos immunitate his Verbis. 1. *Publici latrones.* 2. *Viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur.* 3. *Aut depopulatores agrorum.* 4. *Quivè homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumvè cœmeteriis, committere non verentur.* 5. *Aut qui proditoriè proximum suum occiderint.* 6. *Aut Assassinii,* 7. *Vel hæresis.* 8. *Aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei.* Ideòque octo sunt delicta, quibus Immunitas Ecclesiastica non suffragatur.

Ad Quintum. *Quænam sint pœnæ inflictæ contra* 9 *violantes Immunitatem loci Sacri?* Plures fuerunt relatæ pœnæ contra violantes prædictos. *Prima* est peccati mortalis, & quidem Sacrilegii. *Jordan. d. l. 12. tit. 3. num. 273. Secunda* est Restitutio omnium damnorum, & interessis ei, qui fuit extractus, nam cum id factum fuerit injustè, oritur obligatio restitutionis. *Farin. de Immun. num. 321. Tertia* est (omissis aliis, quæ non sunt in usu) excommunicatio latæ sententiæ, reservata Papæ. *Farin. ibid. num. 315. Barbos. allegat. 50. num. 167. Thesaur. de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Immunitatem cap. 1. Vers. Hæc autem excommunicatio, Dian. p. 6. tract. 1. resol. 34.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 1. resol. 2.* ubi *num. 15. & 16.* se justificat, profitendo, sic tenere. Et hac Censura afficiuntur non solùm extrahentes reos in casibus non exceptis, & debita licentia Episcopi non expectata, sed extrahere tentantes, etiam effectu non subsecuto. *Thesaur. ubi supra Vers. Procedit.* Et ligat etiam Episcopos dantes licentiam extrahendi in casibus non permissis à Bulla, adeò ut fiant irregulares, non obstante eorum protestatione, si Rei corporali pœna puniantur. *Antonell. de Loco legali lib. 1. cap. 3. num. 209. Abb. Mich. Justinian. in addit. ad Comment. Novarii pag. 10 Thesaur. d. c. 1. num. 1. & 2.* Exempla autem plurima Justitiæ Divinæ, quæ severissimè semper animadvertit in eos, qui, Templa sacra parvipendentes, reos ex eis extrahere præsumpserunt, leguntur apud *Jo. Franc. Leonem in Thesauro fori Eccles. part. 1. cap. 14. num. 35. 36. 37. 38. 39.* Et ex eis clarè deducitur, in hac materia non ad reorum indignitatem, sed ad Divinæ Majestatis excellentiam, quæ in locis sacris timeri, & venerari vult, esse oculos dirigendos, ne Immunitas Ecclesiarum violetur.

AD PRIMUM CASUM.

Franciscus existens in Ecclesia occidit hominem existentem extra Ecclesiam, Antonius verò stans extra Ecclesiam occidit Petrum stantem in Ecclesia. Quæritur, an Franciscus, & Antonius gaudere debeant Ecclesiæ Immunitate? 10

Quoad *Antonium*; omnes concorditer dixerunt, non posse gaudere Ecclesiæ Immunitate. Ratio est, quia revera homicidium est commissum in Ecclesia, quamvis principium sumpserit extra illam; locusque Sacer pollutus remanet, & affectus gravissima injuria. Et sic tenet *Bonacina tom. 2. Circa Primum Dec. præc. disput. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 2. num. 2. ubi DD. & Farinacius de Immunitate num. 225.*

Quo verò ad *Franciscum* retulerunt Doctores contrariis opinionibus altercantes; sed ferè omnes adhæserunt concedentibus eidem Immunitatem; ea ratione, quia homicidium revera commissum est extra Ecclesiam, cui minor injuria censetur irrogata; quia neque polluta remanet; & cum versemur in materia pœnali & contraria Immunitati Ecclesiæ, Bulla, quæ loquitur de homicidio facto in Ecclesia, non est extendenda ad factum extra, licèt inchoatum in Ecclesia. *Ita tenet Bonac. ubi supra n. 3. Novar. p. 1. Comment. 72. n. 51. & Jordan. d. lib. 11. tit. 3. n. 328.*

AD SECUNDUM CASUM.

Joannes ex calore iracundiæ, & ex subita ira occidit hominem in Ecclesia. Quæritur, an gaudeat Immunitate, ita ut non possit capi in loco Sacro? 11

Absque hæsitatione fuit responsum, gaudere Immunitate. Ratio est manifesta; quia, ut homicidium privet Immunitate, debet esse dolosum, & deliberatum. *Guttierez pract. quæst. lib. 3. q. 1. à num. 6. usque ad num. 13.* Sed tale non est homicidium commissum ex calore iracundiæ, & ex subita ira. Ergo non privat Immunitate loci sacri. *Farinac. de Immunit. num. 40. Jacob. Pignatell. tom. 2. consult. 38. à num. 3. & seqq. & Novar. part. 2. Commentar. 80. num. 40.* Ubi in facto sic judicatum fuisse testantur.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Referantur media ad servandam Temperantiam ab Ecclesiasticis in cibo, ac potu, præcipuè in eorum Congregationibus. 12

Hæc fuerunt relata. 1. Ex Temperantia pro-

cedere vitam longam, ex Gula vitam brevem, juxta illud. *Eccles.* 37. *In multis escis erit infirmitas: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Hinc tot Sancti, qui solo pane, & aqua, vel modicis herbis aut fructibus vescebantur, vixerunt vel supra, vel propè centum annos, ut de *SS. Paulo, Antonio, Pafnutio, Hilarione, Macario, Arsenio, Simeone Stilita, Romualdo, Francisco de Paula, ac aliis* unicuique est notum. Et hìc loci, nonnulli suggesserunt, ut legeretur tractatus Vitæ sobriæ Nobilis Viri *Aloysii Cornelii.* 2. Optimum esse decernere, ne in mensa apponantur cibi superflui. 3. Habeatur lectio in mensa, ut ex ejus attentione reprimantur cupiditates cibi, & potus. 4. Quilibet prudenter ante mensam decernat quantitatem cibi, & potus sibi necessariam & stabilis sit in proposito non excedendi illam. 5. Sciant turpitudinem gulæ, quam ipsi Ethnici damnarunt, ut in Seneca. *lib. 8. c. 61.* 6. Reflectendum ad pessimas gulæ filias, ejus scilicet pernicioſos effectus, quos enumerat *Card. Tolet.* in Summa. *De septem Peccatis mortalib. cap. 62.* 7. Quod gulosi assimilantur suibus, & canibus ob voracitatem. 8. Quod vitium gulæ judicio Ecclesiæ peculiariter impugnat excellentiam naturæ humanæ, ideò in Oratione *feriæ 5. hebdom. Pass.* dicitur, *ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata.* 9. Gulam impedire usum Orationis, & elevationem mentis in Deum, ac privare cœlestibus illustrationibus, ac consolationibus. 10. Hoc vitium acriter puniri à Deo tùm in præsenti vita, ut de Israelitis in deserto, tùm in futura, ut de Epulone in Inferno. 11. Temperantiam elargiri bona temporalia, ac cœlestia juxta illud: *Qui corporali jejunio, vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, & præmia.* 12. Meditatione recolendum Salvatoris nostri JESU CHRISTI exemplum, qui pane hordeaceo, & aqua vescebatur, & in Cruce felle, & aceto, potatus fuit. 13. Alta mente tenendum Ecclesiasticis, quod si omnibus fidelibus dictum est: *Sobrii estote, & vigilate 1. Petr. 5.* eò magis ad ipsos hoc dictum pertinere, quibus commendata est cura animarum. 14. Legendi tandem Auctores de virtute Temperantiæ tractantes, inter quos *P. Georgius Gobat Soc. Jesu in suo Quinario tr. 5. P. Ludov. de Ponte p. 1. medit. 19.* Et Cardinalis *Pallavicinus* in libro, cui titulus: *Arte della Perfezione Christiana*, in quo *lib. 2. cap. 4. 5. 6. & 7.* tract. de Vitio Gulæ, & remediis ipsius.

DECISIO XIV.

ARGUMENTUM.

Declaratur quid sit Homicidium proditorium? Quid sit, Assassinium? Quale crimen læsæ Majestatis non gaudens Immunitate loci Sacri? Qui sint latrones publici? & qui grassatores viarum? Casus duo de homicidio proditorio. Tandem quibus industriis sit retrahenda plebs ab ebrietate.

SUMMARIUM.

1. *Homicidium proditorium quale sit?*
2. *Proditores qui, & quot dici possint?*
3. *Proditorium quando non sit homicidium?*
4. *Assassinium quid, & quale sit?*
5. *Assassini qui, & quo priventur jure Asyli?*
6. *Majestatis læsæ crimen quale sit exceptum ab Immunitate loci Sacri?*
7. *Principis appellatione qui sint intelligendi? præcipue in Republica Veneta?*
8. *Latrones publici qui, & quales dicantur?*
9. *Grassatores viarum, qui sint?*
10. *Occidens inimicum* Apostatamente, *an gaudeat Asyli jure?*
11. *Mandans, & Cooperans ad assassinium an priventur Asylo?*
12. *Sanctificatio dierum festorum quibus mediis sit plebi suadenda?*
13. *Tabernarum fuga quibus rationibus suadenda plebi?*
14. *Lusores quibus motivis á ludis sint retrahendi?*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid sit Homicidium Proditorium?* Tunc esse, quando quis simulata amicitia aliquem occidit. *Diana p. 1. tract. 1. resol. 5.* Quæ in Coordinato est *tom. 9, tract. 1. resol. 81.* Vel, cum quis, nulla præcedente inimicitia, vel offensa, interficit alium, nihil tale cogitantem, suspicantem, vel prævidentem. *Farin. de Carcerib. q. 28. à n. 74. & de Immunit. n. 138. ubi DD.* 1

Ex quibus deduxerunt sequentes illationes: 1. Parricidas esse homicidas proditores. 2. Matres quoque, procurantes abortum fœtus animati, vel infantem natum occidentes. 3. Testes etiam, & Judices, qui suo dolo sunt in causa, ut innocens damnetur ad mortem. 4. Eum pariter, qui sub prætextu amicitiæ, propinato veneno, alium interemit: hi enim omnes dicuntur Proditores, eò quia interfecti non poterant ab eis præcavere, & ideò non gaudent Immunitate. *Farin. de Immun. n. 138. & seqq. Jordan. d. lib. 11. tit. 3. à num. 343.* Mea Erotemata *cap. 32. num. 28.* 2

E contra notarunt, non esse Proditorium homicidium. 1. Si occidatur inimicus per insidias, vel à tergo, ut dicitur *Apostatamente*: quia inimicus poterat, & debebat præcavere. *Cevall. com. contra com. quæst. 684.* 2. Neque si occidatur amicus, cum quo insurrexerat Zelotypia, vulgò *Gelosia*, & præcesserant altercationes, & minæ. *Jul. Car in §. Homicidium. n. 8. Navar. d. p. 1. Comm. 72. n. 79. in fin.* 3. Neque si occidat ut inimicus reconciliatus de recenti, secùs si ex multo tempore. *Novar. d. Comment. 72. n. 78.* ubi idem asserit, si facta reconciliatione, remota non fuerit causa odii. 4. Neque si maritus occidat adulteram uxorem, etsi non repertam in fraganti; quia cum virum suum offenderit adulterando, idebebat præcavere. *Novar. ubi supra num. 81.* Et in his casibus conceditur Jus asyli, & Immunitas loci Sacri. 3

Quo ad secundum: *Quid sit Assassinium?* Concorditer dixerunt: Esse occisionem hominis nihil tale suspicantis, vel præcaventis, factam ab aliquo ob pecuniam, vel pretium datum, vel promissum. *Menoch. de arbitr. Judic. casu 360. n. 42. Farinac. de Homicid. quæst. 123. n. 21. & seqq. Et de Immunit. n. 129.* Et hìc pariter ferè omnes notarunt. 1. Assassinum vulnera infligentem, sed non occidentem, gaudere Immunitate; quia Assassinus verè, & propriè, est qui mandatum accipit ad occidendum. *c. pro humani. De homicid. in 6. Bonac. d. disp. 3. quæst. 7. punct. 6. §. 5. n. 7. Farinac. de Immun. n. 123.* 2. At privari Immunitate non solùm Assassinum mandatarium, sed etiam mandantem, fautores, auxiliatores, & receptatores. *Bonac. d. n. 7. & Farinac. n. 124.* 3. Et licèt controvertant DD. an Assassinus occidens infidelem, privandus sit Immunitate? Clerus Patavinus adhæsit affirmantibus, quia Bulla Gregoriana privat eos, qui proditoriè occidunt proximum suum & appellationi Proximi comprehenduntur omnes homines, etsi diversæ Religionis. *Diana part. 4. tract. 1. resol. 105.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 1. resol. 84. Bonacin. ubi ante n. 9.* 4. Dixerunt non esse Assassinum, qui occidit absque præcedenti pactione mercedis, vel ut rem gratam faciat. *Jordan. dict. lib. 11. tit. 3. num. 364. 365. Qui num. 369.* ait: Cessare qualitatem Assassinii, si sit præsens 4 5

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

sens ipse mandans in occidendo inimicum suum, vel si mandatarii sint famuli sui stipendiati ad arma ferenda, vulgò *Bravi*; quia inimicus ab eis poterat præcavere.

Quo ad Tertium. *Quid sit Crimen læsæ Majestatis,*
6 *exceptum ab Immunitate Ecclesiæ*? Dixere, esse Crimen Majestatis læsæ in primo capite, nempè quando exercetur actio in damnum, & personam ipsius Principis, ut occidendo, vulnerando, conjurando, machinando, vel insequendo ejus Personam. *Bonac. in d. q. 7. punct. 6. §. 6. n.* 10. Ideò offendens Consiliarios, Fiscales, vel alios Regios ministros non privatur Immunitate. *Farinac. n.* 181. Neque si offendisset Reginam, vel filium Regis. *Jordan. dict. lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 385. advertens, in tali casu esse recurrendum ad Papam pro licentia extrahendi reum.

Appellatione autem Principis notarunt, 1. Illum intelligi, qui non recognoscit superiorem. *Farinac. num.* 187. *Jordan. n.* 487. qui circa *SERENISSIMAM Nostram REMPUBLICAM* putat, nomine Principis intelligi, non solùm personam Serenissimi Ducis, sed Personas etiam *Senatorum*, supremos Magistratus exercentium; quia in eis suprema Principatus residet potestas. 2. Nomine Principis venire Cardinales, & Episcopos *Marius Ital. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 16, quamvis aliqui contradicant apud Dianam *p.* 5. *tr.* 2. *resol.* 86. Quæ in Coordinato est *tom.* 9. *tr.* 1. *resol.* 46. 3. Etiam Generalem Religionis venire nomine Principis respectu suorum subditorum, quia in eos habet merum, & mixtum imperium. *Novar. part.* 2. *Comment.* 80. *in fin. Bordon. Var. resol. part.* 1. *resol.* 1. *num.* 28. Nam in hac materia semper requiritur, ut Reus sit subditus Principis offensi, ad hoc ut sit indignus Immunitate. *Jordan. ubi supra num.* 387. & 389. 4. An verò Scientes machinantes in Principem, & non revelantes priventur Immunitate? Sunt hinc inde opiniones; quarum verior videtur negativa, quia esset crimen omissionis, & non commissionis: At Bulla excipit delinquentes in Principem, committendo; non omittendo. *Peregrin. de Immunitat. cap.* 10. *num.* 11. *Bonac. dict. §.* 6. *num.* 18.

8 Ad Quartum. *Qui dicantur Latrones Publici*? Concordarunt; illos esse. 1. Piratas maritimos. 2. Eos, qui stant in publicis Viis ad furandum. 3. Vel qui in domibus privatis latrocinia committunt, sed cum violentia, & armis. Ita ex *Farin. de Immun. n.* 149. & *ex Diana p.* 6. *tract.* 1. *res.* 15. Quæ in Coordin. est *tom.* 6. *tract.* 1. *resol.* 58.

9 Ad Quintum. *Qui sint Grassatores Viarum*? Pariter dixerunt eos esse, qui vias publicas obsident; & Viatores spoliant, vel retinent, ut redimant se pecuniis, vulgò *Quelli, chericcatano. Novar. in Summ. Bullal. d. p.* 1. *Comment.* 72. *n.* 44. Et hi differunt à Publicis latronibus, tanquam species à genere; nam, qui deprædantur tantùm in Viis publicis, dicuntur Grassatores viarum; qui vero furantur etiam in domibus cum armis, & violentia, appellantur publici latrones. *Jordan. d. lib.* 11. *tit.* 3. *num.* 317.

AD PRIMUM CASUM.

10 *Andreas expectavit in via inimicum suum, ut vulgò dicitur* Apostatamente, *ut eum occideret, prout explodendo sclopum à tergo in eum, occidit. Quæritur, an Andreas confugiens ad Ecclesiam possit extrahi ex illa*?

Distinxerunt. De Jure Canonum posset extrahi per *cap.* 2. *de Homicidio Voluntar.* At ex Bulla Gregoriana, quæ attenditur in hac materia, non esset extrahendus, quia in ea conceditur extractio homicidæ Proditoris, & non est proditor, qui occidit inimicum, licèt per insidias, nam ad proditionis qualitatem requiritur vel simulata amicitia, vel quod nullus rancor præcesserit, ita ut interfectus non potuerit præcavere, ut docent DD. supra in primo Quæsito, & tenet *Diana part.* 1. *tract.* 1. *resol.* 5. *& resol.* 33. Quæ in Coordin. sunt *tom.* 9. *tract.* 2. *resol.* 80. *&* 81.

AD SECUNDUM CASUM.

Lucius rogavit Assassinium, ut occideret ejus inimicum, & 11
deposuit promissam pecuniam penes Nicolaum, ut eam illi daret, statim secuto homicidio. Inimico interfecto per Assassinium, Lucius, & Nicolaus timentes justitiam confugiunt ad Ecclesiam. Quæritur, an gaudeant Immunitate loci Sacri?

Resolutio fuit negativa, quia omnes Criminalistæ censent, mandantem, & cooperantes Assassinii Immunitate non gaudere, ut dictum est suprà ad secundum Quæsitum, & tenet *Thesaur. de Pœnis Eccles. part.* 2. *Verb. Assassinium. num.* 6. Et licèt aliqui moderni videantur sentire in contrarium apud Dianam *p.* 4. *tract.* 1. *resol.* 33. & *p.* 6. *tr.* 1. *res.* 11. Quæ in Coordin. sunt *to.* 9. *tr.* 1. *res.* 86. 87. Tamen à negativa non est recedendum, quia verè sunt rei Assassinii. *Jordan. d. tit.* 3. *n.* 354. & 355. & mea Erotemata Ecclesiastica *d. c.* 32. *num.* 30.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quibus industriis possit Parochus retrahere suum populum à potationibus, & ludis in diebus festivis?

Dixerunt in hoc casu tria contineri, videlicèt. 1. Sanctificationem Festorum dierum. 2. Sobrietatem in potationibus. 3. Aversionem à ludis, seu locis.

Circa primum. 1. Explicandum esse frequenter Tertium Decalogi Præceptum; docendumque populum, quod Sanctificatio diei festi non 12
stat in sola auditione Missæ, sed in considerandis divinis beneficiis: Quis sit finis noster: in meditandis mysteriis fidei, & capescendis mediis necessariis ad consequendam salutem æternam. 2. Occupare populum, diebus festis, à prandio usque ad occasum solis, vel paulò minus, in Ecclesia. 3. Id fiet, si per duas saltem horas erudientur tùm pueri, & puellæ doctrinam Christianam in distinctis classibus, tum adulti tempore disputationum, in quæsitis, & eorum explicationibus circa eamdem Doctrinam. 4. Si devotè decantatis Vesperis habeatur lectio alicujus libri Spiritualis, vel sermo ex suggestu facilis, fructuosus, & ad captum Parochianorum accomodatus. 5. Si deindè recitetur tertia pars Rosarii, vel exponatur Sacrosancta Eucharistia piè, & reverenter, & ea coram Oratio mentalis per aliquod temporis spatium introducatur. 6. Si incessanter populus adhortetur, ut accedat promptè ad Ecclesiam, divinas recepturus remunerationes, & abhorreat potationes, & ludos, ex quibus causantur dispendia, non solùm temporalis, sed (quod magis est) salutis jetiam æternæ; ita ut Parochus verè, & ex corde adimpleat illud Apostoli monitum, *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.*

Quo ad Secundum bonum sobrietatis; Ut re- 13
trahatur populus à tabernis, & Cellis Vinariis,

dixerunt; esse difficilimum juxta *Lessium lib. 3. de Just. & Jur. cap. 23.* Nam ebrietas est venenum illud insanabile, de quo scriptum est *Deut. 32. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Nihilominùs profutura hæc remedia. 1. Legendum sermonem S. Augustini *de ebrietate*, qui est 231. *de Temp.* ex quo Parochi colligent plurimum contra tabernarum frequentatores. 2. Moneantur Parochiani, ut fugiant societatem compotantium. 3. Doceantur, tam grave malum esse ebrietatem, ut transmittatur in descendentes, quia hepatis adusti vitium transfunditur in filios, ac filias, & ex eis in nepotes; sicque pater siticulosus, & bibax filios gignit siticulosos, & bibaces. 4. Certiorentur, nimium Vini potum remollescere homines ad laborem ferendum, eosque effæminari. 5. Explicentur mala ex ebrietate resultantia (quæ pariter ex ludis proveniunt) nempè blasphemiæ, rixæ, contumeliæ, bonorum decoctiones, ac frequenter homicidia. 6. Narrentur exempla Romanorum, & aliarum gentium, quæ bibitorias tabernas funditùs everserunt, & stirpitùs proscripserunt, dictitantes, eas esse omnis nequitiæ lustra, ut refert *Alex. ab Alex. lib. 4. Genial. dier. c. 3.* 7. Terreant consuetudinarios ebriosos, negando iisdem Sacramentalem absolutionem, cujus capaces non sunt, nisi abstineant à tabernis, quæ sunt illis occasiones proximæ peccandi. 8. Agendum apud Superiores, ut accessus ad cauponas prohibeant uxoratis, ut olim erat in usu, teste *Gregor. Tolosan. Syntagm. Jur. part. 3. lib. 39. cap. 7.* ne patres familias uno symbolo consument soli, quod omnibus domesticis in hebdomadam sufficeret. 9. Monitos faciant Compotatores, quod si fuerint auctores bibendi iis, qui ære alieno pressi fiunt inhabiles ad solvenda debita, vel ad alendam familiam, remanent ipsi obligati ad restitutionem. *S. Thom. 2. 2. quæst. 62. art. 6. cap. Si culpa De Injur. & damn. dat.* 10. Suggerant iisdem considerationem vicinæ mortis, brevitatem delectationis, æternitatem pœnarum inferni. 11. Tandem his heluonibus Confessarius imponat salutares Pœnitentias jejuniorum, temperantiam victus, & alias, quas notat *Reginald. lib. 7. à num. 60. & seqq. Fornerus de Temulentiæ malo à cap. 15. ad 24. & P. Geor. Gobat. in suo Quinario Tract. 5. p. totum.*

Quo ad tertium. Ut diebus Festis homines à
14 ludis abstineant, proderunt plurimæ ex supradictis industriis, & monitiones: ac præcipuè, ut Sacramenta frequentent, divina meditentur Mysteria, & Christi Domini dolorosam Passionem; quàm breve sit tempus hujus vitæ, ideòque non malè insumendum. Horrorem mortis, quam lusores patientur, & è contra benè viventes quanta lætitia de temporali vita transeant ad æternam.

DECISIO XV.

ARGUMENTUM.

Referuntur pœnæ constitutæ contra usurpantes bona Ecclesiastica; & modi omnes, quibus dicta usurpatio fit. An liceat Parochis cædere arbores fructiferas suorum beneficiorum? & Patroni possint habere fructus beneficii vacantis? De abusu Tabacchi, quibusve mediis sit ab Ecclesiasticis proscribendus?

SUMMARIUM.

1. *Pœnæ statutæ contra usurpantes bona Ecclesiastica.*
2. *Usurpatio bonorum Ecclesiasticorum quot modis fieri contingat?*
3. *Arbores frugiferas Ecclesiæ cædens quas pœnas incurrat?*
4. *Patronus beneficii non potest retinere sibi fructus, eo vacante.*
5. *Tabacchi abusus quomodo eliminandus ab Ecclesiasticis?*
6. *Tabacchi origo, & inventio.*
7. *Tabacchum quot modis sumatur?*
8. *Tabacchi qualitas, & quibus prosit, aut officiat?*
9. *Tabacchistæ, qui fuerint primi?*
10. *Amurathes Imperator Turcarum prohibuit usum Tabacchi, & cur?*
11. *Tabacchum nostrum corruptum, & spurium?*
12. *Tabacchi sumptio an frangat jejunium?*
13. *Tabacchi sumptio prohibita Ecclesiasticis in Synodo Limæ.*
14. *Casus horrendus in Sacerdote sumente Tabacchum?*
15. *Tabacchistæ sejpsos, ac vestes sternutationibus conspurcant.*
16. *Sacerdotes nihil plebejum habere debent.*
17. *Moribundus quidam sollicitior de Tabaccho, quàm de anima.*
18. *Tabacchi nocumenta.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quænam sint pœnæ constitutæ contra usurpantes bona, vel proventus Ecclesiarum, aut piorum locorum?*

Primò. Ex Concilio Tridentino *Sess. 22. c. 11. de Reform.* inflictam esse pœnam Excommunicationis latæ sententiæ, reservatam Papæ, non relaxandam, nisi facta restitutione; & si usurpans sit Patronus Ecclesiæ, eo ipso privatus existat Jure patronatus. Et sic clericus, ulteriùs amittat quæcunque beneficia, & sit inhabilis ad alia obtinenda, ac suspendatur ab ordinibus arbitrio Ordinarii. 1

Secundò. In Bulla Cœnæ Domini fulminari excommunicationem, Summo Pontifici reservatam contra Usurpatores prædictos (*quæ est la* 17.) de qua omnes DD. circa Bullam scribentes.

Tertiò. *In cap. Hanc consuetudinem. 18. quæst. 1.* Anathematis vinculo ligari, auferentes ab Ecclesiis oblationes iisdem factas; quæ pœna pariter est latæ sententiæ, *Turrecrem. ibid. & Barbos. alleg. 50. num. 170.*

Quartò. Esse Casum reservatum Eminentissimo Episcopo in hac Diœcesi, differre solutionem legatorum piorum ultra biennium, vel si Notarii ea non denuncient intra bimestre ex negligentia, vel ex malitia; nec non si à quocunque supprimantur, dispergantur, aut falsificentur scripturæ concernentes interesse Ecclesiarum, vel bonorum Ecclesiasticorum; ut legitur in *Tabella Casuum reservatorum.*

Ad Secundum. *Quot modis contingat Usurpatio bonorum Ecclesiarum, aut locorum piorum?* Retulerunt 2
sex modos?

1. Cum quis prætendens habere Jus in dictis bonis palàm, & violenter usurpat sibi dominium, vel quasi eorumdem. *Gloss. in capit. multi. 2. quæst. 1. Suarez de Censur. disput. 21. sect. 2. n. 96.*

2. Quando clàm quis usurpat sibi dicta bona, sub eodem prætextu. *Bonacin. in Bulla Cœnæ disput. 1. quæst. 18. punct. 1. num. 7.*

3. Cum

3. Cum Rectores Ecclesiarum appropriant sibi ipsis bona relicta suis Ecclesiis pro divinis officiis peragendis. *Bonacin. ibid. num. 6.*

4. Cum quis non usurpat sibi, sed impedit, ne beneficiarius obtineat fructus, seu proventus prædictos. *Conc. Trid. de Sess. 22. cap. 11.*

5. Quoquomodo retineantur scienter bona spectantia ad Ecclesias, & pia loca. *Bonac. d. disp. 1. quæst. 18. punct. 3.* Et hujus farinæ censendi sunt debitores, qui dolosè, & scienter non solvunt livella, legata, pensiones, decimas, aut alia credita Ecclesiarum, juxta opinionem *Sayri de Censuris lib. 3. cap. 21. num. 4.* Quamvis contrarium teneant DD. apud *Thesaur. de Pœnis part. 2. Verb. Usurpatio cap. 1. Vers. limitans DD.* qui requirunt, ut usurpatio fiat eo prætextu, quod bona Ecclesiæ pertineant ad ipsum surripientem. Sed opinio istorum procedere potest quo ad Censuram Bullæ Cœnæ Domini, non autem quo ad Censuram contentam in Concilio Tridentino, in quo non requiritur dictus prætextus, ideòque ligantur quicunque retinentes, & quomodocunque usurpantes, ut sunt fures, & debitores non solventes. *Barbosa in Collect. DD. ad d. Concilio Trident. Sess. 22. cap. 11. num. 6.*

6. Si sequestrentur dicta bona injustè, vel Juris ordine non servato. *Bonac. ubi supra punct. 3. num. 7.*

AD PRIMUM CASUM.

QUidam Parochus cædit arbores frugiferas sui beneficii, ut eas vendat. Quæritur, an incurrat in excommunicationem latam à Concilio Tridentino Sess. 22. cap. 3
11. de Ref.

Plurimi responderunt Negativè: quia licèt Parochus peccet cædens arbores frugiferas sui beneficii, adeò ut graviter sit puniendus. *Barbos. ad d. Sess. 22. cap. 11. num. 10.* tamen non ligatur Censura lata per Concilium Tridentinum ibidem; nam arbores incisæ sunt fructus beneficii, consequenter beneficio cedere videntur; Concilium verò Tridentinum loquitur de extraneis usurpantibus. *Barbos. d. num. 10. Bonac. in Bulla Cœnæ Dom. disput. 1. quæst. 18. punct. 2. n. 30. & punct. 4. num. 5.* Qui tamen *tom. 1. De Alienat. bonor. Eccles. disp. 2. quæst. Unic. punct. 2. num. 7. & 8.* nutat, & sentire videtur dictum Parochum affici Censura prædicta, vel saltem illa, quæ infligitur in *Extravag. Ambitiosa. de Reb. Eccles. non alienandis.* Quod Curia Episcopalis habet pro indubitabili, quia arbores frugiferæ reputantur inter immobilia, & bona pretiosa, quæ non possunt alienari, neque cædi (nisi essent cæduæ, ut sylvæ ex sua natura) absque Superiorum licentia, ut relatis Decretis S. Congregationis docet *Nicol. in Lucubrat. Utriusque Jur. tom. 1. lib. 2. tit. 1. §. sacræ, num. 22.* Et extat in terminis Concilium Navarri. *De Reb. Eccles. non alien. cons. 7.* ubi tenet, cædentem ligari excommunicatione.

AD SECUNDUM CASUM.

QUidam Patronus beneficii Ecclesiastici, eo vacante, colligit fructus, & sibi retinet illos. Quæritur, an in-
currat aliquam pœnam? 4

Dixerunt omnes, incurrere in excommunicationem latæ sententiæ, summo Pontifici reservatam, & privationem Juris patronatus ipso Jure; juxta Decretum *S. Trident. Concil. d. Sess. 22. cap. 11.* ubi *Barbos. num. 11.* Verum tamen est, quod necessaria censetur sententia declaratoria dictæ privationis in foro conscientiæ, ut notat *Thesaur. de Pœnis dict. part. 2. Verb. Usurpatio. cap. 1. Versic. Nota Secundò.*

AD CASUM PRUDENTIALEM

QUæ sint media adhibenda, ad eliminandum in Eccle- 5
siasticis abusum sumptionis Tabacchi?

Plurima, quæ circa hunc casum doctè & eruditè scripta fuere, reducuntur ad tria media, seu tres rationes, quibus Ecclesiastici debent abstinere à sumptione TABACCHI. Nempè. 1. *Quia non licet.* 2. *Quia non decet.* 3. *Quia non expedit.*

Pro intelligentia præmittenda sunt nonnulla ex doctissimis tractatibus de TABACCO, & abusu TABACCHI *Joannis Chrysost. Magneni* Professoris Medici in universitate Ticinensi; *Simeonis Paulli* Medici Regii Tarbusiensis; *P. D. Benedicti Stellæ* Monachi Benedictini; qui totam historiam, qualitates, & effectus explicant Tabacchi. Igitur ex his Auctoribus habetur. Primò Tabacchum esse herbam Americanam, ab Hispanis in 6
America inventam, & hoc nomine ab eis appellatam ab Insula *Tabagi*, hujus herbæ feracissima. *Magnen. Exercit. 1. §. 1. Stella cap. 1. & 2.*

Secundò. Tabaccum diversimodè sumi, sed præcipuè in Fumo, in Pulvere, & in Folio per 7
masticationem. *Magnen. Exercitat. 6. 7. & 8. Stella capit. 15. & seqq.* Ubi advertunt, Tabaccum esse calidum in secundo gradu, & siccum in tertio, & 8
propterea subdunt, non esse reponendum inter benigna medicamenta purgantia, quia de sui natura est nimis grave, vomitum facit, & corpus satis conturbat; ideòque Tabaccum non esse utile biliosis, melancholicis, sicciorivè corporis habitudine hominibus. *Magnen Exercitat. 3. §. 6. & Exercit. 4. §. 1. Stella capit. 11. Simeon. Paullus d. Commentar. De abusu Tabacchi p. 8.*

Tertiò. Tabaccophilorum primos fuisse Americanos, qui coram Idolis suis se inebriabant, ut 9
sic Pseudomistæ de rebus futuris responsa darent; At pulverati Tabacchi usum à Nautis, & militibus ex America redeuntibus originem sumpsisse, qui otiosi in navibus, ad excitanda sternutamenta, illud adhibere cœperunt, *Stella cap. 26. & 27. Magnen. Exercit. §. 1. & Exercit. 8. §. 1.*

Quartò. *Amurathem 4.* Imperatorem Turcarum sub pœna capitali prohibuisse Tabacchi usum, sic 10
instante *Mophti*, suorum Rituum Antistite Summo, ne gentes ebrietatem, in Alcorano vetitam incurrerent, aut infœcundi homines evaderent. *Jacobum* quoque Regem 6. Britannorum Tabaccum vetasse in suo Regno, ratum, ex ejus usu, hominum corpora enervari. *Magnen. Exercitat. 6. §. 10. & 11.*

Quintò. Tabaccum, quo homines Europei, ac præcipuè Itali utuntur, ut plurimùm corruptum, 11
spuriumque esse, ut potè mixtum Terra umbratili, fecturis lignorum, foliis, vel radicibus arborum, rebusvè aliis exoticis, & ignotis, quibus vel falsum mercatores comminiscuntur pulverem, vel nimis adulteratum, & corruptum. *Magnen Exercit. 14. §. 6. Stella cap. ult.*

His prænotatis: Medium primum, ut Ecclesiastici abstineant ab usu Tabacchi, est, quia *Non licet.* Nam, etsi controvertant DD. an sumptio Tabacchi frangat jejunium. *Pasqualigus decis. 333.* 12
Summæ Dianæ Verb. Communionis dispositio num. 42. & ipse *Diana part. 5. tract. 5. resol. 12. & tract. 13. resol. 1.* Quæ in coordinato sunt *tom. 2. tract. 1. resol. 120. & 126.* Multique teneant opinionem

negativam ; de ea tamen dubitant *Lezana in Summa quæst. Regul. tom. 3. Verb. Eucharistia quo ad regulares num. 18. Franc. Niger. in addit. ad Ruiz part. 1. Propos. 4. num. 52. quæst. 18.* illamque expresè impugnat *Anton de Leone in Quæst. moral. lib. de Chocholate part. 2. §. 4.* ubi mordicùs sustinet, sumptionem Tabacci, sivè in foliis, sivè in fumo, sivè in pulvere, frangere jejunium naturale, & per consequens sumi non posse ante Communionem, & celebrationem Missæ ; & quamvis non sit ratio aperta quo ad Tabaccinum pulverem per nares susceptum ; tamen non est improbabilis ; cum præcitati Auctores Medici testentur, vim nutritivam inesse Tabacco; & ulteriùs doceat *Magnenus Exercit. 8. §. 3.* Quod pulvis Tabacchi per nares absumptus *nonnumquam adhæret interiori palato, & ossis ethmoidis meatus subit, ibique hæret aliquandiu, dum vel absumatur à nativo calore, vel sponte concidat, sivè in Ventriculum cum delabente pituita, sivè in alias partes.* In hac re habemus rationem, & auctoritatem affirmantem, jejunium naturale frangi posse per Tabacchi pulverem, naribus assumptum, & licèt alii ab hac opinione discedant, non est parvipendenda ; cum agatur de præcepto Ecclesiæ, & de reverentia S. Eucharistiæ ; maximè quia circa Sacramenta amplectenda est opinio, quæ magis faveat eorum validitati, ideò & fructui : sicque DD. Parochi, & Confessarii concluserunt, debere Ecclesiasticos à sumptione Tabacci abstinere, *Quia non licet.*

13 Efficacius autem id suadetur considerata deliberatione Patrum in Concilio 3. Provinciali Limæ Peruanæ ; in quo teste *Stella d. tract. cap. 33. pag. 345.* Sic statutum fuit *Act. 3. cap. 20. Prohibetur sub reatu mortis æternæ Presbyteris celebraturis, ne Tabacchi fumum, seu Tabacchi pulverem naribus, etiam prætextu Medicinæ, ante Missæ Sacrificium sumant.* Et licèt hoc Concilium non obliget extra Provinciam, tamen dat normam, & rationem agendi in simili materia extra Provinciam. *Cuch. Inst. major. lib. 2. tit. 3. num. 64.* Et ulteriùs extat Bulla S. D. Urbani Papæ VIII. 30. *Januarii* 1642. prohibentis sub excommunicatione latæ sententiæ sumptionem Tabacchi in Ecclesiis, earumque atriis, & ambitu Hispalen. Diœcesis, quam poni *Stella dict. cap. 33. pag. 349.* nec non Constitutio Innocentii Papæ Decimi *de anno* 1650. circa Urbem, & Ecclesias Romæ ; ex quibus motivum forte, & ab Ecclesiasticis nequaquam spernendum resultat, iisdem sumptionem Tabacchi *Non licere.*

14 His addendus est horrendus utique Casus, quem ob abusum Tabacchi in Sacerdote evenisse refert *idem Stella cap. 33. pag. 347.* his Verbis : *Quidam Sacerdos de capite Sileris, ex Provincia Principatus Regni Neapolis, cum non multo post ab assumptione Sacratissimæ Eucharistiæ Tabaccum sumeret, ante Missæ finem, consecratam Hostiam, non sine spectatorum lacrymis, abominabili vomitu, cum sternutatione ejecit.* En igitur *An liceat?*

15 Secundò. *Quia non decet*, debent Ecclesiastici à Tabacchi sumptione desistere. Nam, Si Angelus de cœlo Sanctum Franciscum edocuit, ostensa candidissimæ aquæ ampulla, Sacerdotes ea puriores, & nitidiores esse oportere ; quis non oderit abusum Tabacchi, ex quo morosis sternuationibus Tabaccophili seipsos conspurcant, eo religiosas Vestes, sudariola, ipsamque Sacram suppellectilem coinquinant ; cum indecentia characteris Sacerdotalis ; & Ministerii ; nec non cum scandalo populorum? Si S. Ambrosius scriptum reliquit *Epist. 5. ad Iran. lib. de Dignit. Sacerdot. Vides nihil in Sacerdotibus plebejum requiri, nihil populare, nihil commune.* 16 Quomodo non erubescent Ecclesiastici vitium Tabacchi sectantes, cujus usus initium, & exercitium habet à remigantibus, & vilissimis Navium, & Triremium turbis, ut in tertio præmisso notavimus ? Decebit forsan Sacerdotes Dei, fœdis excrementis conspurcari, & in sumptione Tabacchi insistere, cujus usus sub pœna capitali Turcis est interdictus, quasi major zelus Alcorani vigeat in Turcico Antistite, quàm Pietas, & obsequium in Ministris Ecclesiæ Catholicæ. *Quam decet Sanctitudo?* Reges gentium, ne corpora enerventur, vetant usum Tabacchi, & Ecclesiastici non abstinebunt, ne munditia, & puritas corporis, & animæ maculetur? Quomodo tetro odore infecti, Confessiones audire, Sacram porrigere Synaxim, aliaque cœlestia Sacramenta populis administrare non verentur? Certum est itaque *Non decere.*

Nec tacendum, quod sibi accidisse testatur 17 doctissimus, ac probitate conspicuus hujus Diœcesis Vicarius Foraneus; nempè cum cuidam agonizanti, qui usum linguæ perdiderat, extremam Unctionem daret, parùm de vicino animæ exitu, sed valdè de Tabacco sollicitus, vidit illum manu, & digitis, signisque ad nares, Tabaccum poscere. Curent igitur Ecclesiastici abusum hunc deponere ; quos dedecet omninò, ut ex supradictis liquet.

Tertiò tandem. *Quia non expedit*, ab eo de- 18 bent abstinere. Legant præcitatos Auctores, & reperient, maxima esse se sanitatis detrimenta, quæ ex Tabacchi abusu promanant, & referuntur *à Stella capit. 29. & 30.* Hic enim, ut brevitati consulatur, transcribentur tantùm nonnulla Medicorum prælaudatorum testimonia. *Simon Paullus pag. 8. terg. lit. D.* sic scribit : *Quotus quisque ergo est, nisi ipse sit Architabaccarius, atque adeò animo occupato, qui non intelligat, quod meatibus, aut foraminulis ossis ethmoidis à pulvere Tabacchi obturatis, cum cerebrum per os ethmoidis, neque aerem, ut eo ventiletur, neque rerum odorabilium species, admittere possit, quin necessariò olfactus intercidat?* Et paulò post : *Cum ergo ad nasi radices usque pulvis Tabacchi Narcoticus magna copia violenter attrahatur, & punctum temporis Natura otiosa non sit, ac in vivo corpore ex decretis Hippocratis nostri omnia sint permeabilia, ac transpirabilia utique aliter fieri non potest, ut innui, quin partes olfactui destinatæ, à narcotica Tabacchi facultate misere affligantur.*

Sed audiant, qui à Tabacco detrectant desistere, quæ incommoda recenseat *Magnen. Exercitat. 8. §. 4.* cujus hæc sunt Verba.

Primùm incommodum est, odoratus abolitio, membranarumque, nervique odoratorii exsiccatio, processum mammilarium tabes, ut probavimus §. 15. Exercit. 6.

Secundò. Inducta cerebro intemperies, quæ memoriam labefactat.

Tertiò. Operantur in Medicina isti, quando quiescere licet; quod furoris genus appellat Celsus.

Quartò. Attrahunt à ventriculo ad cerebrum humores pravos; immoderataque cerebri exsiccatione aliqui vix sibi satis constant.

Quintò.

Quintò. Senium, mortemque accelerant, adventicia ficcitate, humido radicali infesta.

Sextò. Febribus acutis magis obnoxii redduntur, itemque deliriis, & phrenitidi.

Septimò. Vidi non neminem, cui insanus hujus PULVERIS usus chrystallinum corrugaverat humorem, unde & fluitantia cernebat objecta.

Octavò. Durior auditus sit iis, qui parvum caput sortiti sunt, tinnitusque aurium cuipiam contigit, effranato hujus PULVERIS usu. Hùc usque *Magnen.*

Videant igitur Ecclesiastici, & secum mente revolvant, ac firmissimè decernant emendari ab hoc vitioso Tabacchi usu; quia *Nec licet, nec decet, nec expedit* perseverare in ipso.

DECISIO XVI.

ARGUMENTUM.

Disputatur, An liceat locare bona Ecclesiæ ultra triennium? Vel ea in emphyteusim dare? Quæ requirantur pro iis ad livellum dandis? Quæ bona Ecclesiæ possint alienari sine licentia? Quid relevet clausula, salvo beneplacito Sedis Apostolicæ? Confraternitates laicorum an possint earum bona alienare? De methodo suadendi populo solutionem integram Decimarum.

SUMMARIUM.

1. *Locare ultra triennium bona Ecclesiæ an liceat?*
2. *Emphyteusis de bonis Ecclesiæ fieri non potest.*
3. *Livellare bona Ecclesiæ quomodo liceat?*
4. *Bona Modici valoris quæ dicantur.*
5. *Bona Ecclesiastica alienabilia sine licentia Papæ quæ sint?*
6. *Pecunia Ecclesiæ an possit alienari sine licentia?*
7. *Clausula* Salvo beneplacito Papæ *quid operetur in alienationibus bonorum Ecclesiæ?*
8. *Clausula* Nec aliter, nec alio modo, *quid relevet?*
9. *Confraternitates laicorum an possint alienare bona sua?*
10. *Decimæ, ut fideliter solvantur, qua methodo sint populi suadendi?*
11. *Decimarum fidelis solutio habet à Deo quatuor remunerationes.*
12. *S. Bellini Martyris Episcopi Patavini interfector, quomodo à Deo punitus?*
13. *Decimæ in nova lege, cur solvantur Ecclesiasticis, qui possident agros, & vineas Ecclesiarum?*
14. *Levitæ Aaronici possidebant Civitates* 48 *cum agris, & prædiis suburbanis earumdem.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

1 AD Primum. *An liceat locare bona Ecclesiæ ultra Triennium?* Distinxerunt. Vel bona sunt talia, ut quotannis colantur, & ex eis fructus quolibet anno percipiantur, & tunc locari non possunt ultra triennium, attenta prohibitione Juris Canonici sunt Anathematis pœna in *Extravag. Ambitiosæ. De reb. Eccles. non alien.* At si bona Ecclesiæ talis sint conditionis, ut ex eis quolibet triennio unicus tantùm fructus colligatur, poterunt in novem annos locari, quia primum triennium æquivalet primo anno; & sic secundum, & tertium; & si alternatim fructificent, poterunt per sex annos locari. *Ita Covar. lib. 2. Var. cap.* 16. *num.* 6. *Barbos. alleg.* 95. *num.* 4. *Et Antonell. De Regimine Eccles. lib.* 1. *c.* 5. *num.* 6.

Ad Secundum. *An liceat, ea dare in Emphyteusim?* Omnes Negativè responderunt, cum id expressè vetet Summus Pontifex in *d. Extravag. Ambitiosæ*, ea ratione, quia dare in Emphyteusim est alienare. *Novar. in Summa Bullar. par.* 1. *Commentar.* 129. *n.* 3. 2

Ad Tertium. *Quæ requirantur pro dandis bonis Ecclesiæ ad livellum?* Dixerunt, Duo requiri. *Utilitatem* Ecclesiæ, & *Solemnitatem.* Illa consistit in hoc, quod Ecclesiæ conditio fiat melior, & locupletior, ideò si tantum recipiat, quantum dimittit, non dicitur Utilitas. *Rota decis.* 430. *num.* 6. *par.* 2. *recent Novar. d. commento* 129. *à num.* 6. *& seqq.* Quanta autem debeat esse utilitas, standum est arbitrio Judicis. *Rota decis.* 674. *part.* 1. *diverf.* Solemnitas verò est, ut in Ecclesiis Collegiatis, & Regularibus præcedat tractatus, deindè consensus majoris partis Capituli; ac demum Summi Pontificis licentia, quæ in aliis omnibus alienationibus bonorum Ecclesiasticorum semper requiritur, nisi res alienanda sit modici valoris, vel difficilimæ recuperationis, quia tunc sufficit Auctoritas Episcopi. *Rota pag.* 2. *recent. decis.* 631. *Novar. dict. Comment.* 129. *numer.* 33. Bona autem dicuntur modici valoris, quando eorum valor non excedit summam Viginti quinque aureorum; quæ faciunt Ducatos sexaginta Monetæ Venetæ. *Gavant. in Manual. Episc. Verb. Alienatio num.* 24. Et si verius sit quod in hoc statur arbitrio Episcopi. *Barbos. cap. Terrulas.* 12. *quæst.* 2. *Antonell. de Regimin. Eccles. dict. lib.* 1. *cap.* 8. *numer.* 6. ubi notat, esse attendendam consuetudinem locorum, quantitatem rei, & conditionem Ecclesiæ. 3 4

Ad Quartum. *An sint aliqua bona Ecclesiastica, quæ possint alienari sine licentia Papæ, vel Episcopi?* Responderunt esse sequentia. 1. Mobilia non pretiosa, ut fructus agrorum, vel animalium, secùs autem si sint pretiosa, ut Vasa argentea, Vestes magni pretii, quæ diutius servari possunt, Greges Ovium, Armentum boum, Præsepium equorum, & arbores fructiferæ. *Antonell. d. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 3. 2. Bona necessariò alienanda, puta si sint relicta cum onere fidei commissi, post certum tempus ab Ecclesia instituendi. *Barbos. allegat.* 95. *numer.* 61. At si absolutè bona fuissent donata Ecclesiæ, vel legata cum expressa conditione, ut Ecclesia possit illa ad libitum alienare, hæc conditio rejicitur tanquam illicita. *Barbos. de allegat.* 95. *numer.* 70. Dummodo Ecclesia sit capax ea retinendi. *Antonell. d. lib.* 1. *cap.* 4. *numer.* 5. & 6. 3. Bona, quæ sunt solita dari in Emphyteusim, videlicèt si præcesserunt duæ concessiones sine solemnitate, effectum sortitæ, simul cum cursu 40. annorum. *Quarant in Verb. alienatio numer.* 42. Dummodo iterum non fuerint incorporata Ecclesiæ. *Antonell. dict. lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 16. 4. Bona, quæ servando servari non possunt, ut sunt fructus, vestes attritæ, animalia supervacua, arbores opacæ, vetustæ, corruptæ, vel infructiferæ, quas beneficiarius potest incidere, præsertim si ex earum incisione fundus reddatur fructuosior. *Rodoan. de reb. Eccles. non alien. quæst.* 7. *c.* 7. *Bonac. eod. tract. disput.* 2. *quæst. Unic. punct.* 2. *num.* 8. An autem pecunia Ecclesiæ alienari, & distrahi possit sine licentia Papæ, aut Episcopi? sunt hinc inde opiniones apud *Antonell. d. lib.* 1. 5 6

cap.

cap. 7. numer. 5. Sed negativa est verior, quando redacta sit ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosæ, quia tunc computatur inter immobilia, & est investienda. *Genuens. in Praxi cap. 60. num. 13. Quarant, in Verb. Alienatio num. 25.* Et eo magis si donata, vel legata fuerit ad emenda stabilia, vel census, aut res pretiosas. *Antonell. ubi supra num. 7.*

AD PRIMUM CASUM.

7 *QUidam Parochus dedit in Emphyteusim campum suæ Ecclesiæ, sed in Instrumento posuit clausulam* (salvo beneplacito Sedis Apostolicæ, *Quæritur, an incurrerit in Censuras.*

Responderunt cum distinctione. Vel campus ille erat *Magni*, vel *exigui Valoris*? *Si magni*, dixerunt, eum incurrisse, quia non potest devenire ad celebrationem contractus Emphyteusis, & ad tradendam possessionem campi Emphyteutæ, nondum habito beneplacito Sedis Apostolicæ. *Navar. cons. 1. Vers. si non præcedat. De reb. Eccles. non alien. Garzias de benefic. pag. 1. cap. 5. num. 37. Genuens. cap. 52.* quod notat. *Rota part. 10. recent. decis. 275. numer. 19. & 20. & D. Joan. Baptist. Turricellus Patavinus in Tract. de reb. Eccles. non alien. cap. 12. numer. 14.*

8 ubi tamen contrarium tenet, si addita fuissent hæc Verba, *Nec aliter, nec alio modo*, quæ faciunt deficere consensum, & sic præservant ab incursu Censuræ. Si verò erat *exigui* valoris; subdistinxerunt: Vel erat utilis Ecclesiæ, seu erat pars magni prædii, & adhuc incurrit in censuram, quia in neutro casu poterat alienari absque assensu Sedis Apostolicæ *cap. 1. ubi gloss. 17. quæst. 4. Genuens. d. cap. 52. num. 3. in fine*; aliàs hoc modo possent alienari paulatim omnia prædia Ecclesiæ in fraudem legis. Aut non erat utilis, neque pars magni prædii, & tunc Parochus in censuras non incurrit, quia est casus exceptus ab *Extravag. Ambitiosæ.* Ut advertit *Antonell. ubi supra cap. 8. numer. 1.* si tamen licentiam obtineat ab Episcopo. *Turicell. capit. 6. num. 1.*

AD SECUNDUM CASUM.

9 *MAssarii cujusdam Spiritualis Confraternitatis petunt à Parocho, an possint livellare campos de ratione dictæ Confraternitatis? Quæritur, quid sit eis à Parocho respondendum?*

Alii dixerunt, Massarios à Parocho monitos iri, ut videant, an eorum Confraternitas fuerit erecta auctoritate Episcopi? Quia in tali casu, livellare campos non possunt absque licentia Summi Pontificis. *Bonac. d. tom. 1. De alienat. bon. Eccles. disp. 2. quæst. Unic. punct. 2. num. 10. Menoch. de recuperat. poss. remed. 15. num. 25. Barbos. allegat. 75. num. 31.* At, si sine Episcopi decreto sit erecta, dicta licentia non indigent. *Barbos. de jure Ecclesiastico Univ. lib. 2. cap. 11. num. 88. Sperell. qui plures allegat. decis. 155. numer. 2.* At alii diligentius scripserunt, opus esse licentia Apostolica, quamvis non fuerunt erectæ cum auctoritate Episcopi, si eorum bona sint destinata in alimoniam pauperum, vel in opera charitatis, & pietatis, aut ad celebranda divina officia, vel exercitia spiritualia. *Antonell. d. lib. 1. cap. 4. & 15.* Ubi etiam notat, administratores neque posse facere compromissum de bonis hujusmodi Confraternitatum, quia compromissum est species alienationis. *Antonin Variar. resolut. lib. 2. resol. 2. num. 4. & Quaranta Verb. Alienatio rerum Eccles. numer. 20.* Quamvis ad compromittendum sufficeret auctoritas, & licentia Episcopi, ubi ageretur de utilitate pii loci, ad exemplum Tutorum, & Curatorum, qui de licentia Judicis possunt facere compromissum de rebus pupilli, aut minoris. *Ferrus in quæst. moral. part. 1. quæst. 55. & Gratian. discep. Forens. cap. 586. num. 52.*

AD CASUM PRUDENTIALEM

QUA methodo fiet, ut à populo adimpleatur Præceptum de solvendis Decimis? Dixerunt. 10

I. Si Rectores Ecclesiarum, studio Sacrorum Canonum vacantes, ac SS. Patrum; didicerint ex eis populos docere, solutionem Decimarum esse de Jure Divino; quia licèt in Lege Evangelica quantitas solutionis sit de Jure Ecclesiastico, nihilominus quo ad substantiam est de Jure Divino naturali, tum quia Præceptum Decimarum legis Veteris erat morale, & sic servandum etiam in Lege nova. *Moneta de Decim. cap. 1. num. 17. & 36.* tùm quia illud explicuit Christus Dominus in Evangelio *Matth. 10.* in illis verbis, *Dignus est operarius mercede sua*; ut notat *Cotonius lib. 1. Controvers. 18. cap. 1.*

II. Si exempla nova, & vetera adduxerint, quibus constat solutionem Decimarum Ministris Sacris omni tempore fuisse factam, tàm in lege naturæ, ut de Abraham *Genes. 15.* de Jacob *Genes. 28.* de Pharaone *Genes. 47.* quàm in lege scripta *Exod. 22. Levit. 27. & 2. Paral. 13. Tob. 1. & Malach. 3.* nec non apud Gentiles, & Ethnicos, ut videre est apud *Covarr. Variar. resolut. lib. prim. cap. 17. num. 2. & Anastas. Germon. De Sacror. Immunit. lib. 1. cap. 14. a numer. 2. & sequentib.* Unde eò magis solvendæ sunt Rectoribus Ecclesiarum, qui diù, noctuque *Pervigilant, quasi rationem de animabus reddituri. Hebræo. 13. 17.*

III. Si Canones, & Decreta Ecclesiastica explicaverint, quibus præcipitur solutio Decimarum, congesta per *Monetam de Decim. cap. 1. quæst. 3. num. 38.* & præcipuè Sacrum Tridentinum Concilium *de Reform. sess. 25. cap. 12.* ubi statuit, Decimas debitas esse Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt; earumque solutionem præcipit sub pœna excommunicationis.

IV. Si iidem Parochi sategerint narrare remunerationes quatuor, quas consequuntur à Deo solventes fideliter decimas; Unam *Temporalem* in incremento frugum; alteram *Corporalem* in sana, ac longæva vita; Tertiam *Spiritualem* in remissione culparum; & Quartam *Cœlestialem*. in assecutione Vitæ æternæ; ut docet *S. Augustin serm. 219. de tempore.* Et habetur *in cap. Decimæ tributa, 16. quæst. prima.* 11

V. Si proposuerint, Deum optimum Maximum, qui in Ministris suis creditor est Decimarum, succensere defraudatoribus earum; ut loquitur in *Mal. 3. 9.* Ideoque eos severissimè punire, præcipuè superinducta agrorum sterilitate, ut ex pluribus Historiis relatis, *In Sylva Histor. Joan. Baptistæ Mattioli lib. 3. cap. 1. tit. 17.* ubi inter cætera, narrat de S. BELLINO Martyre, Episcopo Patavino, intetfecto ob defensionem Juris decimandi hujus Episcopatus, cujus interfectoris, Civis potentis, agri adeò steriles facti sunt, ut ipse bonis decoxerit, & à creditoribus carceri mancipatus, in eo obiit, & Sacrilegii sui pœnas luit. 12

VI. Si

VI. Si addant, adeò verum esse, Decimas deberi, & solvi ALTISSIMO, ut de Jure Canonum, neque liceat eas retinere in compensationem crediti, quod quis haberet cum beneficiato. *Barbos. de Jure Ecclesiastico Univ. lib. 3. cap. 26. §. 1. num. 41. Moneta de Decimis. cap. 7. q. 2. num. 41. & cap. 8. num. 6.*

VII. Si supradicta omnia curaverint Parochi, à Regularibus Prædicatoribus in concionibus seriò enunciari.

VIII. Si ipsi beneficiati avaritiæ macula non sint affecti, sed eos populi viderint pios in paupere, & liberales in suas Ecclesias, tunc enim & laici propensiores fient in solvendis Decimis, nam scriptum est, *Date, & dabitur vobis. Luc. 6. 18.*

IX. Si ipsimet beneficiati diligentes fuerint in conficiendis catasticis, & inventariis, cum expressis confinibus agrorum, è quibus Decimæ solvuntur.

X. Si demùm, modestè, sed doctè, confutare didicerint falsam illam assertionem, *ideò Deum*
13 *reservasse Decimas, & Primitias Sacerdotibus, & Clericis Veteris Testamenti, quia nullum prædium possidebant, ac propterea in nova lege, cum tot agri sint concessi Rectoribus Ecclesiarum, Jus decimandi cessare debere.* Falsa enim est dicta assertio, & continet errorem *Joan. Wicleffi, Lutheri, & Spalatensis* ejus assecla; nam Deus ultra Decimas, & Primitias reservatas Levitis ministris suis, voluit eos habere, & possidere 48. Civitates, cum suburbanis, & agris suis, ut
14 scriptum est *Num. 35. 2.* Et sic tantum abest, ut Levitæ nil possederint, ut imò eorum portio major fuerit quacumque portione aliarum Tribuum, ut comprobant *Bellarmin. in controvers. fid. lib. 1. de Cleric. cap. 8. propos. 5. Baron. tom. 1. annal. anno 57. fol. 451. Serarius in Josue cap. 21. quæst. 3. & 4. Diana part. 5. tract. 1. resol. 3.* Quæ in Coordinato est *tom. 9. tract. 3. resol. 2.* Et novissimè *Sperell. decis. 182. à num. 2. & seqq.* ubi *num. 6. & 7.* probat, Levitas possedisse in particulari agros, & campos, & prosequitur demonstrando rationibus, Juribus, ac auctoritatibus SS. Patrum, ac Doctorum, Deum voluisse Ecclesiasticos divites esse ad sui gloriam, & Ecclesiæ decorem. De divitiis, & proventibus Levitarum in lege Mosayca legantur meæ Decisiones de Sacrificio Missæ *Decis. 23. à num. 44.* atque *Decis. 24. num. 19. 20. & 21.*

DECISIO XVII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur quid sit blasphemia? Quàm grave peccatum? Quot modis committatur? Casus duo de hoc crimine. Suasio ad Ecclesiasticos pro quotidiana Oratione mentali per ipsos facienda.

SUMMARIUM.

1. *Blasphemiæ definitio.*
2. *Maledicentia in quo differat à blasphemia?*
3. *Blasphemia peccatum maximum. Rationes plures de hoc.*
4. *Blasphemia tribus modis committitur. Quinam sint?*
5. *Blasphemia an sit dicere.* Sia maledetto quel becco, che mi tiene al mondo?
6. *Maledicere Deiparam, & Apostolos quale peccatum sit?*
7. *Blasphemiæ in Deum, in Deiparam, in Sanctos, in quo differunt?*
8. *Circumstantiæ peccati aggravantes quando sint exprimendæ in Confessione?*
9. *Oratio mentalis quot de causis facienda quotidiè ab Ecclesiasticis?*
10. *Vincentii Caraffæ Præpositi generalis Soc. Jesu notabile dictum.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quid sit Blasphemia?* Quamplures, E omnesque præstantes definitiones allatæ fuere; inter quas illa, quòd sit *Contumelia, verbo, in Deum prolata,* desumpta ex *Riccicull. De Personis, quæ in statu Reprobo versan. lib. 1. cap. 1. num. 3.* Eam verò sic explicarunt. Dicitur *Contumelia,* loco generis, quia hoc verbum comprehendit quamcunque injuriam, in quemquam prolatam. *lib. 1. ff. de injur.* Item, quia ut verbum includat blasphemiam, debet esse contumeliosum; ideò Notarii, & testes, qui materialiter proferunt, vel scribunt verba blasphemiæ, non blasphemant. *Ricciul. dict. capit. 1. num. 3.* additur *Verbo;* Quia hoc vitium proprium est linguæ. *Job. 5: Imitaris linguam blasphemantium;* & ut distinguatur à factis contumeliosis, quæ propriè non dicuntur blasphemia. At sub ly *Verbo* comprehenditur non solùm, quod pronunciatur voce, sed etiam scriptura; cùm qua proferuntur blasphemiæ. 2. *Paral. 23. Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel.* Dicitur *in Deum* immediatè, vel mediatè in Sanctos ejus; & ad differen- Z tiam Maledicentiæ, quæ propriè fertur in homines. Dicitur. *Prolata* sivè ore; sivè etiam corde.

Ad Secundum. *Quanta sit gravitas hujus peccati?* F Omnes concorditer dixerunt, Blasphemiæ peccatum esse omnium maximum, & gravissimum, ut docet *S. Thom. 2. 2. qu. 15. art. 3.* & tradunt *Farinac. in Praxi lib. 1. qu. 20. & Chartar. dec. 2. num. 1. & seqq.* Id probarunt. 1. *Ex Levit. 24.* Ubi Juvenis, qui blasphemaverat, jussu Dei fuit lapidatus; quem non juvit, neque ætas, neque iracundia, neque quod esset in Castris, neque Summum Tribunal Moysis, circumstantiæ omnes, quæ in delictis faciunt minuere pœnam; quibus non obstantibus damnatus fuit morte à Deo; ut ostenderet gravissimum esse hoc scelus. 2. Quia blasphemans dicitur pejerare, nam contrafacit promissioni de diligendo Deo in baptismate firmatæ. *Decian. in tract. Crim. lib. 6. cap. 1. num. 4.* 3. Quia blasphemus deterior est Idololatra, dum non solùm non defert honorem vero Deo, sed petulanter contumeliam infert. *Decian. ubi supra num. 7.* 4. Nam in cæteris delictis est aliqua voluptas, nulla autem in blasphemia. *Abb. in cap. ex parte il 1. de Verb. Signif.* 5. Qui blasphemi sunt pejores canibus, à quibus eorum Domini non petuntur morsibus, ut ipsi faciunt in Deum Dominum suum. *Ricciul. dict. lib. 1. cap. 3. num. 14. & 15.* ubi ait, Sanctos adeò horruisse solum nomen *blasphemiæ,* ut ejus vice proferrent Vocabulum *benedictionis,* ut *Job. 1.* Qui sacrificium quotidiè offerebat pro filiis, *Nè forte peccaverint, & benedixerint Deo in cordibus suis,* id est, *ne blasphemaverint.* & 3. *Reg. 21.* Calumniosi testes dixerunt, *Benedixit Naboth Deo, & Regi;* id est *blasphemavit.* Hinc *S. Joan. Chrysost. in Matth. Homil. 76.* appellat blasphemiam carmen damnatorum, adeò ut blasphemanti dici possit: *Verè tu damnatus es, numer. & loquela tua manifestum te facit,* & propter blasphemias venire Pestem, Fa-

mem, Terræmotus, & alias plagas Divinæ Justitiæ testatur *Imper. in Auth. Ut non luxurientur. §. Præterea.* Utinam hæc prædicarentur à Parochis.

Ad Tertium. *Quot modis committatur blasphemia?* Varii varia scripserunt; sed doctissimi censuerunt, tribus modis blasphemiam committi. 1. Per modum simplicis maledictionis. 2. Per modum convicii. 3. Per modum irrisionis. *Host.* 4 *in cap. 2. de Maledic. Boer. dec. 301. Unicus. dec. 275. num. 4. & 7. & decis. 388. num. 2.* Per modum simplicis maledictionis concipitur blasphemia, quoties maledicitur, vel execratur nomen Dei, aut alicujus Sancti, sivè imperando malum, vel optando carentiam alicujus boni. *S. Thom. 2. 2. qu. 13. art. 1. Suarez de Relig. tom. 1. lib. 1. cap. 4. num. 6. & 7. Sanchez in Decalog. lib. 2. cap. 32. num. 7. & 14.* Per modum convicii dupliciter blasphematur: Primò, quoties tribuitur Deo quod illi non competit, aut removetur ab eo quod illi competit. Secundò, quoties tribuitur creaturæ, quod competit soli Deo. *Ricciul. ubi supra lib. 1. cap. 5. num. 1.* Per modum irrisionis Verba sunt blasphema, quoties dicitur Deo, vel Sanctis aliquod verbum, quod tendit ad injuriam, vel irreverentiam. *Vivius dec. decis. 586. Valent. tom. 3. disp. 1. qu. 1. Tolet. lib. 4. cap. 13. num. 6. Farinac. in Praxi quæst. 20. num. 16.* Novissimè *F. Cassianus à S. Elia Carmelita Discalc.* qui in suo Examine Centum Historiar. *decis. 63. num. 29.* notat, hoc Verbum *Al cospetto &c.* esse Verbum scandalosum, sed *Al cospetazzo*, vel *Al cospettone &c.* esse blasphemiam, ob injuriam, & irreverentiam, quæ sit præsentiæ Dei. Plura de his modis blasphemandi continent mea Erotemata Ecclesiastica *cap. 34.* scitu necessaria Parochis, ac Confessariis omnibus.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Pœnitens confitetur, se solitum dicere. Sia maledetto quel becco, che mi tiene al 5 mondo: *Quæritur, an peccaverit peccato blasphemiæ?*

Alii affirmarunt, quando Pœnitens sic dicendo voluisset, Deum Conservatorem omnium intelligere. Alii negarunt, suppositâ materialitate tantùm Verborum, & excluså intentione, seu relatione ad Deum. Ratio eorum fuit; Primò, quia illa Verba possunt competere etiam hominibus, à quibus pro sustentatione vitæ alimenta sumuntur. *l. Necare ff. de liber. agnoscen.* Secundò, quia in generali sermone non præsumitur, quod quis voluerit comprehendere ea, quorum prolatio sit ei pœnalis. *Bartol. in l. codicillis. §. instituta ff. de leg. 2. Ricciul. lib. 1. cap. 4. num. 22, 23. & 24. & Veggius Consil. 48. per totum.*

AD SECUNDUM CASUM.

Cajus se accusat in Confessione pluries maledixisse Deiparæ, & Sanctis Apostolis. Quæritur, Cujusnam speties sit ejus peccatum? 6

Censuerunt esse ejusdem speciei, cujus est blasphemia in Deum. Hujus responsi duas attulerunt rationes. Primam, quia licèt una blasphemia sit gravior alia, ratione majoris, aut minoris contumeliæ, seu convicii. *San. Thom. 2. 2. quæst. 13. art. 3.* nihilominùs omnes consistunt in contumelia, & habent malitiam contra Religionem. *Suarez. d. tom. 1. lib. 1. cap. 5. à num. 1. usque ad 7. & cap. 6. num. 18. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. qu. 10. Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 32. n. 38.* Alteram, quia Sancti ex vi sui status habent quasi intrinsecam habitudinem in Deum, atque ideò, si afficiantur contumelia, illa quidem transit in Deum, etiamsi hoc formaliter non intendatur; quod experimur in servis, quibus irrogata injuria dicitur pertinere ad eorum Dominos. *l. 1. §. item ff. de Injuriis.* Et in Ministris Principum, qui vindicant eorum injurias, tanquam suæ Majestati factas. *l. Quisquis. C. ad leg. Jul. Majest.* Quamplurimi tamen ex sapientioribus, & Doctoratus Laurea insignitis Parochi duas fecerunt observationes super præmissis. *Una* fuit, quod licèt blasphemiæ non differant speciei, etsi prolatæ vel in Deum, vel in Deiparam, vel in Sanctos; Nihilominùs differunt quò ad pœnam, nam diversa pœna plectuntur; ut tradit *Farinac. de Delict. & pœn. quæst. 20. num. 27. Se-* 7 *cunda* fuit, quod in Confessione exprimendum est, an blasphemia fuerit in Deum, vel in Deiparam, vel in Sanctos, quia licèt non differat specie, habet notabilem gravitatem: quæ debet exprimi, ut notat *Sanchez. d. cap. 32. num. 39. Vers. At retenta opinione verissima.* Quod vellem, adnotarent capellani, qui dum accedunt ad examen pro Confessionibus audiendis, ore rotundo respondent, circumstantias peccati mutantes speciem esse quidem exprimendas, non autem aggravantes; nam contrarium docent DD. in sequentibus casib. 1. In Blasphemia, ut supra 8 dictum est. 2. In gradu consanguinitatis, commisso incœstu. 3. In quantitate furti. 4. In diuturnitate odii. 5. In peccato inter Confessarium, & pœnitentem. 6. Si peccato sit annexa censura, vel reservatio, vel sic expedire judicet Confessarius ob bonam directionem Pœnitentis; nam in his omnibus casibus etiam circumstantiæ aggravantes, etsi non mutent speciem, sunt in Confessione exprimendæ. *Busemb. lib. 6. tract. 4. cap. 1. dub. 3. art. 1. num. 3.* Quæ obiter dicta sint pro supradictis Capellanis, & Tyronibus, quos valdè juvabit legere Decisiones meas de Pœnitentia, & observare dicta in *decision. 45.* circa Circumstantias aggravantes.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

EX quibus suadendi sint Ecclesiastici, ut quotidiè, puro corde, & voluntate bona vacent Orationi Mentali? 9

Ingentes relatæ sunt laudes orationis; & plurima allata argumenta, ad alliciendos Ecclesiasticos, ut mentaliter orent. Cæterùm, ut multa paucis perstringam, possunt persuaderi ob sex respectus. 1. *Respectu Dei.* 2. *Respectu Sui.* 3. *Respectu Beatorum.* 4. *Respectu Viatorum.* 5. *Respectu Necessitatis.* 6. *Respectu Utilitatis.*

1. *Respectu Dei.* Nam meditatio necessaria est ad habendam cognitionem Dei, & Divinorum Attributorum; ejus videlicèt Omnipotentiæ, Sapientiæ, Misericordiæ, Justitiæ, Providentiæ, & aliorum. Ideò Regius Psaltes, *Prævenerunt oculi mei ad te diluculò, ut meditarer eloquia tua. Psal. 118.*

2. *Respectu Sui;* Quia sine meditatione non cognoscet Ecclesiasticus suam fragilitatem, suas inclinationes, defectus, obligationes, occasiones fugiendas, virtutes prosequendas, peccata commissa flere, committenda cavere; remedia discere, & ea adhibere, & præcipuè ponderare vanitatem hujus vitæ præsentis, & æternitatem futuræ. Ideò David, *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui: & meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Psal. 56. 4.*

3. *Re-*

3. *Respectu Beatorum*; quia omnes Sancti studiosissimi fuerunt orationis, & eam maximoperè commendarunt. Hinc *S. Aug. Serm.* 220. *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare. S.* Bonavent. *De progress. Religio. cap.* 7. *Sine isto studio (Orationis Mentalis) omnis Religio est arida; imperfecta, & ad ruinam promptior.* S. Nilus Abbas vocat eam *Speculum Ecclesiasticorum*, in quo mirari se debent. Et Angelicus Doctor ajebat, Ecclesiasticum sine oratione esse militem sine armis. *Rodriquez par.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2.

4. *Respectu viatorum*; nam Ecclesiasticorum munus est docere populum legem Dei; Sed quomodo docebunt, qui non orabunt? P. Vincentius Caraffa Præpositus Generalis Societatis Jesu dicebat, ad convertendum populum opus esse *non bono Rhetore, sed bono Oratore. P. Bartol. in ejus Vita, lib.* 2. *cap.* 13. innuens Ecclesiasticum vacantem Orationi. Et apertum est Divinum oraculum *Eccles.* 39. *Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione; & pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum, & ipse tanquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ.*

5. *Respectu Necessitatis.* Quoniam Theologorum placitum est, Deum ab æterno decrevisse conferre nobis sua dona, si tamen per nos in oratione petantur, ideò deficiente oratione, donis illis privamur, quod tractat. *S. Th.* 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 2.

6. *Respectu Utilitatis*; quia teste *S. August. Oratio justi clavis est cœli: ascendit precatio, & descendit Dei miseratio.* Et mentiri Dominus non potest, qui dixit: *Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Marc.* 11. 24. & nil gratius Angelis, quàm orantibus adstare juxta illud: *Prævenerunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum Tympanistriarum. Ps.* 67. Ex quibus, & aliis longè plurimis concluserunt, necessariam Ecclesiasticis meditationem ad Divinum Amorem acquirendum, siquidem: *In meditatione mea exardescet ignis.* Ps. 38. 3. legant studiosi *il Parocho instruito cap.* 25. Ven. Patris Pauli Segneri Soc. Jesu, ut magis cognoscant utilitatem Orationis Mentalis.

DECISIO XVIII.

ARGUMENTUM.

Sequitur explicatio peccati blasphemiæ. De ea casus, & Doctrinæ pro Confessariis. Impugnantur Choreæ, ac saltationes.

SUMMARIUM.

1. *Blasphemia an sit jurare per corpus, aut sanguinem Dei?*
2. *Jurare per membra Christi an sit blasphemia?*
3. *Blasphemia una an differat specie ab altera?*
4. *Blasphemus quomodo sit interrogandus à Confessario?*
5. *Odium, & blasphemia in Deum sunt duo peccata.*
6. *Choreæ, ac saltationes publicæ quibus argumentis eliminandæ?*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

1 AD Primum. *An sit blasphemia jurare per Corpus Dei, per Sanguinem Dei?* Inspecto Verborum rigore esse blasphemiam, juxta tex. *in cap. Si quis* 22. *q.* 1. *Suarez de Relig. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 11. *Menoch. casu* 375. *num.* 12. *Farinac. in Praxi quæst.* 20. *num.* 18. *&* 19. Ratio est, quia Sacrosanctæ Deitati attribuitur quod non convenit, id est corpus & sanguis. At si hæc verba proferantur ex animi levitate, vel ignorantia, proferentem excusant à blasphemia. *Suarez ubi supra, & Valentia* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 13. *punct.* 1.

Ad Secundum. *An sit blasphemia jurare per membra Christi?* Distinxerunt, vel jurant per Membra 2
Christi, quæ in aliis reputantur verecunda, & inhonesta? & in hoc casu censenda est blasphemia saltem ratione irrisionis. Vel per Membra honesta juratur, & nulla est blasphemia. Ita *S. Anton. p.* 2. *tit.* 10. *cap.* 4. *in princip. Tolet. lib.* 4. *cap.* 13. *Sanch. in Dec. lib.* 2. *cap.* 32. *num.* 39. *Farinac. d. q.* 20. *num.* 20. *& seqq.*

Ad Tertium. *An una blasphemia differat specie ab altera?* Dixerunt non differre ex rationibus Deci- 3
sis præterita consideratis, quod notat etiam *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 10. Et licèt diversa sit adoratio Deiparæ, & Sanctorum, nempè Latriæ, Duliæ, Hyperduliæ; & sic videatur blasphemia mutare speciem, sicut differt species adorationis, quam illa percutit, & offendit, nihilominùs, cum in Religionem communiter contumeliam, & malitiam habeant, sunt ejusdem speciei, nisi essent hæreticales, vel procederent ex odio Dei, nam ob offensionem fidei, & charitatis Dei, different specie. *Summa Diana Verb. blasphemia num.* 3. ubi utramque opinionem probabilem dicit. Et ipse *Diana p.* 1. *tr.* 7. *res.* 50. *& p.* 5. *tr.* 13. *resol.* 21. Quæ in Coordinato sunt *tom.* 1. *tr.* 7. *resol.* 31.

AD PRIMUM CASUM.

Titius in confessione se accusat, protulisse plures blas- 4
phemias. Quæritur, an Confessarius debeat eum interrogare, utrùm contra Deiparam, vel contra Sanctos eas protulerit? Omnes concluserunt, Confessarium interrogare debere, ob rationem adductam ad Secundum Casum præteritæ Decis. xvii. videlicèt, quia licèt blasphemiæ hujus pœnitentis secundum aliquos DD. non differant specie, negari tamen non potest, quin gravior, & deformior sit blasphemia in Deum directè prolata, quàm aliæ; prout gravius est blasphemare Deiparam, quàm alios Sanctos; ideòque ratione gravitatis, & enormitatis talis circumstantia est exprimenda, ad tradita per *Graff. de casib. reserv. cap.* 10. *num.* 9. *Cajetan.* 2. 2. *q.* 13. *art.* 1. Videantur meæ Decisiones de Pœnitentia *Decis.* 27. *num.* 3. ubi gravissimi Auctores allegantur, docentes prædictas blasphemias differre specie.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam ex nimio odio in Deum blasphemavit, & ma- 5
ledixit ejus nomen Divinum. Quæritur, an satis sit, si se accuset, hoc unico Verbo Blasphemavi Nomen Domini? Concordi responsione dictum fuit. Non esse satis, sed explicare Pœnitentem debere, quod maledixit ex nimio odio in Deum. Ratio est manifesta, quia duplex est malitia in hoc casu, una contra Religionem, blasphemando, seu maledicendo Divinum Nomen; alia ex odio, quod est contra Præceptum dilectionis Dei. Quocirca, cum habeamus in hoc casu, non solùm circumstantiam aggravantem, sed etiam mutantem speciem, utraque est manifestanda in confessione, ut docent omnes DD. inter quos *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 6. *num.* 12. *Ricciul. d.*

lib. 1. cap. 7. num. 16. Comitol. respons. mor. lib. 4. q. 9. cap. 5. num. 12. d. mea *Decis. 27. num. 3. de Pœnitentia.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

6 *Quæ argumenta debeat Parochus adducere populo, ad eliminandas publicas saltationes, seu choreas tam perniciosas?*

Iterum fuit propositus hic Casus & hoc anno, ut numquam satis se fecisse sciant Parochi, nisi eliminetur talis abusus, ubi viget. Ideò ultra prænotata anno præterito ad Prudentialem Casum *Miscellan. Decis. 4. num. 9.* dederunt infrascripta argumenta. 1. Populos monendos, Choreas esse circulos Dæmoniacos, nam ducuntur per circuitum, & de Diabolo scriptum est, quod *Tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret. 1. Petr. 5.* 2. Esse actus irreverentiæ directè contra Deum, quia fiunt diebus festis, in quibus vacandum foret orationi, ac divinis officiis. 3. Esse proximas occasiones labendi in luxuriam, saltem ex delectatione morosa, & desiderio cordis. 4. Saltantes versari magno in discrimine honoris, & vitæ ob zelotypiam, & ebrietatem. 5. Parochum aversionem maximam ostendere debere choreis, & contra eas indesinenter prædicare. 6. Hortentur ipsi Parochi præcipuè in confessionibus tum Patresfamilias, ac Matres, tùm puellas, ut abhorreant saltationes; quas omnes SS. Patres toto spiritu semper sunt detestati, adeò ut *S. Augustinus in libro de Decem chordis,* dixerit: *Rectiùs facturas fœminas hebræas, si diebus Sabbathorum nerent, quàm totas Nomenias in impudicis saltationibus consumerent.* 7. Narrent Parochi historias, quibus constat, gravissimas punitiones è cœlo immissas in saltatores, & sonatores. 8. Sororem S. Petri Damiani ob auditam musicalem cantilenam pœnas in Purgatorio per dies 18. luisse; quò majores luent, puellæ singulis festis diebus in cymbalis, & sonitu saltantes? 9. Curent Parochi, ut eorum populi meditentur vicinam mortem, pœnas inferni, & gloriam Cœlestem, & considerent, quot, & quanti olim saltarunt, qui nunc cruciantur in igne æterno. *Ducunt in bonis dies suos, tenent tympanum, & cytharam, & in puncto ad inferna descendunt. Job. 21. 13.* 10. Ipsi Parochi induant verum zelum animarum, honoris Dei, & suum munus benè adimplendi, ideò orent, legant Libros Sacros, & singulis festis diebus prædicent, & corda populorum ad cœlestia inflamment, & à vanitatibus revocent. 11. Tandem legant supracitati Ven. P. Pauli Segneri *Il Christiano Instruito part. 3. Serm. 29. per totum,* in quo reperient rationes, eruditiones, auctoritates, & exempla ad terendos saltatores, ac saltatrices, pro hujusmodi abusu eliminando.

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

De eodem gravissimo peccato Blasphemiæ quæsita, & casus scitu necessarii. Pro astruenda devotione in Ecclesiasticis qui libri sint magis proprii?

SUMMARIUM.

1. *Blasphemiæ species diversa. Et quæ?*
2. *Interna Blasphemia an detur?*
3. *Expuere in Crucem, & eam pugno percuttere quænam species sit peccati?*
4. *Jurare se quid facturum* al dispetto di Dio *quale peccatum sit?*
5. *Libri magis necessarii pro colenda devotione in Ecclesiasticis?*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quotuplex sit Blasphemia?* Alii, esse duplicem. Unam *Simplicem*, alteram *Hæreticalem.* Prima est, quæ nec formaliter, nec virtualiter continet falsitatem contra Veritatem fidei. Altera est, quæ articulis fidei directè opponitur. *Basseus Verb. Blasphemia. num. 1. Bonacin. in princ. Præcept. Decal. quæst. 8. punct. 1. num. 2.* Alii, esse duplicem, *Oris* scilicèt, vel *cordis.* Ore blasphematur tripliciter, Enunciando, ut *Deus non est bonus: non est justus.* Detestando, ut *Pereat Deus, Maledictus Deus,* Irridendo, ut *Vah, qui destruis templum Dei, Tolet. in Summa lib. 4. cap. 13. à num. 6. & seqq.* Corde blasphematur dupliciter. Primo per intellectum, removendo quod competit Deo; vel attribuendo quod illi non convenit; & tunc si cùm errore contra fidem, est hæreticalis, sin minus est blasphemia simplex. Secundò per affectum detestando. *Summa Tabiena part. 1. Verb. blasphemia num. 2.* Alii esse Triplicem. Prima *Enunciativa*, quando aliquid improprium affirmatur, vel negatur de Deo. Secunda *Maledica*, quando quis malè loquitur de Deo, aut Sanctis ejus. Tertia *Turpiloqua*, cum quis irreverenter verba facit de Deo, & Sanctis. *Viguerius in Instit. ad Christ. Theolog. cap. 10. §. 6.* Alii, blasphemiam esse multiplicem, quia tot sunt modi blasphemandi, quot sunt modi laudandi Deum. At laus refertur Deo, enunciando, deprecando, imperando, optando, admirando; ergo è contra blasphemia alia est *Enunciativa*, ut Deus non est justus: Alia *Detestativa*, ut maledictus Deus. Alia *Imperativa*, ut sit Deus cunctis invisus. Alia, *Optativa*, ut utinam contingat hoc malum Deo. Alia *Admirativa*, ut ò Deus crudelis: de quibus omnibus apud *Comitol. resp. moral. lib. 4. quæst. 9. cap. 2. per totum.* Plurimæ aliæ divisiones allatæ fuerunt, quæ omittuntur, ut brevitati consulatur, & ne his impiis locutionibus mens pii lectoris affligatur. 1

Ad Secundum. *An detur blasphemia interna?* Concorditer affirmarunt, quia sicut Deus solo corde laudari potest, ita potest solo corde blasphemari, juxta *Psal. 13. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, & Job offerebat Sacrificia pro filiis suis ad hunc effectum, videlicèt *Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint* (ideſt blasphemaverint) *Deo in cordibus suis. Job. 1.* Et sic tenet *S. Th. 2. 2. quæst. 13. art. 1. Suarez tom. 1. lib. 1. cap. 4. n. 2. Navar. in Summ. cap. 12. num. 18. Tolet. lib. 4. cap. 13. num. 6. & Decian. tractat. crimin. lib 6. cap. 2. n. 2.* 2

AD PRIMUM CASUM.

ANtonius, dum sua peccata accusat coram Confessario, confitetur, semel ira motum Crucem expuisse, & pugno percussisse, nullo tamen verbo prolato, Quæritur, quænam sit hæc species peccati? Discordes fuerunt in opinione, non autem in studio, & in rationibus hinc inde militantibus. Alii asseruerunt, supradictum esse peccatum *blasphemiæ*; quia expuere in crucem, eamque pugnis percute- 3

cutere est actus contumeliæ in Christum Dominum. Ergo est species peccati blasphemiæ; cujus formalitas consistit in contumelia contra Deum. *Layman. lib. 4. tract. 10. cap. 6. num. 2. & 4. Paul Comitol. lib. 4. quæst. 9. cap. 1.* Alii affirmarunt, esse peccatum *Infidelitatis*, vel genericæ Contumeliæ in Christum; separatum tamen à blasphemia, tùm quia ex recepto usu loquendi, blasphemia propriè in vitio linguæ consistit. *S. Augustin. lib. 2. de Morib. Manicheor. capit. 11.* tùm etiam quia sicut laus consistit in solis verbis: *Semper laus ejus in ore meo. Psalm. 33.* Honor autem in signis, & factis. *S. Thom. 2. 2. quæst. 133. art. 1. ad 3.* Ita blasphemia consistit in solis verbis; in factis autem consistunt opera Idololatriæ, vel contumeliæ. *Alex. de Ales par. 3. quæst. 13. Membr. 3. Navar. in manual. cap. 12. num. 81. Suarez tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 4. num. 4.* Ulterius *in cap. 2. §. cæterum. De offic. ord. in 6.* Projicere imagines, seu statuas Crucis, ac Beatissimæ Virginis Mariæ, easque spernere, non dicitur blasphemia, sed actus horrendæ, ac detestabilis indevotionis; ac tandem si aliter diceretur, omnis actus factus contra Religionem, posset nuncupari blasphemia. Hæc opinio videtur probabilior; illud tamen est indubitatum, quod in foro fori, contra deturpantes, & spernentes Imagines Sacras pœna gravior est imponenda, quàm blasphemis. *Chartar. decis. 2. num 18. Menoch. de arbitr. Casu 396. & Caball. resol. Crim. 91.*

AD SECUNDUM CASUM.

4 *QUidam, ut audientes certos redderet de quadam re facienda, ait* la farò al dispetto di Dio. *Quæritur, quodnam peccatum sit istud?* Absque discrepantia convenerunt respondentes, esse blasphemiam hæreticalem: nam dicta Verba negant Potentiam in Deo, quod est contra primum articulum fidei. *Boer. decis. 301. num. 1. Jul. Clarus in §. blasphemia num. 2. Decian. tract. Crimin. tom. 2. cap. 2. num. 4. & Farinac. de Delict. & pœnis quæst. 20. num. 20.* Novissimè *F. Cassianus à S. Elia decis. 63. n. 9.* ubi reddit rationem, dicens, quia illa Verba. *Al dispetto di Dio*, significant, *etiamsi Deus noluerit*, & sic offendunt ejus omnipotentiam, ac innuunt Deum non potentem.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

5 *QUi sint libri, quibus Ecclesiastici magis indigent, ad colendam devotionem; & ad rectè peragendas Cæremonias Sacras?* Prudenter responderunt, *Ecclesiasticum* considerari posse vel tanquàm *Christianum*, vel tanquàm *Sacerdotem*, vel tanquàm *Animarum Pastorem*. Quilibet tanquàm *Christianus* habere, & legere deberet Sacrum Evangelium, Vitas Sanctorum, Opera P. Granatæ, Sancti Francisci Salesii, Didaci Stellæ de Vanitate mundi; & opuscula, tùm Cardinalis Sfortiæ Pallavicini, *l' Arte della Perfezione Christiana*, tùm P. Pauli Segneri Soc. Jesu. *Il Penitente Instruito; La Vera Sapienza. Il Divoto di Maria Vergine; La Manna dell' Anima*, & ulterius *Il Christiano Instruito.*

Tanquàm *Sacerdos*, quilibet habeat, & legat Rubricas Missalis, Bartholomæum Gavantum, & Paulum Mariam Quartum ad ipsas Rubricas; Verum Ecclesiasticum P. Joseph. Mansi; Paræneſim Teleturgicam Episcopi Sperelli; P. Antonium Molinam de Dignitate Sacerdotum; & præcipuè Commentaria in Psalmos, vel Incogniti, vel Cardinalis Bellarmini, aut alterius expositoris, pro devota recitatione Horarum Canonicarum.

Tanquàm *Animarum Pastor* quilibet habeat, & assiduè revolvat studendo, & legendo Cathechismum Romanum; Synodales Constitutiones, Summam Theologiæ Moralis, vel Cardinalis Toleti, vel Busembaum; Medullam Theologicam Lud. Abelly; Rodriquez *Esercizii della Perfezione Cristiana*; & Quadragesimale supradicti P. Pauli Segneri, qui per rationes, & argumenta solida agit de modo suadendi populum ad Dei præcepta servanda; ac novissimè ejusdem Auctoris *Il Parocho Instruito*, & *Il Cristiano Instruito.*

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Discutitur, an liceat jurare per deos falsos? per diabolum? & quis sit blasphemus consuetudinarius? Casus duo, unus de blasphemia, alter de Juramento per comparationem. Obligatio solvendi legata pia.

SUMMARIUM.

1. *Jurare an liceat per Deos falsos?*
2. *An per Diabolum?*
3. *Blasphemus consuetudinarius quis dicatur?*
4. *Blasphemare Christum, & Apostolos unico contextu quot sint peccata?*
5. *Jurare per comparationem ad Christum, vel ad Evangelium, quale peccatum sit?*
6. *Legata pia ex quibus motivis sint promptè solvenda?*

Ad Infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *An liceat jurare per Deos falsos?* Ferè omnes usi sunt hac distinctione, 1
Vel loquimur de vero, & serio Juramento; & nequaquam licet, imò qui juraret verè, & seriò per falsos Deos, committeret blasphemiam, omnium nefandissimam; Juramentum enim sit ad honorem Dei, qui affertur in testem Veritatis. *cap. 2. cum seqq. 22. quæst. 1.* idcircò qui per falsos Deos juraret, daret Creaturæ honorem debitum Deo Creatori, quod prohibuit Deus *Exod. 23. Per nomen externorum Deorum non jurabitis.* Et hæc docent *Suarez de Relig. tom. 1. tit. de Irreligiositate cap. 6. numer. 13. Sanchez ad Præc. Dec. lib. 2. cap. 32. numer. 9. Busembaum lib. 3. tract. 2. capit. 1.* Vel intelligimus de Jocoso Juramento, ideſt Joci causa facto, irridendo falsos Deos, & illicitum non videtur. *Ricciull. de Personis, quæ in Statu reprob. lib. 1. cap. 10. num. 31.*

Ad secundum. *An liceat jurare per diabolum?* Eadem usi sunt distinctione; nempe quod verè, & seriò non liceat, quia esset blasphemia hæreticalis. *Valentia 2. 2. disp. 1. quæst. 13. punct. 1. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 3. Sanchez d. cap. 32. num. 34.* Secùs autem si per jocum fiat. At neque ex joco licere advertit. *Ricciul. d. cap. 10. num. 34.* ubi notat, hunc abusum admodum familiarem esse apud Siculos, & Calabros, ideòque nonnulli Episcopi fecerunt illum Casum sibi reservatum; quia licet deficiente intentione honorandi diabolum, cesset deformitas hæreticalis, remanet tamen simplex peccatum abusus. 2

3 Ad Tertium. *Quando quis dicatur Blasphemus Consuetudinarius?* Nonnulli censuerunt, ex tribus distinctis actibus blasphemandi induci consuetudinem. *Decian. in Tract. Crimin. tom. 2. lib. 6. cap. 3. num. 26. Farinac. de delict. & pœnis quæst. 20. num. 44.* At plurimi tenuerunt, majorem numerum actuum blasphemiæ requiri ad faciendum blasphemum consuetudinarium juxta doctrinam *Menochii de Arbitr. casu 375.* relati *par Quarant. Verb. Blasphemia in addit. Carenæ de S. Offic. part. 2. tit. 7. num. 22.* Et Noviſſimè *Antonii Concioli Cantianenſis in ſuis Reſolutionib. Criminalib. Verb. Blaſphemia reſol. 1. num. 4.* ubi notat, quod ille dicitur conſuetus blaſphemare, qui per plures dies, puta quinque, vel ultra blaſphemat. Et hæc opinio approbata jam fuit in hac Curia Epiſcopali; quæ declarando primum Caſum reſervatum de blaſphemantibus ex conſuetudine, definivit, talem cenſeri, qui *Octies* à poſtrema confeſſione blaſphemaverit.

AD PRIMUM CASUM.

4 *QUidam unico contextu blaſphemavit Chriſtum, & Apoſtolos. Quæritur, quot peccata commiſerit?* Diſcordes fuerunt in numero. Alii voluerunt, duo tantùm fuiſſe commiſſa peccata; quia blaſphemia in Apoſtolos terminatur unico actu & moraliter eſt unica tranſgreſſio, & unus moraliter actus ſine interruptione. *Navar. in Man. cap. 6. num 17. & 38. Bonacin. tom. 1. De Cenſuris in com. diſp. 1. quæſt. 1. punct. 5. num. 7.* Alii ſuſtinuerunt; tredecim fuiſſe peccata, quia contumelia illata in plures, habet tot malitias, quot ſunt perſonæ. *l. Pater 41. ff. de injuriis;* ideò qui unico ictu occidit tres Clericos incurrit tres excommunicationes. *Io. Andr. in cap. delictum De Reg. Jur. in 6. Sayr. de cenſur. lib. 1. cap. 10. num. 9.* Alii concordare voluerunt dicentes, eſſe unum peccatum æquipollens tredecim peccatis, ex doctrina *Azor. part. 1. lib. 4. quæſt. 5.* & hæc opinio tanquam magis propria amplectitur *à Ricciull. d. lib. 1. cap. 11. à num. 11. & ſeqq.*

AD SECUNDUM CASUM.

5 *QUidam affirmaturus certam rem ab eo factam, ſic ait: Res iſta eſt ita vera, ſicut verum eſt, Chriſtum eſſe natum de Virgine Maria; & ſicuti verum eſt Evangelium. Quæritur quale peccatum committat?* Omnes cum diſtinctione proceſſere. Videlicèt, vel animus ſic affirmantis eſt, aſſerere tantam eſſe certitudinem in eo dicto, quanta eſt in fidei veritate; & ſic committit blaſphemiam hæreticalem, quia æquiparat Veritatem divinam cum veritate humana, & tantum tribuit creaturæ, quantum Creatori, & infamat quodammodo Evangelium. *Suar. ubi ſupra tom. 1. cap. 6. num. 12. Ricciul de lib. 1. cap. 10. num. 35.* Vel ſic loquens non intendit ſupradictam comparationem; ſed talem qualem ſimilitudinem, ſano modo intelligendam, tunc nullum eſt peccatum, quia non facit injuriam, vel contumeliam Deo, aut fidei; ſed potiùs eam magnificare videtur. *Tambur. in Decal. l. 2. cap. 6. §. 4. num 16. & Bonacin. tom. 2. in Primum. Dec. Præceptum diſp. 3. quæſt. 8. punct. 2. num. 13.* Videantur mea Erotemata *c. 32. num. 23.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

6 *QUibus mediis ſuadendi ſint debitores piorum Legatorum, ut illa promptè, & cum affectu ſolvant?* Sequentia tradiderunt. 1. Quod verſantur in ſtatu damnationis ob peccatum mortale, non ſolventes quod debent. 2. Poſt eorum mortem hæredes, quos reliquerint, ordinata per ipſos non eſſe executuros; juxta illud *Math. 7. Omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* 3. Quot ſunt incapaces abſolutionis, tùm quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum; tùm quia eſt Caſus reſervatus in hac Diœceſi. 4. Quod ſunt vocandi crudeles; privantes animas defunctorum debitis ſuffragiis, quæ lamentantur, & dicunt, *Quare carnibus noſtris ſaturamini? Job. 19.* 4. Quod Deus remunerat etiam in hac vita, proſpera concedendo iis, qui ſatagunt pia legata ſolvere, ut de Salomone, qui diligenter executus fuit voluntatem Patris. 5. E contra Deum punire etiam in hac Vita non ſolventes legata pia, & hæc eſt potiſſima cauſa deſtructionis domorum, ac familiarum. 6. Eos eſſe ſimiles incendiariis, nam ſi illi comburunt ſegetes, vel domos; non ſolventes pia legata, detinent in igne Purgatorii parentes, ac conjunctos. 7. Quod Jus civile præcipit tardantes ſolvere legata, eſſe condemnandos in duplum. §. *Item mixta, ubi Gloſſ. Verb. diſtulerint, & Verb. In Judicium. Inſtit. de Actionib.* 8. Imò teneri hæredes ad intereſſe ſolvendum pro legatis piis non ſolutis. *Tiraquell. de Privileg. piæ cauſæ Priv. 141. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 688. num. 19.*

DECISIO XXI.

ARGUMENTUM.

Referuntur pœnæ ſtatutæ in blaſphemos, & in provocantes ad blaſphemandum. Ad quid ſint obligati, qui audiunt aliquem blaſphemare? Blaſphemus an poſſit capi in Eccleſia? Quæ & quot facienda ab Eccleſiaſticis, ut ſalventur?

SUMMARIUM.

1. *Pœnæ in blaſphemos quæ, & quot ſint ſtatutæ?*
2. *Provocantes ad blaſphemandum quibus pœnis puniantur?*
3. *Audiens aliquem blaſphemare ad quid teneatur?*
4. *Blaſphemus an gaudeat immunitate loci Sacri?*
5. *Eccleſiaſtici quæ debeant facere, ut ſalventur?*

Ad infraſcripta Quæſita, & Caſus DD. Parochi, & Confeſſarii dixere.

AD Primum. *Quænam ſint pœnæ ſtatutæ in blaſphemos?* Reſtringendo, quæ profuſis, doctiſque calamis ſcripta ſunt, de Jure Moſayco erat Lapidatio. *Levit. 24.* De Jure civili mors naturalis. *Auth. Ut non luxurientur contra naturam. §. 1. & 2.* De Jure Canonico antiquo Excommunicatio *cap. 2. de Maledic.* De Jure novo Pontificio, ſi blaſphemus eſt laicus, punitur pœna pecuniaria, & in ſtatu Eccleſiæ. Si clericus per Bullam *S. Pii V.* prima vice privatur fructibus beneficii, altera vice beneficiis ipſis; tertia vice deponitur, & in exilium mittitur. Si beneficium non habet, punitur pœna pecuniaria, vel corporis afflictiva. *Novar. in ſumma Bullar. p. 1. Commentar. 33. num. 1. Ricciullus de perſonis, quæ in ſtatu reprobo lib. 1. cap. 14.* ubi *num. 11.* advertit, quod quò ad laicos hodie infligitur pœna ſecundum ſtatuta municipalia, quibus non extantibus intrat arbitrium Judicis; quod docet etiam *Jul. Chartar. deciſ. 2. num. 22. Sperell. deciſ. 134. num. 52. & Conciolus d. Verb. Blaſphemia reſol. 1. num. 5.* Et mea Erotemata. *cap. 34. num. 27.*

Ad

Ad Secundum. *Quas pœnas incurrat, qui provocat*
2 *alium ad blaſphemandum?* Cenſuerunt incurrere eamdem pœnam, qua puniuntur blaſphemi. Id autem probarunt. 1. Ex 2. *Reg.* 12. ibi. *quia feciſti inimicos blaſphemare nomen Domini, propterea filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* 2. Quia lex imponens pœnam delinquenti, habet locum etiam in eo, qui facit fieri delictum. *Gloſſ. in l. Quod crimine ff. de accuſat. c. Qui per alium. De Regul. Jur. in 6.* Et ſic tenet *Plot. in tr. de Blaſphem. num.* 11. *Lazar. quæſt.* 4. *num.* 33. *& Ricciul. d. lib.* 1. *quæſt.* 21.

AD PRIMUM CASUM.

3 *Quidam Viri probi audierant triſtem hominem blaſphemantem, & ei nihil dixerunt; at paulo poſt dubitant, ſe peccaſſe, & aliquam obligationem ſibi imminere: ideò accedunt ad Confeſſarium, eumque conſulunt de hoc dubio. Quæritur, quid debeat eis reſpondere Confeſſarius pro Veritate, & Juſtitia?*

Sapienter dixerunt, reſpondendum eſſe à Confeſſario, quod prædicti Viri probi ad duo tenebantur, videlicèt ad *Correctionem fraternam*, tùm ex præcepto Evangelico, *Matth.* 18. *Si peccaverit frater tuus, corripe inter te, & ipſum ſolum*, Tùm ex decreto Concilii Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *ſ. Ad abolendam.* Et ad *Denunciationem*, ſi blaſphemia erat hæreticalis; tàm ſi occultè, quàm publicè prolata. *Triviſ. lib.* 2. *deciſ.* 51. *num.* 6. *&* 7. *Farin. de Hæreſi. quæſt.* 197. *numer.* 35. Si verò blaſphemia erat ſimplex, & ille homo non erat publicus blaſphemator, non eſt denunciandus, maximè ſi ſpes ſubſit emendationis. *Ricciul. d. lib.* 1. *cap.* 22. *num.* 18. ubi notat, denunciationem faciendam eſſe in Sancto Officio Inquiſitionis, nulla præmiſſa correptione fraterna, ubi blaſphemia eſt hæreticalis, niſi audiens timeret, ſibi aliquod grave damnum obventurum. *Novar. in Man. cap.* 18. *in fine. Menoch de arbitrar. caſu* 487. Et prædicta mea Erotemata *cap.* 34. *num.* 35. ubi alii DD.

AD SECUNDUM CASUM.

4 *Quidam blaſphemus denunciatus, & proceſſatus, intellexit, contra ſe eſſe factum Decretum capturæ: ideo confugit in locum ſacrum. Satellites volentes ibi eum capere, petunt à Parocho, an poſſint? Quæritur, quid Juris?*

Ferè omnes dixerunt, à Parocho eſſe reſpondendum birruariis, ſatellitibuſvè, quod ſi dictus blaſphemus eſt proceſſatus ob blaſphemiam ſimplicem, non poſſunt eum extrahere ab Eccleſia; quia gaudet loci ſacri immunitate; at ſi eſt reus blaſphemiæ hæreticalis, non gaudet Immunitate Eccleſiæ, & per conſequens poteſt etiam in ea capi. *Novar. in Summa Bull. pag.* 1. *Comment.* 72. *num.* 43. *& pag.* 2. *Comment.* 80. *num.* 25. *Diana pag.* 1. *tract.* 1. *reſol.* 38. *& part.* 4. *reſol.* 51. Quæ in Coordinato ſunt *tom.* 9. *tract.* 1. *reſol.* 29. *& reſol.* 40. Sed non omnes addiderunt, quod magis advertendum eſt ab ipſo Parocho, videlicet edocendos prædictos Miniſtros Juſtitiæ, quod etſi ille homo reus ſit hæreticalis blaſphemiæ, & non gaudeat Immunitate Eccleſiæ, nihilominùs, non poſſunt illum extrahere abſque expreſſa licentia, & mandato Epiſcopi; quam non habentes, debent in primis, & ante omnia obtinere, alias incurrent in excommunicationem Papalem per Bullam *Gregorii XIV.* quæ requirit prædictam licentiam Epiſcopi in Caſibus exceptis; & eſt de forma. *Novar. d. Comment.* 72. *num.* 89. ubi plurimos allegat Theologos, & Juriſtas.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quæ, & quot determinare, ac facere debeat 5
Vir Eccleſiaſticus, ut ſalvet animam ſuam?

Lepidè quidam plura adnotarunt, quorum fructuoſiora, ex diverſis collecta ſequuntur, nam Alii dixerunt determinanda, & facienda illa duo conſcripta à David. *Declina à malo, & fac bonum. Pſalm.* 33. 15. Alii illud Unum. Job. 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea*, expectando ſcilicet quotidiè Mortem, quia teſte S. *Hier. Felicè contemnit omnia, qui ſæpè cogitat, ſe eſſe moriturum.*

Alii, illud unum; quod fixum erat in corde S. Franciſci Xaverii: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* *Matth.* 16. Alii, illa quatuor, quæ commendabat S. Philippus Nerius, *Spernere mundum, Spernere nullum, Spernere ſeipſum, Spernere ſe ſperni*, ſunt enim hæc dona Superni. At alii, maturiùs, & profundiùs quæſitum meditati, cenſuerunt, hæc omnia determinare, & facere oportere. 1. Alta mente tenere, & ſedulò cogitare principalem hominis Chriſtiani finem, qui eſt, Deo in hac vita ſervire; & Deo in æternitate potiri. 2. Ad conſequendum hunc finem, non eſſe vivendum ſecundum naturam; ſed ſecundum Gratiam. 3. Ad vivendum ſecundum Gratiam, non carni, aut mundo obſequendum; ſed Redemptorem Noſtrum JESUM CHRISTUM imitandum. 4. Imitationem Redemptoris conſiſtere in *Abſtinendo, in Operando, in Patiendo.* 5. Ideò Eccleſiaſticos (qui volunt ſalvare animam ſuam) abſtinere debere à Delectationibus, à Divitiis, & ab Honoribus; nam Salvator voluit naſci, vivere, & mori pauper, deſpectus, & humiliatus. 6. Eoſdem operari debere pro ſua, & proximorum ſalute fortiter, & ſuaviter, id eſt animo conſtanti, ſed manſueto. 7. Tandem neceſſe eſſe pati, ac ſufferre patienter, & lætanter quaſcunque tribulationes, & adverſitates, quomodocunque obvenientes, eas à Divina manu recipiendo, juxta Redemptoris exemplum; qui *Factus eſt obediens*, Æterno Patri, *uſque ad mortem, mortem autem Crucis.*

Hæc ſeptem collegerunt è libello 24. Veritatum *P. Juliani Haynovii Soc. Jeſu:* quæ utinam determinentur, & perficiantur ab Eccleſiaſticis quibuſcunque. De obligatione ſtrictiſſima, quam habent Eccleſiaſtici faciendi eleemoſynam de fructibus ſuperfluis beneficiorum videantur meæ Deciſiones *de Pœnitentia Deciſ.* 10.

DECISIO XXII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quid & quotuplex ſit Simonia, & in quibus rebus committatur? Caſus tres ſimoniaci; unus circa Sacramentorum adminiſtrationem; alii duo circa beneficia. De remediis, pro tollendo abuſu ſecretæ converſationis inter Viros, ac puellas nubiles.

SUM-

SUMMARIUM.

1. *Simoniæ definitio.*
2. *Simoniam an excuſet parvitas materiæ?*
3. *Simonia quotuplex ſit?*
4. *Simonia quo jure prohibita?*
5. *Simonia conſidentialis quænam ſit?*
6. *Simonia quibus in rebus committatur?*
7. *Spiritualium rerum genera tria.*
8. *Pretium in Simonia triplex.*
9. *Parochus recuſans miniſtrare Sacramenta abſque donativis an peccet?*
10. *Beneficiorum in permutatione ſi temporale detur, Simonia eſt.*
11. *Triennali poſſeſſori bonæ fidei non nocet Simonia ab alio commiſſa ſuper ſuo beneficio.*
12. *Remedia decem contra abuſum ſecretæ converſationis maſculorum, ac fœminarum nubilium.*

Ad infraſcripta Quæſita, & Caſus DD. Parochi, & Confeſſarii dixere.

1 AD Primum. *Quid ſit Simonia?* Innumeræ propemodùm relatæ ſunt definitiones, ex Theologis, Canoniſtis, Juriſtis, & Caſiſtis depromptæ. Una eſt: *Simonia eſt ſtudioſa Voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.* S. *Thom.* 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 1. Alia eſt. *Simonia eſt Spiritualium, vel annexorum ſpiritualibus, præcedente pacto promiſſionis, conditionis, modi, ſervitii precum, vel cujuſvis temporalitatis receptio, vel donatio. Hoſtien. in Rubric. de Simonia §.* 1. Alia eſt. *Simonia eſt rem Sacram re profana, ſeu quæ civilem habet æſtimationem, emere, ſeu vendere, Paul. Comitol. reſp. moral. lib.* 5. *quæſt.* 14. *num.* 4. Ex quibus, & aliis multis, quæ brevitatis ſtudio omittuntur, colligitur, tunc eſſe Simoniam, quando pro Re ſpirituali datur Pretium temporale, & eſt peccatum mortale, contra virtutem Religionis, prohibitum Jure Divino, naturali, & humano, adeò ut neque excuſet parvitas materiæ ſecundum *Suarez de Religione*
2 *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 5. communiter approbatum; quod notat etiam *Paſqualig. dec.* 478. quamvis aliqui DD. parvitatem materiæ admittant, ut refert Diana. *pag.* 5. *tract.* 5. *reſol.* 2. Quæ in Coordinato eſt *to.* 5. *tract.* 9. *reſol.* 2.

Ad Secundum. *Quotuplex ſit Simonia?* Copioſiſſimas dederunt diviſiones; ſed cæteris omiſſis, illa viſa eſt fructuoſior, quam tradit *Reginald. lib.* 10. *cap.* 27. *num.* 429. Videlicèt Simoniam conſiderari poſſe vel ex parte *Modi*,
3 vel ex parte *Juris*. Primò modo Simonia eſt Triplex. *Mentalis*, quæ in ſola mente, excluſis quibuſcunque pactis, vel dictis externis, conſiſtit. *Conventionalis*, quæ in pactione, ſeu conventione, nondum ad effectum hinc inde perducta à promittentibus, conſideratur.
4 Et *Realis*, quæ in reali datione promiſſorum ſuum eſſe habet. Altero modo, dividitur Simonia, ita ut alia ſit prohibita de *Jure Divino*, & alia de *Jure Canonico*. *Tolet. in Summ lib.* 5. *cap.* 86. *Comitol. lib.* 4. *quæſt.* 6. *num.* 1. *Bonacin. tom.* 1. *De Simonia diſp.* 1. *quæſt.* 2. *à num.* 1. *& ſeqq.* Et hæc òmnia ex reſcriptis Parochialibus; quibus addenda eſt alia ſpecies Simoniæ ſcilicet *Confidentialis*; & cadit in dimiſſionibus, vel reſignationibus beneficiorum cum pacto ea retrocedendi alteri perſonæ, vel ſolvendi
5 partem fructuum, aut Penſionem, abſque beneplacito Romani Pontificis, contra quam extant duæ Bullæ, una *Pii Quarti*, quæ incipit *Romanum decet*, & altera *S. Pii Quinti*, incipien. *Intolerabilis*, de quibus tractant Canoniſtæ, & præcipuè *Flamin. Pariſius*, ac *Theſaur. de pœnis part.* 2. *Verb. Simonia, capit.* 3. *Sanchez in Conſiliis Moral. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 34. Et copioſè mea Erotemata *cap.* 35.

Ad Tertium. *Quæ ſint res, quarum cauſa committitur Simonia?* Plures plura dixere; omnium 6
autem ſenſus fuit, Simoniam committi in rebus ſpiritualibus; quæ ſunt triplicis generis. *Aliæ*, purè ſpirituales, ut virtutes ſupernaturales, & poteſtates, & uſus ipſarum. *Aliæ* mix- 7
tæ cum temporalibus, ſed plus de ſpirituali participantes, quàm de temporalitate, ut Sacramenta, Sacramentalia, & beneficia, & *aliæ* pariter mixtæ, ſed quæ magis participant de Temporalitate, quàm de ſpiritualitate, ut Vaſa Sacra, Templorum loca, Cantorum officia, & ſimilia; in quibus omnibus Simonia committitur, quando pro eis datur Pretium, quod 8
eſt Triplex: *A manu*, ut pecunia; *A lingua*, ut laus, vel vituperium: & *Ab obſequio*, ut ſervire ad effectum habendi beneficium. *Tolet. d. lib.* 5. *capit.* 84. *Et Summa Diana Verb. Simonia numer.* 3.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Parochus recuſabat baptizare pueros ſuæ 9
Parochiæ, & audire Confeſſiones ſuorum Parochianorum, quando ei non portabant par unum gallinarum. Quæritur, an peccaret? Et quale peccatum committeret? Reſponderunt, peccare Simoniæ peccato, & quidem mortali. Quod ſit peccatum Simoniæ conſtat, quia exigebat rem temporalem, ut erant gallinæ, pro re ſpirituali, nempe Sacramentis Baptiſmi, & Pœnitentiæ. *cap. Cum in Eccleſiæ corpore* 9. *de Simonia*, nam cum ſupponatur, habere à beneficio honeſtam ſuſtentationem, nullo titulo legitimo honeſtabatur ejus exactio. *Diana. pag.* 11. *tract.* 6. *reſ.* 34. Quæ in Coordinato eſt *to.* 5. *tract.* 7. *reſ.* 15. *num.* 3. ubi DD. Et quando præcedit pactum, ſeu taxatio rei tradendæ pro Spirituali ſemper eſt Simonia. *cap. Tuæ nos* 34. *de Simonia, & Extrav.* 1. *eod. tit.* Quod autem peccatum ſit mortale, ex eo reſulat, quia in Simonia non datur parvitas materiæ, ex qua peccatum dici poſſit Veniale, cum ejus malitia conſiſtat in contemptu rei ſpiritualis & parvitas pretii aggravat culpam, & injuriam in rem ſpiritualem, dum minoris æſtimatur. *Theſaur. de pœnis pag.* 2. *Verb. Simonia, cap.* 1. *Verſ. Amplia tertiò.* Ubi DD. cumulat.

AD SECUNDUM CASUM.

Duo beneficiati permutaturi in manibus Epiſcopi eo- 10
rum beneficia, quia ſuper uno erat Penſio Pontificia Ducatorum 25. *convenerunt, ut poſſeſſor beneficii gravati illam extingueret. At permutatione facta, cum Penſionarius noluiſſet extinguere penſionem ſuam, ipſe Poſſeſſor dedit ſuo compermutanti Ducatos ducentos in compenſationem, & pro ferendo onere dictæ Penſionis; nullo Verbo habito cum Epiſcopo. Quæritur an hi compermutantes Simoniam committant?*

Abſque hæſitatione ad hunc caſum non fictum, ſed factum, reſponderunt omnes Simoniam committi. Rationes concludentiſſimas, ac doctiſſimas allegarunt, deſumptas *Ex Navar. cap.* 23. *num.* 100. *Ex Vaſquez in opuſcul. de be-*

n.ſ.

nef. cap. 2. §. 4. *dub.* 3. *pag.* 427. *Et ex Bonacina* alios cumulante *tom.* 1. *de Simonia disp.* 1. *q.* 4. §. 12. *num.* 10. Quibus Curia addit Decisionem punctualem S. Rotæ Romanæ decidentem committi Simoniam, id est *coram Penia decis.* 430.

AD TERTIUM CASUM.

11 *QUidam adeptus est beneficium per Simoniam commissam à fratre suo, insciо tamen ipso beneficiario. Quæritur, an teneatur dimittere beneficium, quandocunque notitiam habet dictæ Simoniæ?* Affirmativè dixerunt ante expletum possessionis triennium; Negativè transacto triennio cùm bona fide; quia juvatur regula de triennali possessore cum bona fide, & titulo saltem colorato. *Gomez ad d. reg. q.* 12. *Ugolin. de Simon. tab.* 4. *cap.* 6. §. 9. *Garzias de benef. p.* 8. *cap.* 1. *num.* 14. *& Bonac. d. tom.* 1. *de Simon. disp.* 1. *q.* 7. *punct.* 2. *num.* 20.

AD CASUM PRUDENTIALEM

12 *QUibus industriis, & rationibus possit Parochus tollere abusum, qui inter masculos, & fœminas nubiles viget, loquendi, ac tractandi secretò de amore, ac de nuptiis ineundis?* Dixerunt. 1. Admonendos esse eorum genitores, ne eis hanc facultatem, vel commoditatem permittant. 2. Iisdem ostendendum periculum defiorationis puellarum. 3. Detractiones honoris earumdem ex hac conversatione secreta prodire. 4. In Concionibus publicis graviter increpandum esse hunc abusum. 5. Docere, quod genitores tenentur sub culpa mortali de medio tollere hanc pernicioſam libertatem, ipsosque pueros, & puellas obligatos esse obedire. 6. Ex his colloquiis sæpè sæpiùs infaustas nuptias produci, & matrimonia amaritudinibus plena. 7. E contra, ubi filiæ abstineant ab his amoribus, & earum genitores Nuptias promoveant, erunt feliciores, & à Deo benedictione cœlesti donabuntur. 8. Alias, & ipsæ filiæ stupra patientur; infamiam incurrent; & familiæ hinc inde ad odia, inimicitias, ac arma exardescent; cùm irreparabili detrimento vitæ, honoris, bonorum temporalium. 9. Parochi sæpè sæpiùs ex Altari declarent Nonum Decalogi Præceptum, & ostendant in iis colloquiis amatoriis illud offendi ob desideria inhonesta, & morosas delectationes. 10. In confessionibus se difficiles reddant in absolvendo illos, qui in eliminando hoc abusu non sint dispositi.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Continuatur materia Simoniæ, & quæritur, an sit prohibita, quia est mala? An sit mala, quia est prohibita? An liceat dare pecuniam pro redimenda Vexatione in beneficio? Casus Patroni Simoniaci. Item Pensionarii volentis extinguere suam Pensionem. Motiva, quibus Ecclesiastici debent suas functiones devotè facere.

SUMMARIUM.

1. *Simonia an sit prohibita, quia est mala? vel è contra?*
2. *Vexatione pro redimenda an liceat dare pecuniam?*
3. *Patronus beneficii an pro præsentatione possit accipere pecuniam?*
4. *Pensionis extinctio cum pecunia an licita?*
5. *Ecclesiastici quot motivis debent devotè functiones suas facere.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *An Simonia sit prohibita, quia est mala?* Vel *An sit mala? quia est prohibita?* 1 Omnes cùm distinctione responderunt: *Simoniam*, quæ repugnat Juri Naturali, & Divino, ut accipere pretium pro Sacramentis, pro ordinibus, aut aliis rebus spiritualibus, esse prohibitam, quia ex se est mala. *Simoniam* verò, quæ damnata est à solo Jure Ecclesiastico, ut accipere pretium in examine ad Paræcias, vendere officia Ecclesiastica, permutare beneficia propria authoritate, esse malam, quia est prohibita. *Glos. in cap. ex p.* 1. *Vers. remittere, & ibi Innoc. & Hostien. De offic. Deleg. Layman. lib.* 4. *tr.* 10. *cap.* 8. *num.* 61. *& Nicolius. tom.* 1. *lib.* 4. *tit.* 18. §. 1. *n.* 23. qui *num.* 33. advertit, Simoniam primi generis posse committi etiam à Papa, secùs autem Simoniam Juris Ecclesiastici.

Ad Secundum. *An liceat dare pecuniam pro redimenda Vexatione in beneficio?* Pariter sub hoc distinctionis fœdere omnes processerunt. Aut electus nondum habebat jus in re beneficio, id est nondum erat institutus, vel confirmatus in eo; & in hoc casu non licèt pecuniam dare pro redimenda vexatione, quia daretur pro acquirenda re spirituali, quam non habet. Vel Jus in re habet, obtenta jam institutione, vel confirmatione; & in hoc casu dare pecuniam licèt ad redimendam vexationem. *Layman. ubi supra tr.* 10. *cap. ult.* §. 2. *num.* 22. *Theologi, & Canonistæ cumulantur.* Ratio est, quia cum jam acquisierit Jus spirituale, non dat pecuniam pro eo, sed pro repellendo impedimento injustæ Vexationis. *Fagnan. in cap. Nobis num.* 104. *de Simonia.* Mea Erotemata *cap.* 35. *num.* 11. 2

AD PRIMUM CASUM.

QUidam Patronus, vacante beneficio, recepit pecuniam à quodam Presbytero, ut eum præsentaret, prout præsentavit ad illud beneficium. Petit à Confessario. An ejus conscientia sit onerata, & an pœnas aliquas incurrerit? Quæritur, quid sit responsurus Confessarius? 3

Consona fuit omnium responsio; huic Patrono dicendum fore, reum esse Simoniæ; quia pro spirituali, qualis est præsentatio, accepit temporale lucrum, & pecuniam. *Redoan. de Simonia part.* 3. *cap.* 13. *num.* 22. *Suarez lib.* 4. *cap.* 28. *à num.* 7. *& seqq. Bonac. de disp.* 1. *qu.* 4. §. 11. *n.* 4. Ideò ejus conscientiam oneratam esse. 1. Peccato mortali. *cap. mandato. De Simon.* 2. Excommunicatione Papæ reservata. *Extravag.* 2. *de Simon. & Bulla S. Pii V. Incipit. Cum primum* §. 7. 3. Tenetur restituere pecuniam acceptam, vel pauperibus, vel Ecclesiæ, ad quam dictum Sacerdotem præsentaverat *cap. De hoc cap. Audivimus. De Simon.* 4. Procurare debet remotionem à dicto beneficio prædicti beneficiarii, quia præsentatio fuit nullius valoris; ipseque Sacerdos est omninò inhabilis, & incapax dicti beneficii. *Thesaur. de Pœnis, part.* 2. *Verb. Simonia. cap.* 2. *& cap.* 3.

AD SECUNDUM CASUM.

QUidam Pensionarius consulit Confessarium, quomodo, & quando possit extinguere Pensionem suam cum suo Pensionato beneficiario, recipiendo pecuniam. Quæritur, quid debeat respondere Confessarius? 4

Retulerunt duas opiniones Doctorum adinvicem contrarias. Una est, quod Pensionarius non possit extinguere Pensionem absque licentia Papæ, ex pluribus rationibus allegatis *à Bonac.*

dict. quæst. 4. §. 17. *num.* 7. ubi concordantes adducit & præcipuè, quia est aliquid spirituale, ex quo Pensionarius tenetur recitare saltem officium parvum Deiparæ. Altera, quæ affirmat, licitam esse extinctionem anticipatis solutionibus absque prædicta licentia Summi Pontificis, quam sustinent *Layman. lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 8. *num.* 48. *Lessius lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 22. *num.* 124. & *Loter. lib.* 1. *de Re benefic. quæst.* 42. & *lib.* 3. *quæst.* 29. *num.* 81. & *seqq.* ubi probat, Pensionem habere quidem contiguitatem, & cohæsionem quandam beneficio, super cujus fructibus est imposita, sed non esse annexam inseparabiliter Juri spirituali ejusdem beneficii; prout est Juspatronatus, quod ex eo cognoscitur, quia si extinguatur, titulus ille beneficialis vel per suppressionem, vel per unionem, adhuc Pensio integra remanebit, tanquam fundata in mera temporalitate fructuum absque ulla spiritualitate; prout vice versa extincta Pensione non extinguitur beneficium; & ideò *num.* 88. subdit pactio de extinguenda pensione non potest dici Simoniaca; *Et num.* 90. & 91. docet, onus recitandi officium non esse satis ad inducendam spiritualitatem in Pensione, nisi data esset in titulum beneficii Ecclesiastici. *Bursat. cons.* 178. *num.* 28.

Prima opinio est securior; at secunda est usitatior; & ego vidi utramque practicari; & licèt aliquando hæsitaverim circa opinionem Loteri, hodie absque scrupulo amplectendam censeo, fultus auctoritate S. Rotæ Romanæ, quam allegat *Thesaur. Fori Ecclesiast. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 74. *Vivian. de Jurepatronat. lib.* 13. *cap.* 9. *num.* 47. & tenet novissimè *Tondut. de Pensionibus cap.* 17. *num.* 24. & 25. qui *num.* 29. subdit, quod onus recitandi divinum officium Gloriosissimæ Virginis est per accidens, & non mutat naturam Pensionis, quæ tota est temporalis, ac propterea concludit hanc secundam opinionem esse veriorem, & probabiliorem; illam tamen intelligendo de Pensione jam constituta, non autem de constituenda, quia hæc non posset extingui anticipatis solutionibus, puta in actu collationis, vel resignationis beneficii; quia esset labes **Simoniaca,** deficiente Papæ auctoritate; prout etiam si Pensio esset data in titulum beneficii Ecclesiastici, ut ajebat Loterius, hæc enim nequaquam redimi, vel extingui cum pecunia posset sine Summi Pontificis licentia. Patet igitur ex his quid debeat Confessarius respondere.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

5 *Quæ, & quanta sint motiva; quibus Ecclesiastici tenentur versari in Ecclesia summa cum reverentia, & modestia; ac celebrare devotè officia Divina?* Dixere. 1. Quia Ecclesia est domus Dei, & vocatur domus orationis, ac in ea Majestas Divina dicitur modo particulari adesse. 2. Quia realiter adstat Christus Dominus in Eucharistia. 3. Quia Laici sumunt exemplum ab Ecclesiasticis ipsis, qui *Spectaculum facti sunt mundo, & Angelis, & hominibus.* 1. *Cor.* 4. 4. Quia Ecclesiasticorum irreverentia, & parva devotio est maximum peccatum, Dei maledictione dignum, juxta illud: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Jer.* 48. 5. Quia ex officio tenentur ad summam devotionem habendam, quia de eis scriptum est: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est. Matth.* 5. 6. Quia reverentia, & pietas Ecclesiasticorum auget devotionem populorum; de quibus Parochus nostras pius, & doctus, scriptum reliquit:

Quidquid vident Laici nobis displicere,
Dicunt, proculdubio sibi non licere,
At quid nos operis vident adimplere,
Credunt esse licitum, & culpa carere.

DECISIO XXIV.

ARGUMENTUM.

De gravitate criminis Simoniæ, & de ejus pœnis tàm si sit realis, quàm conventionalis, aut confidentialis in beneficiis, seu cum examinatoribus Synodalibus. Casus duo Simoniaci, unus in ordine sacro, alter in resignatione beneficii. Quibus modis excitabitur in populis devotio erga Sacrosanctam Eucharistiam?

SUMMARIUM.

1. *Simoniacæ labis gravitas.*
2. *Pœnæ octo contra Simoniacos in beneficiis reales.*
3. *Fructus beneficii restituendi à Simoniaco etiam ante sententiam. Et an ab aliis personis? Et cui?*
4. *Pretium Simoniacum restituendum pauperibus.*
5. *Excommunicatio Papalis contra Simoniacos.*
6. *Simoniaci incapaces beneficiorum.*
7. *Mediatores in Simonia fiunt inhabiles ad beneficia.*
8. *Simoniaci puniendi, & prioribus beneficiis privandi.*
9. *Simoniaci infames sunt, & irregulares à solo Papa dispensandi.*
10. *Clementis Papæ Noni dictum de Cardinali Barbadico Episcopo Patavino.*
11. *Simoniæ Conventionalis casus sex omninò sciendi.*
12. *Parochus de conventionali Simonia Patavii punitus.*
13. *Re spirituali tradita, sed non pretio convento, an intrent omnes pœnæ contra Simoniacos latæ?*
14. *Pretii pars si data sit, Simonia completa dicitur.*
15. *Fictio in promittente pretium an excuset à Simonia?*
16. *Confidentialis Simonia quando dicatur completa?*
17. *Quid sit Simonia Confidentialis?*
18. *Pœnæ quatuor Confidentialis Simoniæ.*
19. *Examinatores Synodales nihil recipere possunt pro examine.*
20. *Quas pœnas incurrant, aliquid recipientes?*
21. *Donare aliquid Episcopo ordinanti an sit Simonia?*
22. *Pœnæ sex contra ordinantem & ordinatos Simoniacè.*
23. *Simonia an sit in resignatione beneficii reservare sibi maturatos fructus de cætero exigendos?*
24. *Fructuum pertinentia pendet à tempore collectionis, non autem debitæ sollutionis.*
25. *Modi, quibus excitatur devotio erga Sacrosanctam Eucharistiam.*

Ad infrascripta Quæsita, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD Primum. *Quale crimen sit Simonia?* esse peccatum mortale gravissimum, *cap. Reperiuntur* 1 1. *quæst.* 1. Et pestem sui magnitudine alios animæ morbos vincentem. *cap. Sicut. De Simonia.* Sed Sapientiores addidere, Simoniam esse crimen publicum. *cap. Tanta. De Simonia. leg. Si autem. C. de Episc. & Cler.* undè commissum in quacunque materia, reddit condemnatum in Judicio infamem infamia Juris, & irregularem.

cap.

cap. fin. 1. quæst 3. ubi Gloss. & Turrecrem. Menoch. de arbitr. casu 401. num. 26. & Thesaur. de Pœnis pag. 2. Verb. Simonia cap. 1. Ubi notat, quod infamia, & irregularitas resultat in Simoniaco, etiam non expectata sententia, quando Simonia in eo est notoria; quamvis id limitet in Simonia beneficiali secundum opinionem aliquorum, in qua necessaria est sententia. *Sanchez in consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 104. num. 9. & 16.* Ulteriùs Simonia licèt mentalis tantùm est punibilis in foro fori, si de ea probationes haberi possint. *Mascar. de probat. conclus. 1310. numer. 23.* & in foro poli obligat ad restitutionem pretii, quando acceptio ejus continet injustitiam. *Suarez tom. 1. de Religion. lib. 4. de Simon. cap. 59. num. 44.*

Quo ad Secundum. *Quæ sint pœnæ ob Simo-*
2 *niam realem in beneficio?* Plurimi plurima coacervarunt, ex quibus selectæ sunt sequentes pœnæ, tanquàm veræ & Canonicæ, ac recensitæ à probatissimis Auctoribus.

Itaque *Prima Pœna*, ob realem Simoniam completam in beneficio, est nullitas dispositionis ipsius beneficii, ita ut ex electione, vel collatione, vel Institutione, vel nominatione, vel postulatione, vel præsentatione, vel resignatione, vel permutatione, nullum Jus indè acquiratur in eo beneficio, & ideò retineri non potest à Proviso cum Simonia, sed ante omnem declaratoriam, illud dimittere debet. *Extravag. Detestabile. §. per electionem. d. Simon.* Et Bulla 5. *Sancti Pii V.* incipit *Cum Primum §.* 8. Et à tali obligatione dimittendi non excusatur provisus mediante Simonia, neque per ignorantiam Juris, neque per ignorantiam facti, id est, si bona fide recipisset beneficium, nihil sciens de Simonia, (excepto quod, si per triennium possedisset cum dicta ignorantia facti, & bona fide, quia tunc eum suffragaretur Regula de Triennali, ut supra dictum est. *Thesaur. de Pœnis de part. 2. Verb. Simonia. capit. 2. numer. 2. ubi DD.*) & hæc pœna procedit tàm in Simonia manifesta, quàm in Simonia occulta. *Suarez. tom. 1. De Relig. lib. 4. de Simonia cap. 57. num. 27.*

Secunda Pœna est obligatio restituendi fructus
3 perceptos ex beneficio Simoniacè, & mala fide acquisito, etiam in foro conscientiæ, & ante sententiam declaratoriam. *D. Extravag. Detestabile*, & Bulla *S. Pii V. Cum primum. §. 8. Suarez. d. cap. 57. num. 36.* Quæ obligatio in subsidium afficit mediatores, & cooperatores Simoniacos. *Ugol. tab. 4. De Simonia c. 8. num. 3. & 4.* Imò etiam Confessarium, qui absolvendo Simoniacos fuerit causa, quominùs fructus perceptos restituant. *Quarant. Verb. Simonia. §. altera pœna.* Restitutio autem fieri debet Ecclesiæ læsæ.

Tertia Pœna est obligatio pariter restituendi pretium Simoniacum tàm à principali, quàm
4 à mediatorib. *c. de hoc cap. Audivimus.* De *Simonia.* Et quidem ante declaratoriam; & restitutio est facienda vel Ecclesiæ, cui illata fuit injuria, vel pauperibus, secundum veriorem opinionem. *Thesaur. ubi supra. num. 4.*

Quarta Pœna est Excommunicatio Papalis, quam incurrunt omnes complices, scilicèt tàm prin-
5 cipales, quàm mediatores quicunque ipsius Simoniæ. *D. Extravag. Cum detestabile. §. statuentes. De Simon.* Et D. Bulla *S. Pii V. Cum primum §. 8. Diana pag. 4. tract. 4. resol. 151.* Quæ in Co-

ordinato est *tom 5. tract. 7. resol. 22. Thesaur. ubi supra num. 5.*

Quinta Pœna est inhabilitas ipsius Simoniaci 6
provisi ab obtinendum idem beneficium per Canonicam aliam provisionem, nisi dispensatus fuerit super priori Simoniaco ingressu, quantumvis occulto, vel ignorante. *cap. penult. De elect. cap. De Simoniacè. De Simon.* D. Bulla *S. Pii V. Garzias de benef. part. 8. capit. 1. numer. 56*

Sexta Pœna est inhabilitas tàm ipsius bene- 7
ficiarii Simoniaci, quàm mediatorum ad quæcunque alia beneficia obtinenda. D. Bulla *S. Pii V. Garz. d. cap. 1. numer. 17.* quæ afficit prædictos omnes ipso Jure, & ante Sententiam declaratoriam, ut pro veriori sententia tenet. *Azor. tom. 3. lib. 12. cap. 21. in fin, Et Thesaur. d. cap. 2. num. 7.*

Septima Pœna est privatio beneficiorum ante 8
Simoniæ labem obtentorum, quam Judex per sententiam ipsis infligere potest, eosque corporaliter punire. *Antonell. de Regim. Eccl. lib. 6. cap. 18. num. 6. in fin. Tondut. Res. benefic. part. 3. cap. 135. num. 23. & 24. Loter de Re benef. lib. 3. cap. 29. num. 161.*

Octava tandem Pœna est Infamia, & Irregula- 9
ritas, quibus affecti remanent omnes Simoniaci, dummodo tamen tales sint declarati, vel facti notorietate, vel Judicis sententia. *Thesaur. ubi supra num. 8. & 9. ubi DD.* qui subindè notat, quod à prædictis Pœnis, obligationibus, & inhabilitatibus nullus potest dispensare, nisi Romanus Pontifex, excepta excommunicatione in casu occulto, à qua Episcopus absolvere valet per *Concil. Trident. sess. 24. cap. 6. de ref. ubi Barbos. num. 12.* idem *Barbos. de Jure Eccl. lib. 1. cap. 11. num. 142.*

Hinc S. M. *Clemens Papa Nonus* anno 1667. 10
fisus eximia prudentia, & integritate *Eminentiss. Nostri Præsulis*, eidem ex specialissima gratia concessit, ut etiam beneficiarios Simoniacos, impositiis pro suo arbitrio salutaribus Pœnitentiis, ab omnibus supradictis pœnis posset absolvere, & ad retinenda beneficia habilitare; gratia quidem, & concessio insolita, sed non denegata *Eminentiæ suæ;* quam prælibatus Sum. Pontifex professus fuit, dignam credere, cui *Claves Petri* liberè committerentur.

Ad Tertium. *Quæ sint Pœnæ Simoniæ Conventio-*
nalis? Quia discordes sunt inter se Doctores, & super hoc quæsito vel obscurè, & confusè scribunt; ideò DD. Parochi, & Confessarii neque concordes neque satis responderunt ad illud. Quare pro recta intelligentia ejus, cujus cognitio plurimi
11 valet ad redarguendas Simoniacas conventiones, si fortè ad aures sedentium in Confessionalibus perveniant, sex Casus sunt distinguendi.

Primus Casus est; quando Simonia conventionalis à neutra parte deducta est ad effectum, quia neque pretium traditum est, neque data res spiritualis; & in hoc casu contrahentes non incurrunt pœnas, vel censuras ipso Jure inflictas contra Simoniacos. *Marescot. Var. resolut. lib. 2. cap. 35. num. 24. & 25. ubi DD. & decis. Rotæ.* Sed peccant mortaliter. *Rota post Farinacium lib. 1. Consil. Crimin. decis. 34. num. 5.* Et possunt graviter puniri in foro fori pœna Judicis arbitraria. *Suarez tom. 1. lib. 4. de Simonia cap. 55. num. 15.* quia graviter, & scandalosè

delinquunt. *Antonell. de Regim. Eccl. lib. 6. cap. 18. num. 5.* Pro ut viginti jam ab hinc annis, cum ego munere Advocati Fiscalis in hac
12 Episcopali Curia Patavina fungerer, in facto obtinui contra quendam Parochum, qui scripturam confecerat resignandi suum beneficium, sed convenerat, & pactus fuerat cum resignatario, ut is teneretur totam ejus suppellectilem, seu mobilia emere, & statim in pecunia numerata pretium refundere, cumque Curia formato processu relaxasset mandatum capturæ, & dictus resignans refugisset, & appellasset ad Metropolitanum Aquileien. Ibi facta causa, Fiscus Curiæ Patavinæ victor fuit, nam judicata fuit Simonia conventionalis punibilis juxta supracitatos DD. quibus adstipulantur. *Navar. in Manual. cap. 23. num. 111. Piasecius in Praxi par. 1. cap. 4. num. 48. & Gomez ad reg. Trien. quæst. 12.*

Secundus Casus est Simoniæ Conventionalis, quando datum est ab una parte Pretium temporale; sed ab alia non est tradita res spiritualis. Et in hoc pariter casu pœnæ, & censuræ ipso Jure latæ in Simoniacos non intrant; ut plenè probat *Suarez d. lib. 4. De Simonia c. 55. num. 12.* & 13. pluribus text. rationibus, ac præcipuè, quia donec res spiritualis contrectetur, non est satis completa irreverentia, quæ contra illam fit; *Tondut. resolut. benef. part. 3. cap. 160. num. 10.* Attamen utraque pars peccat mortaliter, & puniri potest à Judice, *Antonell. d. lib. 6. cap. 18. num. 5.* ubi subdit, dictum pretium Simoniacum esse restituendum ei, à quo accepit, ante sententiam Judicis. *Layman. lib. 4. tractat. 10. cap. ultim. §. 9. num. 79. & Diana part. 4. tractat. 4. resol. 157. & 167.* Quæ in Coordin. sunt *tom 5. tract. 7. resolut. 6. & 9.* Sed post sententiam restitutio est facienda arbitrio Judicis, vel pauperibus, vel Ecclesiæ læsæ, vel alteri pio loco. *Graff. in Decis. Aureis part. 1. lib. 2. cap. 98. num. 7. Antonell. ubi supra num. 5.*

13 *Tertius Casus* est, quando ab una parte tradita est res spiritualis pro executione Conventionis Simoniacæ; sed ab altera parte non est traditum pretium. In hoc casu, maxima est discrepantia tàm Theologorum, quàm Canonistarum, quos longa manu cumulat, & refert *Garzias de benefic. part. 8. cap. 1. à num. 16. & seqq.* ubi utraque opinio examinatur. Prima est pœnas omnes, & censuras incurri ipso Jure, licèt non fit datum pretium, quod plenè probat *Sotus de Justit. & Jure lib. 9. quæst. 8. §. 1. & Tolet. lib. 5. cap. 93.* ea potissimùm ratione, quia traditio rei spiritualis cùm promissione pretii est vera Emptio, & Venditio; ergo est vera Simonia, quod prosequitur etiam *Suarez d. lib. 4. cap. 55. num. 26.* Secunda opinio est, quod pœnæ, & Censuræ contra Simoniacos latæ non habeant locum, nisi quando completa fuerit Simonia per traditionem pretii; & pro hac pariter rationes plures adducit *Suarez d. lib. 4. de Simon. cap. 56. num. 25.* quarum una est, quod pœnæ inflictæ pro aliquo delicto, intelliguntur de delicto plenè, & ex omni parte consummato cùm effectu. At in hoc casu Simonia non est plenè consummata, nondum data pretio. In hac celebri altercatione Doctorum, & rationum conflictu, DD. Parochi, & Confessarii ferè omnes remanserunt dubii, & irresoluti, quare Cura Episcopalis pro responsione ad Quæsitum duas assertiones firmat, Unam *Pacis Jordani Episcopi Tragurien.* qui *tom. 2. lib. 10. tit. 11. num. 35.* sic ait: *Utraque sententia probabilis videtur, secunda quidem frequentior, & benignior; sed prior magis solida; & ni fallor, amplectenda, in odium præsertim tanti criminis:* Ideò à sensu hujus Prælati non videtur discedendum. Alteram assertionem dat *Suarez lib. 4. cap. 56. num. 32.* & est in collatione ordinum, prævia Simoniaca conventione, pœnæ de Jure inflictæ statim afficiunt, etiamsi nondum res temporalis sit tradita juxta *tex. in cap. penult. de Simonia;* & sic suprædicta secunda opinio non potest procedere in Simonia conventionali circa collationem Ordinum.

Quartus Casus est, quando in Simonia Conventionali tradita est res spiritualis, pretium 14
autem non est datum totum, sed una ejus portio tantùm: & in hoc casu, omnes concorditer docent, habere locum pœnas, & censuras contra Simoniacos in Jure statutas. *Suarez d. lib. 4. de Simonia cap. 55. num. 17. & cap. 56. n. 30. Pyrrh. Corrad. in Praxi Dispens. Apost. cap. 9. num. 5. & 6. Tondut. resolut. benefic. part. 3. cap. 160. num. 6.*

Quintus Casus est, quando in Simonia Conventionali, qui pretium promittit, fictè pro- 15
mittit, nam habet animum decipiendi datorem rei spiritualis, & nihil ei solvere. In hoc casu non intrant censuræ, & pœnæ inflictæ de Jure contra Simoniacos; etsic recipiens peccat mortaliter, quia cooperatur Simoniæ alterius, & potest à Judice puniri. *Nihil Lucuprat. Civil. lib. 4. tit. 18. §. Simonia num. 22. Bonacina tom. 1. De Simonia disput. 1. quæst. 2. num. 8.*

Sextus tandem Casus est, quando Simonia est 16
confidentialis, in quo, licèt res temporalis non fit tradita, sed tantùm promissa; per solam rei spiritualis traditionem intrant censuræ, & pœnæ latæ contra Simoniacos, de quibus in quæsito sequenti. *Nicol. de tit. 18. num. 36. Parisius de consiliden. quæst. 1. num. 150. & 159. Sanchez. in consil. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 106. num. 5. & Tondut. d. part. 3. cap. 160. num. 11.*

Ad Quartum. *Quæ sint pœnæ Simoniæ confidentia-* 17
lis? Præmiserunt, Simoniam confidentialem esse, quando beneficium aliquod Ecclesiasticum confertur, resignatur, permutatur, sivè alio modo circa ipsum disponitur, hoc animo, ut beneficium ipsum, aut fructus ejus, aut pars aliqua ipsorum restituantur, vel reservantur conferenti, vel eligenti, vel præsentanti, vel resignanti, aut alteri personæ, juxta beneplacitum prædictorum. *Jordan. lib. 10. tit. 11. num. 67. Layman. d. tract. 10. de Simonia. cap. ult. §. 8. num. 75.* contra quam emanarunt duæ Bullæ Pontificiæ, Una *Pii Quarti 85.* in ord. incipit *Summum Pontificem,* Altera *S. Pii Quinti 45.* exordien. *Intolerabilis multorum perversitas:* in qua ulteriùs prohibita est conventio, & pactio, ut resignans faciat expensas pro resignatario, vel hic solvat expensas Bullarum pensionis pro regnante. *Navar. cons. 74. de* 18
Simon. Pœnæ igitur Simoniæ confidentialis sunt.

1. Nullitas cujuscunque collationis, aut provisionis beneficii, quod statim vacare intelligitur à die receptionis confidentialis, & ejus dispositio est Sedi Apostolicæ reservata.

2. Obligatio restituendi fructus quoscunque

ex

ex tali beneficio perceptos Cameræ Apostolicæ, cui sunt debiti, & reservati in utroque foro.

3. Recipientes beneficia in confidentiam, si sunt Cardinales, Episcopi, vel Prælati incurrunt Interdictum ab ingressu Ecclesiæ; alii verò excommunicationem & utraque censura est Papæ reservata.

4. Tales confidentiarii privantur etiam aliis beneficiis antea obtentis, & fiunt inhabiles ad alia obtinenda; prout ex dictis Bullis *Pii Quarti & S. Pii Quinti* explicat *Parisius de Consid. qu. 22. Mascard. de Prob. conclus. 13. 12. & Thesaur. de Pœnis Eccles. par. 2. Verb. Simonia. cap. 3. ubi* advertit, d. pœnas incurrere recipientes beneficia in confidentiam, non autem illa dantes, vel mediatores, aut Cooperatores, ut dentur: at hi incurrunt Censuras, & pœnas Simoniæ realis, quando beneficium juxta pactum, vel mentem confidentiæ transit in eum cui designatum erat *Bonacina de Simon. q. 7. §. 1. num. 11. Layman. de Simon. num. 78.* Illud ulteriùs advertendo, quod in Simonia confidentiali recipiens incurrit omnes supradictas pœnas, & censuras, licèt res temporalis non sit tradita; sed solùm res spiritualis recepta, ut antea diximus, excepta tamen pœna privationis aliorum beneficiorum antea obtentorum, quia hæc non intrat, nisi quando completur Simonia, & fit realis per implementum præstitum ab eo, qui beneficium accepit in confidentiam. *Thesaur. d. cap. 3. in fine, Rota coram Verall. part. 2. decis. 260. & part. 3. decis. 358.* Et mea Erotemata *cap. 35. num. 19.*

Ad Quintum. *Quæ sint pœnæ Simoniæ in Examinatoribus in concursu ad Paræcias?* Retulerunt verba Sacri Tridentini Concilii *Sess. 24. de reform. cap. 18.* ubi data forma examinis per concursum habendi coram Examinatoribus Synodalibus, addit *Caveant* (ipsi) *ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioqui Simoniæ vitium, tàm ipsi, quàm alii dantes incurrant, à qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur.* 19

Ex hoc decreto Conciliari si quid datum fuerit Examinatoribus Synodalibus pro examine ad Paræcias, intrant sequentes pœnæ.

1. Ipsi Examinatores sunt excommunicati excommunicatione illa, quæ lata est contra Simoniacos reales. *Navar. cons. 67. de Simon. Thesaur. d. par. 2. Verb. Simonia cap. 4.* 20

2. Provisus incurrit nullitatem provisionis illius Parochiæ, quam retinere non potest, sed in foro conscientiæ tenetur dimittere etiam ante declaratoriam. *Ugolin. de Simonia Tab. 1. cap. 48. §. 7. Thesaur. ubi supra cap. 2. & cap. 4.*

3. Tam Examinatores, quàm examinati incurrunt privationem aliorum beneficiorum per eos antea obtentorum. *Thesaur. d. cap. 4.* ubi tamen id intelligit, si sequatur contra eos sententia declaratoria juxta. *Lessium cap. 35. num. 148. & Taner. part. 3. disp. 5. q. 8. num. 98.*

4. Incurrunt inhabilitatem ad quæcunque alia beneficia. *Thesaur. d. cap. 4.* ubi observat, ad dictas pœnas incurrendas requiri Simoniam completam, id est, ut sit datum munus temporale ab examinato, & suffragium ab examinatore, & ulteriùs notat, parvitatem materiæ non excusare ob illa verba: *Ne quidquam prorsus,* quod latè demonstrat *Garzias part. 9. cap. 2. num. 360. & 375.* ubi Decreta *S. Congregationis.* Sed utrùm Sacra Pœnitentiaria possit absolvere, & dispensare cum Simoniacis? videantur meæ Decisiones de Pœnitentia *Decis. 48. sub num. 11. Vers. Decimò,* ubi tenor Bullæ Innocentii Papæ XII.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam clericus, ut ordines Sacros susciperet, donavit munera argentea Episcopo ordinanti, & pecuniam Aulico Episcopi, ut facilius ordinaretur. Quæritur, in quas pœnas incurrerit ordinator, ordinatus, & mediator, post collatos ordines prædicto clerico?

Aliqui ob *ly Donavit* arbitrati sunt, neque Simoniam resultare, neque pœnis locum esse, quia donatio est actus gratitudinis, & quod sponte gratis datur, non dicitur Simonia. *Bonac. eod. tract. quæst. 6. num. 1. & 3.* Porrò docti doctè dixerunt, donationem illam fuisse Simoniacam, tùm quia est omninò prohibita ex Jure *cap. De ordinationibus 115. 1. q. 1. cap. 2. De Simonia. S. Concil. Trid. Sess. 21. de Refor. cap. 1.* ubi statuitur *tam dantes, quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas á Jure inflictas ipso facto incurrere:* tùm etiam, quia donatio illa non est gratitudinis ergò; sed, ut ea mediante sibi conferantur ordines, & sic intendit commutare illam cum istis, quod est Simoniam committere, ut benè ostendit *Bonac. ubi supra disp. 1. q. 2. num. 9.* & *Fagnan. in cap. In ordinando num. 11. De Simonia,* ubi notat *S. Trid. Concil. d. Sess. 21. cap. 1.* prohibere, *ne ordinum collatores, & eorum ministri quovis prætextu aliquid accipiant, etiam spontè oblatum.* Quapropter, cum supradicta datio, & receptio munerum excusari non possit à Simoniaca labe; quo ad incursum pœnarum, responderunt, ut infra. 21

1. Ordinantem, ordinatum, & mediatorem incurrisse in excommunicationem Papæ reservatam per *Extravag. 2. de Simonia. Thesaur. d. Pœnis d. p. 2. Verb. Simonia cap. 9. num. 1. ubi DD.* 22

2. Ordinantem esse perpetuò suspensum à collatione ordinum, & à Pontificalium exercitio, ac interdictum ab ingressu Ecclesiæ, per Bullam Sixti V. 61. *Sanctum, & Salutarem,* quæ censuræ sunt Papæ reservatæ.

3. Ordinatus pariter est suspensus perpetuò ab omnibus ordinibus *d. Extravag. 2.* & suspensio est Papæ reservata.

4. Mediatores non incurrunt suspensionem, excepto Archidiacono Præsentatore ex officio, qui est suspensus per triennium, si munera acceperit. *Thesaur. d. cap. 6.*

5. Si dictæ censuræ violentur, Episcopus suspensus est ab administratione Ecclesiæ, ac fructuum administratione, & incurrit irregularitatem: ordinatus verò fit irregularis, & amittit beneficia, quæ habet, si est sæcularis, regularis verò vocem activam, & passivam, *Sayr. lib. 4. cap. 17. in fin.*

6. Pretium receptum pro ordinibus est restituendum juxta veriorem sententiam. *Thesaur. d. cap. 9. num. 5.* Ubi notat à prædictis Censuris Episcopùm absolvere non posse, quamvis in delicto occulto, vigore Tridentini *Sess. 24. cap. 6.* cui *Sixtus V.* derogavit expresè, ut advertit idem *Thesaur. ubi supra, & Barbos. de Jur. Eccles. lib. 1. cap. 11. num. 142. in fin.*

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam beneficiarius rogatus in mense Decembri à quodam, ut ei suum beneficium resignet, offert, se paratum, quando jure jurando resignatarius spondeat, 23

relinquere eidem beneficiario ratas, pro fructibus hujus anni exigendas ad Festa Natalis Domini. Quæritur, an hoc pactum sit Simoniacum? Ægrè tulit Curia, dum in figillandis Decisionibus debuerit plurimos sugillare Decisores, qui non benè examinato præsenti casu, eoque minimè intellecto, erranti calamo responderunt, dictum pactum esse Simoniacum, ac continere Simoniam Confidentialem. Porrò doctissimi Parochi, quorum ingens numerus Ecclesias hujus ampliſſimæ Diœcesis regit, summo cum gaudio *Eminentissimi Præsulis*, censuerunt, idem pactum ab omni Simoniæ labe purum existere, ac ideò licitum, & irreprehensibile fore. Pro hujus responsi justificatione, tria subtiliter observarunt. *Unum*, quod Simonia non inducitur per pactum Juri conforme, seu continens id, quod de Jure tacitè inest, *cap. Significasti, ubi gloss. & DD. De elect. Sanchez in opusc. moral. lib. 2. cap. 3. dub. 25. num. 9. Rota coram Buratt. decis. 445. num. 2. Alterum*, quod in resignatione beneficii ad favorem, resignans percipit fructus maturandos usque ad diem possessionis resignatarii, quia Jus, & possessio non abdicatur à resignante, sed penes ipsum remanet in pendenti, donec conditio, sub qua fuit resignatum, purificetur, ac Resignatarius plenè, ac perfectè etiam per captionem possessionis adipiscatur beneficium, *Rota coram Coccino decis. 858. num. 5. Antonell. de Regim. Ecclesiæ lib. 3. cap. 10. num. 19.*

Tertium, quod in dividendis fructibus inter
24 resignantem, & resignatarium, sicut etiam inter successorem beneficii, & hæredes defuncti, si fructus fuissent antea locati, non consideratur dies solutionis affictus, sed tempus perceptionis fructuum pro quibus affictus solvitur; ita ut, etsi nondum advenerit dies solvendi ratam affictus, quando beneficiarius moritur, vel resignat; si fructus jam erant maturati, & percepti, rata affictus debetur resignanti, vel hæredibus Defuncti; non autem resignatario, vel successori in beneficium. *Bonacina tom. 1. De obligat. benefic. disp. 4. punct. 3. num. 8. Antonell. ubi supra lib. 3. cap. 9. num. 22. Rota coram Cavall. decis. 104. num. 5. & 6.*

His ita præcognitis, & consideratis, dixerunt dictum pactum nequaquam esse Simoniacum; imò licitum, & irreprehensibile; quia cum resignatio beneficii fieret in Mense Decembri (*ut supponitur*) fructus jam erant maturati, & collecti; sed ratæ affictus pro iisdem non solvebantur, nisi in Natali Domini pro majori commodo conductoris eorumdem fructuum; ideò de Jure spectabant ad ipsum resignantem; tantò magis, quia resignatarius non poterat obtinere possessionem beneficii in executione resignationis, ante festa Natalitia, cum sint expectandæ Bullæ Papales, & ab executore exequendæ cùm longioris temporis dispendio. Igitur licitè potuit dictus resignans exigere Juramentum à resignatario, sibi relicturo *ratas pro fructibus hujus anni, exigendas ad Festa Natalis Domini*; prout in terminis respondent *Thesaur. de Pœnis d. part. 2. Verb. Simonia, cap. 2. in fine, & Antonell. d. cap. 10. num. 20. & 21.* Et ex his constat, allucinatos esse illos, qui dixerunt, esse Simoniam confidentialem, tunc enim fuisset, quando resignans pactus esset exigere fructus maturandos annis sequentibus post expeditam resignationem. *Thesaur. ubi supra cap. 3. num. 2.*

AD CASUM PRUDENTIALEM.

INveniantur omnes modi adhibendi à Parocho ad excitandam in populo devotionem erga Sacrosanctam Synaxim; Ut piè concurrat ad eam sociandam præcipuè quando defertur ad Infirmos. 25

Sequentes collegerunt. 1. Frequens prædicatio de hoc AUGUSTISSIMO SACRAMENTO, & affectuosa exhortatio ad ejus Venerationem; prævia explicatione eximiæ charitatis Dei in nos; nam *nulla est natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. Deut. 24.* 2. Notas facere Indulgentias concessas à Summis Pontificibus in associatione SS. Sacramenti. 3. Ostendere, quàm pium, & meritorium sit hoc opus, in quo fulget fides nostra. 4. Proponere exempla Principum, & Magnatum terrenorum, quorum famuli, & Aulici tanta promptitudine eos comitantur in via. 5. Certos facere populos de Dei beneficentia in eos, qui venerantur Christum Dominum, verè, & realiter in Eucharistia existentem, & hujus rei exempla depromere ex Auctoribus Ecclesiasticis, utpotè *Annalibus Cardinalis Baronii, ex libro Nicolai Laghi de SS. Sacramento, ex Rosignolo de SS. Sacram. & Mathiolo part. 2. 6.* E contra enarrare punitiones, & vindictas in eos, qui indevoti fuere erga Divinissimum hoc Sacramentum. 7. Enunciare odium, impias derisiones tùm Judæorum, tùm Novatistarum, quorum perfidiam supplere debet pietas, & devotio fidelis populi. 8. Proponere unicuique fidelium, in extremo vitæ Christum Dominum non esse permissurum, ut absque Divino Viatico ex hac vita discedat ille, qui fuerit sollicitus in obsequendo, & associando Sacram Hostiam. 9. Satagere, ut tàm in Ecclesia, quàm extra Divinissimum hoc Sacramentum pertractetur summa cum veneratione; & decentia; Ideòque Parochi omnes velint omnia pretiosa esse, quæ concernunt Sacram Eucharistiam, & erga illam sint liberalissimi expendentes in ornamentis sacris, ut eorum exemplo populi discant, Redemptorem Nostrum in Sacramento corde, & opere revereri, & venerari. Legant omninò P. Carolum Rosignolum *Meraviglie di Dio nel Divinissimo Sacramento* impressum Bononiæ Anno 1702.

DECISIO XXV.

ARGUMENTUM.

Explicat præsens Decisio Quid sit Usura? Quare sic sit dicta? Quotuplex sit? Et quot, ac quibus legibus sit prohibita?

SUMMARIUM.

1. *Usuræ definitio.*
2. *Usura undè dicta; & qualis ejus etymologia?*
3. *Usura quotuplex sit.*
4. *Usura quo jure sit prohibita.*

USuraurm materiam, Anno 1685. Clero Patavino enucleandam in pluribus quæsitis, ac casibus propositam, prompto animo, ac indefesso studio aggressi sunt Animarum Rectores, ac Confessarii; ex quorum eruditis responsis Decisiones præsentes, etsi minori temporis Usura, quàm opus fuisset, deprompsimus. Itaquè quæsitum fuit primo. *Quid sit Usura?*

Ad hoc Primum Quæsitum, *Quid sit Usura?* 1
plurimi

plurimi plurimas definitiones obtulerunt, à Theologis, Canoniſtis, ac Caſuum Conſcientiæ Auctoribus deſumptas: quas quidem Curia Epiſcopalis intuita, ac venerata, breviatis gratia illam eſt amplexa, quæ ponitur à Domin. Soto *de Juſt. & Jure lib. 6. quæſt. 1. artic. 1.* poſt initium, videlicèt, *Uſura eſt pretium uſus mutuatæ rei.* Dicitur *Pretium*, quod reſultat ex pacto expreſſo, vel tacito occaſione mutui: quia ſi quid provenit non ex pacto, ſed ratione vel lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel ex mera liberalitate mutuatarii, non eſt Uſura; ſiquidem, licèt ſit lucrum, non eſt pretium; prout etiam ſi quod antea debebatur, ex conventione mutui à mutuante creditore recuperetur. Dicitur, *Pretium uſus*, ad excluſionem emptionis, & venditionis; in qua pretium non pro uſu tantùm, ſed pro re ipſa penditur. Dicitur *Mutuatæ rei*: ut excipiamus emphyteuſim, livellum, locationem, commodatum, depoſitum, traditionem pecuniæ ad pompam tantùm, & oſtenſionem, ac alios contractus, in quibus dominium rei ſaltem directum, non transfertur, & in eis lucrum, & pretium poteſt dominio paciſci abſque fœnoris labe. Uſura autem dicitur vel ab *Uſu*, eò quia ob uſum rei mutuatæ exigatur pretium, vel ab *Uſu æris*, nam principaliter committitur in mu-
2 tuatione pecuniæ. Vel quaſi *Uſu rea*, ſeu *Uſum urens*, aut *Uſum rapiens*; & appellatur etiam Fœnus quaſi *Funus animarum*, vel à Vocabulo græco τόκον ἀπὸ τοῦ τίκτω quod eſt *Pario*, quia ſicut animalia proles ſibi ſimiles pariunt; ſic & pecunia pecuniam; & Hebraicè vocatur *Neſech*, id eſt morſus, quia mordet ſubſtantias familiarum, ut eruditè docet P. Stephan Menoch. *Stuor. pag. 5. cap. 60.* P. Sylveſt. Maurus *in Comment. ad libros Ariſt. Polit. 1. cap. 7. num. 4. tom. 2.* Sotus *de lib. 6. quæſt. 1. art. 1.* Goffred. & Hoſtien *in ſumm. de Uſur. §. 2.* Mar. Socin. *eod. tit. in Comment. ſuper 5. Decret. cap. 1. num. 10.* Covaru. *lib. 3. Farinac. cap. 1. num. 5.* & latè Leotard. *de Uſur. quæſt. 2.* ubi malitiam, & improbitatem Uſuræ, ac Uſurariorum pluribus doctis dictis exponit.

SECUNDUM QUÆSITUM.

Quotuplex ſit Uſura?

AD ſecundum Quæſitum. *Quotuplex ſit Uſura?*
3 Relatæ fuerunt ſequentes diviſiones. I. Quod alia eſt ſpiritualis, & æqua: alia corporalis, & injuſta. Mar. Socin. *d. cap. 1. de Uſur. num. 17.* Prima conſiſtit in eleemoſynis ex Dei amore factis, quarum cauſa centuplum redditur ab ipſo Deo. *cap. Sicut diſt. 46. cap. Medicina. De Pœnit. diſt. 1.* II. Corporalis, & injuſta eſt triplex *Mentalis, Exterior Explicita*, & *Exterior Palliata.* Uſura Mentalis eſt, quando quis retinet in mente intentionem ſuam mutuandi ob lucrum. Exterior explicita eſt in manifeſto Mutui contractu lucrum paciſci. Palliata verò, cum contractus ipſe mutui palliatur, id eſt velatur nomine ſeu figura alterius contractus, pura Emptionis, Venditionis, Livelli, ſed verè, & propriè eſt Mutuum. Molin *de Juſtit. & Jur. tom. 2. diſput. 303.* Tambur. *de Triplici jur. lib. 9. tractat. 1. capitul. 2.* III. Uſuræ in jure aliæ ſunt Trientes, aliæ Quincunces, aliæ Semiſſes aliæ Beſſes, aliæ Centeſimæ. Primæ erant, in quibus quatuor pro centenario ſolvebantur. Quincunces, in quibus quinque. Semiſſes, in quibus ſex dabantur pro centum. Beſſes in quibus octo. Centeſimæ, in quibus unum pro centenario ſolvebatur ſingulis menſibus, adeò ut in centum Menſibus tanta erat uſura, quantum capitale. *Gloſſ. in cap. Quoniam 46. diſt. l. Eos. C. de uſur. l. Nihil. §. 1. ff. de Nautic. fœnor.* Mar. Socin. *d. tit. de Vſur. cap. 1. numer. 11.* Genuenſ. *in Practicabil. Eccleſ. quæſt. 402.* Reginald. *lib. 23. ſub numer. 48.* & Scaccia *de Commerc. §. 1. quæſt. 7. Ampliat 8. num. 53.*

TERTIUM QUÆSITUM.

Quo jure prohibita ſit Vſura?

AD Tertium. *Quo jure prohibita ſit Vſura?* Con-4
corditer dixerunt; omni jure, videlicèt Divino, Naturali, Canonico, Civili, ac Municipali eſſe prohibitam. Scaccia *de judic. lib. 2. cap. 9. numer. 554. & de Commerc. §. 1. quæſt. 1. num. 401.* M. Anton Peregr. *lib. 3. conſil. 18. num. 5. & 6. & lib. 4. conſil. 71. num. 1.* Jus Divinum Uſuram vetat, & damnat in Veteri Teſtamento *Levit. cap. 2. Eſdr. 2. cap. 5. Pſalm. 14. & Pſal. 54. Proverb. 28. & Ezech. 18.* & teſtatur *cap. Super eo, & Conſuluit. De Vſuris.* Adeò ut Papa non poſſit diſpenſare ſuper Uſura. Fagnan *in cap. Cum quidem num. 82. de Pactis.* Pignatell. *Conſult. 75. tom. 4.* Neque obſtat *Deuter 23. Non fœneraberis fratri tuo ad Vſuras, ſed alieno.* Nam *ly alieno* ſecundum aliquos non legitur in textu; vel intelligitur permiſſivè, ſicut Meretricium: vel procedit ex auctoritate Dei, dominium rerum gentilium in manus Hebræorum transferentis, ut autumnant DD. quos refert Bonacin. *de contractibus diſp. 3. quæſt 2. punct. 2. num. 12.* & tradunt Reginald. *d. lib. 23. num. 57.* Pignatell. *d. tom. 4. conſult. 75. num. 46.* Cornel à Lapide *d. cap. 23. Deut.* & Menoch. *d. part. 5. Stuor. cap. 60.* In Novo autem Teſtamento prohibetur Uſura *in Evangel. Luc. 6.* ibi, *Mutuum date, nihil indè ſperantes.* Neque obſtat illud *Luc. 19. Et ego veniens, cum Uſuris utique exegiſſem illam.* Nam ex D. Thoma *2. 2. q. 78. art. 1. ad prim.* Uſura ibi accipitur methaphoricè, pro ſuper creſcentia bonorum ſpiritualium, quia vult Deus, ut in bonis ab eo acceptis ſemper proficiamus.

Jus Naturale prohibet Uſuram, nam naturaliter res mutuo data non poteſt mutuanti fructificare, tum quia res ipſa eſt ſterilis, tùm quia mutuans non eſt ampliùs dominus, ut adverterunt Philoſophi lumine naturæ, quos refert Leotard. *de Uſur. quæſt. 2.* & P. Maurus *in Comment. ad Ariſt. Politic. 1. cap. 7. num. 1. tom. 2.* ubi ſic ait: *Cum duplex ſit facultas acquirendi, Oeconomica nimirum, & Pecuniaria. Oeconomica eſt laudabilis; Pecuniaria eſt vituperabilis; Ratio eſt, quia illa eſt à natura; hæc eſt ab homine, qui non utitur nummo ad eum finem, propter quem inſtitutus eſt; ſed ad alium finem; nummus enim non eſt inſtitutus, ut pariat nummum, ſed ut commutetur cum mercibus naturalibus.* Idem notat Reginald. *d. lib. 23. a num. 56. & ſeqq.* Pignatellus *dict. tom. 4. conſult. 75. num. 30. &* Marcus Socin. *de tit. De Vſuris à num. 30. uſque 55.* ubi decem & novem rationes aſſignat, quibus Uſura eſt intrinſecè mala, & jure naturali prohibita.

Jus Canonicum Uſuras explodit *tota diſt. 47. &*
14. quæſt.

14. *quæst.* 3. 4. & 5. nec non *Tit. De Vsuris in Decret. in Sexto, & in Clem.* quibus addendæ sunt *Const.* 79. *S. Pii V. & Const.* 45. *Sixti V. Summ. Pontific.*

Jus Civile consonum est à tempore Justiniani Imperatoris, ut notat Reginald. *d. lib.* 23. *num.* 48. & docet Bald. *in l. Improbum & ibi* Salycet. & Paul. de Castr. *ff. ex quib. causis infam. irrogetur.* Marquard. *de Judæis cap.* 11. Jul. Clarus *§. Vsura num.* 4. *ac alii*, quos cumulat Jacobus Pignatell. *dict. tom.* 4. *Consult.* 75. *num.* 19. & probat Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 1. *num.* 401. *& quæst.* 7. *part.* 2. *num.* 43. 44. 45. & concordat Tacit. *lib.* 5. *Annal.* quem refert Thom. Garzoni *in Platea Vniu. Disc.* 65. ubi etiam Cato *de Re Rustica ait: Majores nostri hoc habuerunt, & ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnare, fœneratorem quadrupli.*

Jus Venetum refertur à Lauren. Priori *in sua Praxi Criminal. tit. de Vsuris pag.* 187. ubi plurima allegantur Decreta Excell. Senatus insurgentis contra Usurariam pravitatem.

Jus tandem Municipale Patavinum habetur in Statutis *pag.* 94. *sub Rubric. De Alienat. & Obligat.* ubi sic: *In odium Vsurariæ pravitatis statuimus, & ordinamus, quod aliquis de cætero non debeat fœnerari, seu mutuare ad Vsuras aliquo modo per se, vel interpositam personam; & quicunque contrafecerit, condemnetur ad perdendum, & perdant ipso jure, & facto totam veram sortem, & quidquid exindè habere debuerit.*

DECISIO XXVI.

ARGUMENTUM.

Probatur, esse Usuram vendere triticum determinato pretio post certum tempus solvendo; sed cum pacto, ut tempore solutionis possit venditor tenere, vel pretium, vel triticum ad sui beneplacitum.

SUMMARIUM.

1. *Vsura quomodo, & quando committatur in mutuo?*
2. *Mutuum quando esse dicatur?*
3. *Mensuræ grani tot restituendæ, quot mutuatæ.*
4. *Obligatio eo modo dissolvitur, quo fuit contracta.*
5. *Pacto de retrovendenda re venditori eodem pretio, an sit licitum?*
6. *Vsura non est paciscì quod est de Justitia debitum.*
7. *Pretium rei taxandum juxta tempus contractus.*
8. *Vsura est expectare plus, quàm sit datum.*
9. *Obligatio pretio æstimabilis non imponenda mutuatario.*
10. *Æqualitas servanda in contractibus.*
11. *Valor rei augetur Domino ejus.*
12. *Venditor ob dilatam solutionem pretii an quid recipere possit?*
13. *Differentia inter forum fori; & forum poli.*
14. *Debitor in alternativis habet electionem.*
15. *Pretium rei ubi firmatur, ibi mutuum esse non potest.*

ANtonius mutuò recipit modia quatuor frumenti à Francisco, mense Octobri, quo venditur ab omnibus Ducatis decem pro modio: & hoc pactum faciunt, ut mense proximè venturo Augusto restituat vel ipsa modia quatuor frumenti, vel Ducatos quadraginta, ad electionem ipsius Francisci. Quæritur An licitè faciant?

Visus est omnibus casus iste ambiguus valdè. Plures argumentati, sunt, Franciscum licitè contraxisse, quia vel fecit, contractum Mutui; vel Venditionis tritici credita pecunia; In neutro contractu videtur adesse Injustitia, Ergo in neutro intervenit Usura. Minorem probarunt, stando in contractu Mutui; ex seqq.

Primò. Tunc in mutuo committitur Usura, quando recipitur aliquid ultra sortem, *l. Rogasti §. si tibi ff. Si cert. pet.* Fagnan. *in Cap. Naviganti numer.* 42. *de Vsuris.* Sed si Franciscus eligat restitutionem quatuor modiorum frumenti nihil eligit supra sortem; nam quatuor modios & ipse mutuò tradidit. Ergo nullam committit Usuram. 1

Secundò. Mutuum est contractus, quo rem nostram in numero, vel pondere, vel mensura consistentem damus alteri, ut ille tantumdem ejusdem speciei nobis restituat. *l. Mutuum ff. eod. & in Instit. Quib. mod. re contrah. obl. in princ.* Sed dum Franciscus eligit quatuor modios frumenti mense Augusto, eidem tantumdem ejusdem speciei restituitur. Ergo licitè facit. 2

Tertiò quando quis mutuavit rem ad mensuram, sivè ejus valor crescat, sivè decrescat, tot mensuræ sunt restituendæ mutuatori, quot receptæ fuerunt à mutuario. Sot. *de Just. & Jur. lib.* 6. *quæst.* 1. *artic.* 2. Layman. *lib.* 3. *tr.* 4. *cap.* 16. *num.* 14. Tamburin. *de Triplici Jur. lib.* 9. *cap.* 1. *§.* 2. *num.* 7. Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 1. *num.* 415. *&* Leotardus *de Usuris quæst.* 17. *num.* 3. Sed Franciscus mutuatuor dedit modios quatuor frumenti Antonio mutuatario. Ergo ab isto potest quatuor itidem modios repetere. 3

Quartò. Obligatio eo modo dissolvi potest, quo fuit contracta. *lib.* 36. *ff. de Reg. Jur. l.* 1. *C. Quando liceat ab empt. disced.* Sed obligatio Antonii inita fuit receptione quatuor modiorum frumenti. Ergo eorumdem restitutione obligatio est dissolvenda. 4

Quintò. Stando verò in venditione tritici, probarunt minorem propositionem ita. Licitum est vendere rem suam cum hoc pacto, ut Emptor teneatur illam retrovendere venditori eodem pretio, & ipse venditor possit eodem pretio illam recuperare. Cardinal. Tuschus *tom.* 6. *Concl.* 25. Bonacina *tom.* 2. *de contractib. disp.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 3. *num.* 14. Sed in nostro casu Franciscus repetendo quatuor modios frumenti ab Antonio, illos redimit eodem pretio, quo illos ipsi tradiderat. Ergo nullam committit Usuram. 5

Sextò. Tandem ille non committit Usuram, qui paciscitur id, quod sibi ex justitia debetur. Molin. *de just. & jure disp.* 303. 304. & 309. Bonacina *d. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 15. & Reginald. *in Praxi. lib.* 25. *num.* 191. Sed Antonius ex justitia debet vel quatuor modios tritici, vel ducatos quadraginta, prout ab initio valebant. Ergo quidquid Franciscus ab eo petat, justè petit, & non committit Usuram. 6

Septimò. Quando res venditur pecunia credita, & solutione dilata, rei valor potest taxari, qualis est tempore contractus, & rei consignationis. Tambur. *d. lib.* 9. *cap.* 1. *§.* 2. *num.* 10. *& lib.* 8. *in Decalog. tract.* 3. *cap.* 7. *§.* 6. *per totum.* Sed in nostro casu pretium frumenti 7

menti taxatum fuit juxta valorem, qui ab omnibus solvebatur tempore contractus, & traditionis. Ergo si Franciscus petat etiam valorem frumenti, id est Ducatos 40, nullam committit Usuram.

His tamen non obstantibus contrariam ferè omnes DD. Parochi, & Confessarii amplexati sunt sententiam; scilicèt Casum propositum esse illicitum ex pluribus, & præcipuè ex sequentibus rationibus; consistendo tàm in contractu mutui, quàm in contractu venditionis, Nam

8 Primò. Ibi est Usura, ubi plus, quàm datum fuerit, expectatur. *cap. Si fœneraveris. cap. Putant. cap. Plerique & cap. Usura.* 14. *q.* 3. Sed in casu proposito Franciscus plus, quàm dedit, expectat; nam si tritici valor venerit ultra Ducatos 40. exiget triticum; & sic plus accipiet, quàm sit pretium firmatum tempore contractus. Si verò valor decreverit, petet Ducatos 40. & sic plus, quàm sit pretium ipsius tritici restituendi. Ergo in utraque electione Franciscus Usuram committit.

9 Secundò. Quotiescunque mutuatario imponitur obligatio pretio æstimabilis, committitur Usura. Reginald. *d. lib.* 25. *num.* 178. Molina *disp.* 309. *num.* 7. & Bonacina *de contract. d. disput.* 3. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 6. Sed in hoc casu Franciscus imposuit Antonio obligationem pretio æstimabilem; ea ratione, quia, si Mense Augusto triticum minoris valuerit, quàm Ducatis quadraginta, tenebitur solvere dictos 40. Ducatos; at si majus fuerit pretium, arctabitur emere triticum, ut tritici modios quatuor restituat. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 14. *vers. Dico secundò.* Ergo committit Usuram.

10 Tertiò. Ad evitandam Usuræ malitiam, debet æqualitas servari in contractu, ita ut periculum ascensus, & descensus valoris rei mutuatæ sit æquale inter mutuatorem, & mutuatarium; emptorque & venditor æqualiter expectent commodum, & incommodum ob dilatam pretii solutionem. Molina *de just. & jur. d. tom.* 2. *disp.* 311. Fagnan. *in d. cap. Naviganti num.* 28. 31. *& 52. & ibid.* Gloss. & Abbas *num.* 6. *de Usuris.* Bonacina *de Contract. d. disp.* 3. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 20. & Scaccia *de Commerc. d. §.* 1. *q.* 1. *num.* 404. Sed in proposito casu non servatur æqualitas; quia Franciscus sibi soli reservat commodum ascensus, & descensus valoris tritici. Ergo committit Usuram.

11 Quartò. Valor rei, si augeatur, Domino augeri debet. *cap. Naviganti de Usur.* Tambur. *de Tripl. jur. lib.* 9. *cap.* 1. §. 2. *num.* 3. & Molina *disp.* 366. *num.* 7. Sed Mense Augusto Antonius est dominus tritici. Ergo si ejus valor augeatur, ipsi Antonio augeri debet, non autem Francisco.

Quinto. Si venditor ob dilatam solutionem pretii rei venditæ sperat aliquid ex cursu, & lapsu temporis ultra dictum pretium recipere,

12 committit Usuram, & contractus emptionis, & venditionis transit in Mutuum palliatum. Abbas *cons.* 5. *num.* 3. *part.* 1. Glossa *ult. in cap. Consuluit. de Usuris.* Fagnan. *in d. cap. Naviganti num.* 46. & 47. *eod.* Sed talis spes est in Francisco venditore tritici, cujus valor si augeatur, exacturus est non pretium tritici; sed ipsum triticum, ut aliquid ultra pretium habeat. Ergo Usurarius censetur.

Hanc opinionem amplexatur Curia Episcopalis. *Primò*, quia fortiora sunt hæc ultima argumenta. *Secundò*, nam in foro fori promptiores esse debemus ad absolvendum, quàm ad 13
condemnandum: at in foro poli totum contrarium fieri debet, & ad evitandum salutis æternæ periculum, dubia in duriorem partem sunt interpretanda. S. Th. 2. 2. *q.* 60. *art.* 4. Gloss. *in cap. Unico. in Verb. Æstimare. De Scrutinio in ord. facien. Tertiò*, quia si res vendatur credita pecunia usque ad certum tempus, æstimatio rei est de Jure facienda tempore solutionis. *l. Vinum.* 22. *ff. Si cert. pet.* Reginald. *d. l.* 25. *num.* 183. & Bonacina *tom.* 2. *De Contract. disp.* 3. *q.* 3. *Punct.* 3. *num.* 23. *Quartò*, quia in alternativis electio 14
spectat de Jure ad debitorem, non ad creditorem. *Cap. In alternativis. De Reg. Jure in* 6. Molin. *disp.* 311. *num.* 2. *Quintò*, quia sic decisum refert Diana *part.* 3. *tractat.* 6. *& Misc. cap.* 2. *resolut.* 2. Quæ in Coordinato est *tom.* 6. *tractat.* 3. *resolut.* 38. *num.* 3. à Rebellio, & Villalobos, cujus Verba refert, ita dicens: *Notandum est etiam cum* Villalobos *in summa tom.* 2. *tractat.* 11. *diffic.* 7. *num.* 3. *Que no es lecito vender el trigo apreciad al precioque vale al presente, con pacto de que se pague para tal tiempo entrigo, ò en dinero, como mas quisiere el que le vende: porque en tal caso el que vendo posuit spem in tuto, esto es que asseguraso negocio, yno se pone à peligro de perder, pues ha de escoger, yel otro si. Ita ille.* Et ante illum Rebellius *part.* 2. *lib.* 9. *quæst.* 15. *num.* 12. *In quo multi Barones, & negotiatores miserrimè decipiuntur.* Hucusque Diana. Verba autem Rebellii sunt sequentia; *Ex dictis etiam inferes, non licere mutuare frumentum appretiatum pretio, quod in præsenti valet, solvendum tamen postea tempore inter partes constituto, vel in frumento, vel in dicto pretio, prout Mutuator maluerit. Ratio est, quia se in tuto, & debitorem in periculo ponit; fortè enim frumentum plus valebit postea, & ita ex mutuo lucrum recipiet, si pretium nolit, & frumentum eligat.*

Neque refragantur Argumenta contraria.

Non *Primum.* Quia respondetur, quod imò Franciscus vult aliquid recipere supra sortem; quia triticum vendidit Ducatis quadraginta; & mutuum palliatum fecit in expectatione ipsorum quadraginta Ducatorum usque ad Mensem Augustum. Ideò, si valor tritici tunc creverit ultra 40. Ducatos, petendo triticum petit augmentum illius valoris ultra sortem, id est ultra Ducatos 40. quos mutuavit Antonio.

Non *Secundum.* Quia mutuum non consistit in tritico, quod, stante pretii firmitate, censetur venditum: sed in Ducatis 40. qui reputantur mutuò dati: quapropter Franciscus eligere, & exigere non potest ab Antonio nisi Ducatos 40. 15
Si enim voluisset, mutuum consistere in tritico, debebat abstinere à pretio; nam in mutuo nullum pretium intervenire potest, ut advertit Leotard. *de Usur. q.* 17. *num.* 6.

Non *Tertium.* Quia locum habet, ubi triticum simpliciter sit mutuatum in Mensura absque pretio: sed in casu proposito cum initum fuerit pactum de pretio, censetur facta Venditio, cujus vigore exigi non potest ampliùs triticum, sed solummodò ejus pretium. Molina *disp.* 311. *num.* 3.

Non *Quartum.* Quia in obligatione remanet summa Ducatorum quadraginta, quorum solutione tollitur obligatio.

Non *Quintum*. Quia procedit, ubi simplex est contractus venditionis, & ab emptore fuit solutum pretium venditori; eo enim casu, si præcesserit pactum redimendi rem venditam, poterit venditor refusione ejusdem pretii rem ipsam recuperare. Secus autem est in proposito casu; in quo Franciscus vendidit triticum, pecunia credita; & sic inivit contractum mutui in ipsa pecunia, expectando ejusdem pecuniæ solutionem; unde non potest hanc relinquere, & ex pacto triticum repetere, si ejus valor creverit, cum sit contra justitiam, & in damnum Antonii.

Non *Sextum*. Falsum est enim, quod ex Justitia Antonius debeat quatuor modios frumenti, quandoquidem initum pretium ab initio fecit contractum transire in naturam emptionis, & venditionis; & ideò ex Justitia debetur pretium, sed non triticum; ut etiam advertit Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 14.

Non *Septimum*; nam locum habet quando Venditor insistit in nuda, & simplici Venditione, & expectat pretium rei venditæ; quia tunc dilatio solutionis facta est gratia emptoris. Aliter autem est; si cùm venditione misceatur mutuum, ob spem majoris pretii, si crescat valor rei mutuatæ: tunc enim contractus fit Usurarius; ut benè distinguendo declarat Reginald. *d. lib.* 25. *num.* 186.

DECISIO XXVII.

ARGUMENTUM.

Disputatur, ac deciditur famosa, sed difficilis Quæstio, Ad quem spectet augmentum, vel decrementum monetæ mutuatæ, si ante restitutionem mutui valor Monetæ augeatur, vel minuatur?

SUMMARIUM.

1. *Jurisperiti sæpè à Theologis dissentiunt.*
2. *Pecuniæ valor attendendus.*
3. *Monetæ valor crescit, & decrescit domino.*
4. *Valor rei mutuatæ quo tempore attendendus?*
5. *Usura est recipere aliquid ultra sortem.*
6. *Mensura stariorum si augeatur, quomodo sit restituendum frumentum antea mutuatum?*
7. *Interpretatio indubiis fit contra creditorem.*
8. *Pensio quomodo solvenda quoad valorem monetæ?*
9. *Reddendum in mutuo, quantum fuit acceptum.*
10. *Æqualitas est objectum justitiæ.*
11. *Frumenti pretio aucto eadem quantitas frumenti est reddenda.*
12. *Pretium consideratur tantùm in emptione, & venditione.*
13. *Benefaciens aliis non debet ab eis reportare damnum.*
14. *Valor rerum augetur, aucto pecuniæ valore.*
15. *Par debet esse ratio lucri, & damni.*
16. *Pecuniæ decrementum spectat ad creditorem.*
17. *Mutuator non debet esse deterioris conditionis, quàm mutuatarius, nec vice versa.*
18. *Debitum solvi potest in quacunque moneta.*
19. *Argumentum valet à simili.*
20. *Pensionarius sentit damnum, vel commodum Ducati aurei de Camera, si ejus valor crescat, decrescat, &* num. 31.
21. *Monetæ augmenti, vel decrementi, quæstio difficilis.*
22. *Monetæ usus quando incœpit?*
23. *Monetæ bonitas vel intrinseca, vel extrinseca.*
24. *Pactum ut eadem moneta restituatur, quo ad bonitatem intrinsecam, & extrinsecam an sit licitum?*
25. *Pactum etiam tantùm de restituenda moneta ad eumdem valorem servandum.*
26. *Mora in restituenda pecunia cui noceat, aut prosit?*
27. *Monetæ bonitas intrinseca si mutetur, cui illa noceat?*
28. *Monetam tonsam non tenetur creditor accipere.*
29. *Pactum de restituenda moneta in eadem specie, & numero cui prosit?*
30. *Mutuata pecunia absque alio pacto augmenti valoris, quando sit restituenda?*
32. *Capsa S. Montis Paduæ cedit augmentum, seu detrimentum valoris monetæ depositatæ in ea.*
33. *Dotes Monialium Paduæ deponuntur in Capsa S. Montis in sacculo obsignato publico sigillo.*
34. *Zecchini centum mutuò recepti, sunt restituendi numero centum.*
35. *Eos est dictio relativa repetens præcedentes qualitates.*
36. *Moneta non est ens rationis, sed ens reale.*
37. *Bona nostra sunt, quæ nobis debentur.*
38. *Pecuniæ quantitas, an qualitas sit in obligatione inspicienda.*
39. *Pecuniæ mutuatæ in specie restituendum est augmentum.*
40. *Augmentum mensuræ stariorum spectat ad debitorem.*
41. *Verisimile quod est, attendi debet.*
42. *Monetæ bonitas intrinseca si mutetur, est compensanda.*

PEtrus petit, & obtinet mutuò centum Zecchinos ab Andrea, eos post annum restituturus: & valent libris viginti pro unoquoque. Completo anno valor Zecchini ascendit ad libras viginti duas. Petrus vult restituere libras duas mille in Zecchinis 91. Andreas vult Zecchinos numero centum. Quæritur, an Andreas jure velit?

Scribit Eminentissim. Card. de Lugo *de Just. & Jur. disput.* 25. *num.* 124. in hac facti specie Jurisperitos dissentire à Theologis; idemque ego reperi in sexcentis circiter manuscriptis opinionibus, juxta numerum studiosorum hujus Diœcesis, ad me transmissis. Siquidem Juris utriusque Laurea condecorati scripserunt, Andream Jure velle. Theologi verò contrarium affirmarunt. 1

Theologorum argumenta præcipua, quibus Andreæ mutuatoris instantiam de injustitia, & Usura condemnant, sunt sequentia.

Primò. Quod principaliter est attendendum circa pecuniam, est illius valor. Toletus *lib.* 4 *cap.* 34. *num.* 2. Rebell. *de oblig. Just. lib.* 8. *quæst.* 1. *n.* 11. & Geminian. *cons.* 137. *in prin.* Siquidem substantia pecuniæ verè, & propriè non censetur pendere à materia, sed à valore. Bassæus *Verb. Usura num.* 8. 9. & 10. Molin. *de contract. disput.* 312. *num.* 2. Hinc Doctores dicere solent, pecuniam esse quid artificiale constans ex auctoritate, à qua habet æstimationem. *DD. in l.* 1. *ff. de Contrahen. emp.* Paul. Rubeus *in annotat. ad Rotam Rom. par.* 9. *recent. decis.* 67. *n.* 23. Sed Petrus restituendo libras duas mille restituit totum valorem, & summam, quam habuit, ab Andrea. Ergo totam pecuniam restituit. 2

Secun-

Secundò. Valor monetæ de jure creſcit, & de-
3 creſcit domino. Tambur. *de Triplici jure lib. 9. tract. 1. cap. 1. §. 2. num. 3.* Rebell. *d. lib. 8. qu. 1. num. 9.* Cencius *de Cenſibus quæſt. 85. num. 24. in 8. concluſ.* Tondut. *Reſol. Civil. lib. 2. cap. 2. num. 1.* Sed Petrus eſt dominus Zecchinorum mutuò traditorum; juxta illud. *Mutuum dicitur, quia de meo tuum fit.* Inſtit. *Quib. modis re contrah. oblig. in prin.* Ergo augmentum valoris Zecchinorum debet eſſe Petri.

Tertiò. In æſtimando pretio, & valore rei mu-
4 tuò datæ attenditur tempus contractus, non tempus reſtitutionis. Bonac. *tom. 2. de contract. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 3. num. 21.* Sed tempore contractus mutui Zecchinorum, de quibus in caſu, valor omnium centum erat duarum millium librarum. Ergo Petrus non tenetur reſtituere, niſi tot Zecchinos, quot conficiant duas mille libras.

Quartò. Uſurarium eſt aliquid ratione mutui ultra ſortem recipere. Sylveſt. *verb. Uſura num. 1.* Card. de Lugo *de Juſt. & Jur. diſp. 25. num. 6.* Sed in noſtro caſu Andreas reciperet libras ducentas ſupra ſortem. Ergo committeret Uſuram.

Quintò. Si triticum ſit mutuò datum ad men-
5 ſuram, puta ſtaria centum, & interim augeatur menſura ſtariorum, non ſunt reſtituenda centum ſtaria tritici ſecundum menſuram auctam, ſed ſecundum primam menſuram. Molin. *d. diſp. 312. ſub num. 4. verſ. Hoc eod. modo.* Card. Toletus *lib. 5. cap. 34. num. 3.* Cardin. de Lugo *d. diſp. 25. num. 124.* Ergo pari modo Zecchini non ſunt reſtituendi ſecundum auctum valorem, ſed ſecundum illum, quem ab initio valebant.

Sextò. In dubio interpretatio fieri debet con-
6 tra creditorem. *l. Quidquid adſtringendæ ff. de Verb. oblig.* Tondut. *d. lib. 2. cap. 2. num. 47.* Ergo.

Septimò. In ambiguis, quod minimum eſt, ſe-
7 quimur. *l. Semper in ambiguis. ff. de Reg. jur.* & potiùs eſt favendum cauſæ debitoris. *l. 1. §. Cui certum & l. Cum certum 10. ff. de Aur. & Argent. legat.* Ergo Petrus debitor non niſi ad minorem ſummam reſtituendam eſt obligandus.

Octavò. In cap. Cum olim. & in cap. Cum Canoni-
8 *cis. De Cenſib.* deciſum fuit, cenſum, & penſionem eſſe ſolvendam juxta valorem pecuniæ habito reſpectu ad tempus impoſitionis cenſus, vel penſionis; non autem ad tempus ſolutionis. His argumentis, & rationibus moti hanc opinionem communiter amplectuntur Theologi, & Summiſtæ, ut videre eſt apud Tambur. *de Tripl. jur. lib. 9. tract. 1. cap. 1. §. 2. num. 2.* Molina *diſp. 278. num. 7. & diſp. 312.* Card. de Lugo *diſp. 25. de Mutuo, & Uſura num. 124.* Sotum *lib. 6. de juſt. q. 1. art. 2. & q. 12. art. 1.* Sylveſt. *verb. Solutio. q. 2.* Petr. Navar. *lib. 3. de Reſtit. cap. 2. num. 259.* Tolet. *lib. 5. cap. 34. num. 2.* Filliuc. *tract. 35. num. 490.* Layman. *lib. 3. tract. 3. cap. 5. num. 15.* & Diana *part. 8. tract. 7. reſol. 18.* quæ in Coord. eſt *tom. 6. tract. 3. reſol. 103.* ubi alios concordantes adducit.

His tamen minimè obſtantibus, Juriſperiti favent Andreæ mutuanti, & volunt, eidem reddendos eſſe centum Zecchinos; quamvis auctus ſit eorum valor, ob ſequentes rationes.

9 *Primò.* In mutuo tantum reddi debet, quantum fuit acceptum. *l. Cum quid 3. ff. ſi cert. petat. l. Prout quiſque 80. ff. de Solution.* Sed Petrus accepit ab Andrea centum Zecchinos. Ergo centum Zecchinos Petrus reddere debet Andreæ.

Secundò. In omni contractu, ſed præcipuè in 10
mutuo; ſervanda eſt æqualitas inter contrahentes. *l. Si conſtat. C. de Compenſat. l. Obſignatione 9. C. de ſolution.* Ipſa enim eſt finis juſtitiæ, imò ejus objectum formale, ut notat Rebell. *lib. 1. de Prælud. juſt. quæſt. 1. num. 24.* Sed non ſervaretur æqualitas, ſi liceret Petro reſtituere Zecchinos numero minores centum. Ergo.

Tertiò. Diverſa ratio eſſe non poteſt in mu-
tuo, quod fit traditione tritici, quàm traditione 11
pecuniæ: idem enim eſt contractus mutui, ſivè res, quæ traditur, conſiſtat in numero, ſivè in menſura. *l. 1. §. 1. ff. de Act. & oblig. l. Cum ultrà. C. de Non num. pecun. & Inſtitut. Quib. mod. re contrah. oblig. in princ.* Sed ſi mutuò dentur centum ſtaria frumenti; reddenda ſunt ſtaria centum, ſivè creverit, ſivè decreverit frumenti valor, ut omnes Theologi docent, quos allegat Leotard. *de Uſuris d. quæſt. 17. num. 3. & num. 19.* & Scaccia *de Commerc. d. §. 1. q. 1. num. 415.* Ergo ſivè creſcat, ſivà decreſcat valor Zecchini, centum à Petro ſunt reſtituendi.

Quartò. Quamvis pecunia inventa ſit pro pre-
tio rerum, tamen in mutuo non traditur, ut pre-
tium; pretium enim adhibetur tantùm in con- 12
tractu emptionis, & venditionis, ad cujus propriam, intimamque naturam ſpectat merx, & pretium. Paul. Comitol. *in Reſponſ. moral. quæſt. 44. num. 2. lib. 3.* Tondut. *d. lib. 2. cap. 2. num. 37.* Ipſa autem pecunia in mutuo ſpectatur tanquàm proportio, ſeu æqualitas corporum, quæ permutantur. Sotus *de Juſt. lib. 6. q. 1. art. 2.* Molin. *tom. 2. diſp. 311.* Card. de Lugo *de Juſt. & Jur. diſp. 25. num. 118.* Igitur ſivè valor extrinſecus creſcat, ſivè decreſcat, nihil ſpectat ad naturam mutui, cujus reſpectu pecunia ipſa in eadem ſpecie, & numero eſt reſtituenda.

Quintò. Nemo debet aliis benefaciendo, ab 13
iisdem damnum reportare. *l. Sed ſi quis. ff. Teſt. quem. aper. l. Si ſervus 61. §. Quod vero. ff. d. Furt. l. Abſentia 183. ff. de reg. jur.* Sed damnum reportaret Andreas, niſi reciperet Zecchinos centum, etiam eorum aucto valore, eò quia cum augetur valor pecuniæ, augentur etiam pretia aliarum rerum. Vivius *Com. Opin. 516. num. 56.* Gratian. *deciſ. 85.* & ſic non poſſet tot merces, 14
vel res vendibiles emere cùm pecunia ad valorem currentem tempore ſolutionis, quot emiſſet, ſi pecunia reſtitueretur ad valorem currentem tempore contractus. Tondut. *d. lib. 2. c. 6. num. 4.* Ergo.

Sextò. Par debet eſſe ratio lucri, & damni, au- 15
gmenti, & decrementi. Vivius *d. Opin. 516. n. 46.* Rota *deciſ. 149. num. 7. part. 2. recent.* & Gratian. *deciſ. 85. num. 9.* Sed ſi Zecchini valor decreviſſet, & redacti eſſent, puta ad libras ſexdecim pro ſingulo, Andreas paſſus eſſet damnum librarum quatuor pro unoquoque; quia ad creditorem ſpectat decrementum pecuniæ juxta opinionem Rotæ Romanæ, quam ſemper ample- 16
xa eſt, ut videri poteſt *deciſ. 597. par. 1. recent. & part. 2. rec. deciſ. 140. & part. 3. deciſ. 135.* Beltram *in Addit. ad* Ludoviſ. *deciſ. 42. num. 7.* & eadem Rota coram *Illuſtriſſ. Priolo* tunc Archidiacono hujus Eccleſiæ Patavinæ, & ejusdem Sacræ Rotæ Auditore, die 5. *Julii* 1666. *deciſ. 261.* Ergo eorumdem Zecchinorum valor auctus debet cedere lucro ipſius Andreæ.

Septimò. Non debet eſſe melioris conditionis 17

Mutuatarius, & deterioris Mutuator in eodem contractu; siquidem inter ipsos præcipuè servanda est æqualitas. Molin. *disp.* 311. Rebell. *d. lib.* 11. *quæst.* 15. *num.* 12. Sed ubi & incrementum, & decrementum valoris monetæ spectaret ad Petrum mutuatarium, adhuc ipse esset melioris conditionis, quàm Andreas: quia in casu incrementi valoris Petrus faceret restitutionem in Zecchinis juxta valorem auctum, in casu verò decrementi reperiret monetam æream, vel argenteam, quæ conficeret summam restituendam cum nullo, aut pauco detrimento; de generali enim consuetudine debitor potest solvere debitum in quacunque moneta, dummodo
18 solvat debitum. Summa Diana *Verb. Moneta n.* 2. Abb. *in c. Quanto* 18. *in fin. de Jurejurand.* Comitol. *Resp. moral. dict. lib.* 3. *quæst.* 44. *num.* 4. & Loter. *de Re benef. lib.* 1. *quæst.* 39. *à num.* 166. *& seqq.* Igitur, ne talis inæqualitas conditionis sequatur, ad Andream spectare debet variationis lucrum vel damnum.

19 *Octavò.* Valet argumentum à simili. Everard. *in locis legalib. loco* 13. Decius *in cap. Translato n.* 8. *de Constit.* Menoch. *cons.* 202. *num.* 131. Sed in Pensionibus Ecclesiasticis, quæ imponuntur in Ducatis aureis de Camera, valor Ducati aurei crescit, & decrescit ad commodum, vel incommodum creditoris. Gigas *de Pension. quæst.* 98. *num.* 6. & 7. Tondut. *eod. tractat. cap.* 40. *num.* 22. & 23. quod constanter, ac semper judicavit Rota Romana teste Beltram. *ad Ludovis. d. decis.* 42.
20 *num.* 7. Ferentill. ad Buratt. *Decis.* 626. *num.* 2. Paul. Rubeus *in Annot. ad decis.* 67. *num.* 28. & 29. ubi plures decis. allegat. *part.* 9. *rec.* Loterius *d. lib.* 2. *quæst.* 39. *num.* 202. & 207. ubi DD. cumulat. Ergo etiam in casu mutui, in quo traditi sunt nummi aurei, eorum valor crescere, & decrescere debet commodo, & incommodo Mutuatoris Creditoris. Ita defendunt, & sustinent Scaccia *de Commerc. & Cambiis d.* §. 1. *qu.* 1. *num.* 409. *& seqq. &* §. 2. *Gloss.* 5. *num.* 148. Anton. Sola *in tractat. de Moneta casu* 24. Leotard. *de Usuris d. quæst.* 17. *à num.* 13. *& seqq.* qui allegat viginti Jureconsultos sic docentes, quibus adduntur alii decem citati à Diana (etsi inconstans à se ipso, & ab eis recedat) *part.* 8. *tract.* 7. *resolut.* 18. quæ in Coordinato est *tom.* 6. *tract.* 3. *resolut.* 103.

21 Quid dicendum? Aut quibus adhærendum? Quæstio ista non est ita facilis, ut apparet, & eam non paucorum usque ad hanc diem exercuisse ingenia testatur Comitol. *d. lib.* 3. *quæst.* 44. *num.* 1. nec parum negotii Doctorib. facessere ait Rebell. *d. lib.* 11. *quæst.* 15. *in princ.* Imò esse quæstionem altam, antiquam, profundam, confusam, & involutam; ita ut à tergo habeat lupos, & à fronte præcipitium scribit Paulus Rubeus I. C. Roman. *in d. Annot. ad Rotam part.* 9. *recent. d. decis.* 67. *num.* 9. & 10. Cæterùm pro recta resolutione casus, & plena discussione materiæ tria sunt præmittenda; & tres pariter casus distinguendi.

22 Præmittendum igitur est Primum: Monetæ (sive *Æreæ*, quæ initium habuit sub Servio Tullio; sivè *Argenteæ*, quæ incœpit anno ab Vrbe condita 486. sivè *Aureæ*, cujus principium fuit anno 546. teste Budel. *de Moneta, & de Re Numm. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. unde Triumviros Monetales, æris nimirùm, argenti; & auri flatores retulit Pomponius *in lib.* 2. §. *iisdem temporibus n.* 60. *De Orig. Juri* nam nummos in corio, vel chartacea materia non nisi per modum provisionis tempore belli aliquando factos testatur Bobadill. *in Politic. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 11.) Monetæ, inquam, duplicem considerari bonitatem; intrinsecam scilicèt, & extrinsecam. Bonitas intrinseca consistit in materiæ, seu metalli qualitate & quantitate; nempè ut substantia monetæ sit bonæ ligæ, id est auri puri, argenti nitidi, & absque deterioris temperaturæ mixtione; ac ulterius ut sit justi ponderis. *l. Si olei, ff. de Vsufr. ear. rer. quæ usu consum. l.* 2. *C. de Pond. lib.* 12. Gaspar. Ant. Thesaur. *de Augm. Monet. part.* 1. *in* 6. *conclus. sub num.* 45. Menoch. *cons.* 49. *num.* 9. Paul. Rub. *in Annot. ad d. decis.* 67. *num.* 2. *par.* 9. *recent.* ideòque immutata dicitur bonitas intrinseca Monetæ vel quando causa est impurioris ligæ, & metalli: vel quando tonsa est, & deficit in justo pondere. Sola *de Monet. casu* 25. Vivius *Opin.* 516. & Tondut. *Resol. Civil. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. & *num.* 30. Bonitas autem extrinseca consistit in valore monetæ, & ejus publica æstimatione: quæ licèt rapiat in se valorem materiæ, & ipsa sola habeatur in consideratione; adeò ut aliqui scripserint, hanc tantummodò unicam bonitatem extrinsecam considerandam esse, scilicèt æstimationem, & valorem monetæ, Geminian. *cons.* 137. *num.* 1. nihilominus non est danda confusio utriusque bonitatis, quia imò debet esse proportio, & simmetria materiæ cum valore, ut dicit Gloss. *in lib.* 1. §. *in Verb. Præbe. De Contrab. empt.* & probat *text. in cap. Quanto. De Jurejur.* Quæ quidem bonitas extrinseca frequenter solet variari, ut nostris temporibus sæpè vidimus; etsi illæsa remaneat bonitas intrinseca, quod notat Tondut. *d. lib.* 2. *Resol. Civil. cap.* 2. *num.* 31. Gratian. *discept. forens. cap.* 560. *num.* 13. & tradunt *DD. in l. Cum quid ff. si. cert. petat.*

Præmittendum Secundum est, ad vitandam variationem æstimationis pecuniæ, & ejus prædictæ extrinsecæ bonitatis; contrahentes posse convenire super valore monetæ, ut non solùm in eadem specie, id est bonitate intrinseca, sed etiam in eodem prorsùs valore, quo fuit tradita tempore contractus, eadem restituatur, non obstante quacunque variatione, seu æstimatione extrinsecùs adveniente, in augmento vel decremento; quod quidem pactum est licitum, quia respicit favorem utriusque contrahentis, mutuantis scilicèt, si valor pecuniæ augeatur, mutuatarii verò si diminuatur, & per consequens est omninò servandum. *l.* 1. §. *conveniat. ff. Depos. l. Si dotem. C. de Jure Dotium. l. In conventionibus. ff. de Verb. oblig.* Surd. *cons.* 242. *n.* 3. Molin. *d. tom.* 2. *disp.* 312. *concl.* 2. Card. de Lugo *d. tractat. de Justit. & Jur. disput.* 25. *à num.* 125. *& seqq.* Rebell. *de Obl. Justitiæ dict. l.* 11. *quæst.* 15. *conc.* 6. Quod Doctores admittunt, etiam si mutuans probabiliter crederet, de brevi valorem monetarum auctum iri; eò quia cum posset Mutuator servare suam pecuniam usque ad tempus aucti valoris, dando illam mutuatario ante augmentum, censetur pacisci super lucro cessante, ut eadem in specie, & numero sibi restituatur, quamvis valor auctus fuerit, ut benè disputando concludit Cardin. de Lugo *dict. disp.* 25. *num.* 128. & 129. Tondut. *dict. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 19. & *cap.* 3. *num.* 65. Covaruv. *in tract. de collat. numism.* §. 1. *num.* 5. Brun. *in tract. de*
24

Au-

Augm. & diminut. monet. concluſ. ult. limit. 8. *n.* 1.
25 & Faber *de Variis nummor. deb. ſolut. cap.* 2. Et quæ de hoc pacto diximus, procedunt non ſolùm ubi expreſsè ſic fuerit conventum inter contrahentes; ſed etiam ſi tacitè tantùm, & per æquipollens ita eos voluiſſe deprehendatur; ita ut ſola promiſſio *de ſolvendo in iisdem Speciebus* referenda ſit non ſolùm ad eamdem qualitatem, ſed etiam ad eundum numerum nummorum. Cravett. *dict. conſ.* 47. *num.* 5. Theſaur. Jun. *de Moneta part.* 2. *num.* 60. *Verſ. Niſi certa ſpecies.* Vivius *dict. opin.* 516. *num.* 29. & Tondut, alios cumulans *d. lib.* 2. *capit.* 3. *num.* 58. Appellatione autem ſpeciei intelligitur numerus; quia quod apud Logicos eſt ſpecies, apud Juriſperitos eſt individuum. Bar. *in lib.* 3. *ſ. Mutui datio. ff. Si cert. petatur.* Tondut. *dict. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 39. *& cap.* 3. *num.* 52.

26 Præmittendum Tertium eſt, quod ubi mutuatarius fuerit in mora, & non reſtituerit monetam pacto tempore, ſi poſtea valor augeatur, etiam ſi de hoc augmento nulla facta ſit conventio tacita, aut expreſſa; nihilominùs tenetur illud refundere Mutuatori, ratione lucri ceſſantis, per *text in lib. Non utique.* §. *Nunc de officio. & ſ. in hanc. l. Quod ſi epheſi. ff. De eo, quod certo loco. l. Nummis, ubi Gloſſ. ff. De in litem juran.* Rebellius, qui in utroque foro hanc obligationem arctare debitorem dicit *lib.* 8. *quæſt.* 1. *n.* 11. *& lib.* 11. *quæſt.* 15. *n.* 6. His ita prænotatis, diſtinguendi ſunt tres Caſus.

27 Primus Caſus eſt, ſi moneta alteretur in bonitate intrinſeca? Et in hoc certum eſt, ac indubitatum, reſtituendam eſſe monetam, quæ currebat tempore contractus, ſi extet, Si verò non extet, reſtitutionem eſſe faciendam de moneta nova, quæ ſuppleat valorem antiquæ. Cyriac. *Controverſ.* 388. *DD. in l. Paulus & in l. Controverſ.* 388. *DD. in l. Paulus & in l. Cum quid ff. Si cert. petat. & in cap. Olim, & in cap. Cum Canonicis, de cenſib.* Rebellius *dict. lib.* 11. *quæſt.* 15. *num.* 4. & Tondut. *d. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 3. qui
28 *num.* 4. inde deducit, non teneri creditorem recipere monetam, quæ propter tonſionem facta ſit minoris ponderis, vel inferioris materiæ; & *num.* 5. advertit, id habere locum etiamſi de hac intrinſecæ bonitatis diminutione nihil partes conveniſſent, ſiquidem eſt conventio, quæ de Jure ineſt.

Secundus Caſus eſt, quando pecunia data
29 fuit cùm pacto, ut reſtitueretur in eadem ſpecie, & eodem numero. Et in hoc caſu augmentum valoris monetæ cedit damno mutuatarii; & utilitati mutuantis; è contra autem decrementum eſt damno Mutuantis, & utilitati Mutuatarii. Tondut. *dict. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 10. *&* 11. Vivius *Opin.* 516. *num.* 37. Sola *de Moneta caſ.* 19. *num.* 1. Rebellius *dict. lib.* 11. *quæſt.* 15. *num.* 8. Gaſpar. Anton. Theſaur. *de Augm. Monet. part.* 2. *num.* 20. Ubi alios allegat; & ratio eſt manifeſta, quia cum deducta ſit in obligatione non ſolùm qualitas, ſed etiam numerus; iſte debet adimpleri, ſivè auctus, ſivè diminutus ſit valor.

30 Tertius eſt Caſus, quando tradita eſt mutuò pecunia, & de ejus numero, & qualitate conſtat; ſed nihil dictum eſt à partibus de modo reſtituendi; nullaque ſtipulatio, aut expreſſio interceſſit, qua in ſpecie pecuniæ facienda ſit reſtitutio? Et in hoc caſu Doctores diſtinguendum eſſe docent; an deducta ſit in obligatione ſola ſumma, ſeu quantitas valoris pecuniæ; an etiam qualitas, & ſpecies ejuſdem pecuniæ? Exempli gratia. Tu petis mutuò à me ſexcentas libras; ego eas trado tibi in tot Zecchinis; in hoc caſu ſumma ſexcentum librarum eſt in obligatione, non autem qualitas aurea Zecchinorum. E contra, tu petis à me mutuò centum Ducatinos argenteos; & eos recipis. In hoc caſu qualitas, & ſpecies cenſetur eſſe in obligatione. Igitur primo modo incrementum, & decrementum pecuniæ, ſi quod eſt tempore ſolutionis, ſpectat ad debitorem, cui ſufficit ſolvere ſummam ſui debiti cum currenti Valore pecuniæ tempore ſolutionis. At non etiam ſecundo modo; in quo cum ipſa qualitas, & ſpecies pecuniæ ſit in obligatione, ipſamet pecunia eſt reſtituenda in eadem ſpecie, & qualitate; & per conſequens incrementum, vel decrementum valoris, ſi aliquod contingat, dum ſit reſtitutio illarum pecuniæ ſpecierum, pertinet ad ipſum creditorem. Ita ex clara doctrina Bartoli *in l. Si quis ſtipulatus fuerit decem in melle.* 57. *num.* 3. *& in l. Paulus. num.* 6. *ff. de Solutionib.* docent omnes Theorici, ac Conſulentes Juriſperiti; & præcipuè Covaruv. *de Numiſm. cap.* 7. *ſ. Unico, numer* 3. Gaſp. Anton. Theſaur. *de Augm. Monetæ par.* 2. *num.* 16. *& num.* 19. Vivius *Opinion.* 516. *num.* 43. Ant. Sola *de Moneta caſu* 24. Scaccia *de Commerc. & Cambiis ſ.* 1. *quæſt.* 2. *num.* 409. *&* 410. *& ſ.* 2. *gloſſ.* 5. *n.* 148. *&* 152. Loter *de Re beneficiar. lib.* 1. *quæſt.* 39. *num.* 224. Leotardus *de Uſur. quæſt.* 17. *numer* 32. Paulus Rubeus *in Annot. ad dict. deciſ.* 67. *num.* 27. *& ſequentibus part.* 9. *recent.* & Tondut. *dict. lib.* 2. *reſolut civil. cap.* 17. *num.* 7. 8. qui omnes innumeros propemodum conſulentes allegant cùm hac diſtinctione procedentes, & ex Theologis Layman. *d. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 5. *numer.* 11. Azor. *part.* 3. *lib.* 10. *cap.* 7. *quæſt.* 2. & idem notat Peregrin. *lib.* 3. *conſ.* 13. *in fine*, & Menoch. *conſ.* 49. *num.* 14.

Hinc eſt quod in materia Penſionum Eccle-
31 ſiaſticarum, in quibus Ducati aurei deducuntur in obligatione; eorum valor ſivè creſcat, ſivè decreſcat, ſemper cedit lucro, & damno ipſius creditoris penſionarii, quia ſemper debitor Penſionis debet ſolvere tot Ducatos aureos, quot expreſſi ſunt in Bullis Apoſtolicis, etſi pluris valeant tempore ſolutionis, quàm valerent tempore impoſitionis, ut ſupra notavimus ex Tondut. *de Penſion. cap.* 40. & ſemper tenuit, & judicavit Rota Romana teſte Loter *dict. lib.* 1. *quæſt.* 39. *numer.* 207. Paul. Rubeo *in Annot. ad d. deciſ.* 67. *num.* 27. *&* 28. *part.* 9. *recent.* & habetur *part.* 1. *recent. deciſ.* 597. *part.* 2. *deciſ.* 149. *part.* 3. *deciſ.* 135. coram penia *deciſ.* 464. coram Ludoviſ. *deciſ.* 42. & ibi Beltram. *num.* 7. & in quam plurimis aliis deciſionibus. Et è
32 contra Illuſtriſſimus Capſerius ſancti Montis hujus Civitatis Paduæ, quamvis valor monetæ ſivè aureæ, ſivè argenteæ, quam dietim recipit ab illis, qui depoſita faciunt, augeatur; non tenetur iiſdem refundere dictum augmentum, ſed remanet in capſa ſancti Montis, ea ratione quia Capſerius non deducit in obligatione monetarum ſpecies, ſivè corpora; ſed genus, & ſummam librarum juxta currentem

valorem; & ideò ipsa Capsa non constituitur debetrix speciei, sed generis; & sic incrementum; & decrementum valoris pecuniarum spectat ad ipsam; sunt enim depositæ illa irregularia, quæ transeunt in naturam mutui, cùm translatione dominii in eamdem Capsam; (exceptis depositis Dotium Monialium, quæ in sacculo obsignato fiunt juxta Partem Excellentissimi Senatus anni 1660,) Mantica *de tacitis, & amb. lib.* 10. *tit.* 2. *numer.* 10. *& tit.* 3. *num.* 12. & Tondut. *dict. lib.* 2. *Resol. civil. cap.* 4 *num.* 68. ubi ait, legem esse in Gallia prohibentem contractus fieri in alio modo, quàm in summa librarum. Et idem dicit *cap.* 8. *numer* 2. 33

Ex hucusque deductis, pro involutæ materiæ explicatione, facilis est resolutio propositi Casus; quem juxta opinionem Jurisperitorum intelligendum esse censet Curia Episcopalis, & per consequens centum Zecchinos per Petrum restituendos fore Andreæ, qui jure eos petit in hoc numero. 34

Ratio manifesta est, scilicet quia species, & numerus Zecchinorum sunt in obligatione; ait enim Casus; *Petrus petit, & obtinet centum Zecchinos ab Andrea, eos post annum restituturus.* Mi Lector, pendis Verba hæc? *Petrus petit, & obtinet mutuò centum Zecchinos.* Non petit duo millia librarum. Igitur *petendo Zecchinos*, deducta est in obligatione qualitas monetæ aureæ; *petendo centum*, deductus est in obligatione numerus aureorum; & cum spoponderit, se eos restituturum post annum, utique spopondit illos restituere in eadem specie, & in eodem numero, nam dictio EOS est relativa, quæ demonstrat, & repetit qualitates præcedentes. Rota coram Emin. Celso *decis.* 260. *numer.* 12. Barbosa *diction.* 103. *numer.* 3. Cravetta *cons.* 98. *num.* 8. & per consequens cùm suo augmento, ut dictum est in secundo notando; & scribit Gaspar. Anton. Thesaur. *in dict. tract. de Augment. Monetæ part.* 2. *num* 16. ubi testatur, sic judicatum esse & tali jure hodis nos uti; quod docet etiam Layman. *dict. lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 13. & confirmat Leotard. *de Usuris dict. quæst.* 17. *numer.* 13. Scaccia *de Commerc. & Camb. d.* §. 1. *quæst.* 1. *num.* 409. *&* §. 2. *gloss.* 5. *num.* 148. & Vivius *d. Opin.* 516. *num.* 43. apud quos infiniti DD. 35

Neque obstant Argumenta pro opinione Theologorum allegata. Non primum: Quia omninò negatur, substantiam pecuniæ consistere in solo ejus extrinseco valore, & imposititia æstimatione. Layman. *d. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 25. *Vers. Sed facilis*, siquidem pecunia non est Ens rationis, sed Ens reale, quod videtur, tangitur, & contrectatur, & in contractibus, qui re contrahuntur, adhibetur; ut benè respondet P. Comitol. *in resp. moral. lib.* 3. *quæst.* 44. *num.* 2. *Vers. Verum enim.* Et ideò ultra æstimationem attendenda etiam est materia ipsius, nempe metallum, qualitas, ligæ puritas; & sic bonitas intrinseca, & per consequens etiam numerus specierum; seu nummorum, qui traditi sunt, ut totidem cùm suo augmento restituantur; ut eruditè agit Leotard. *de usuris dict. quæst.* 17. *à num.* 20. *& seqq.* 36

Non obstat secundum. Quia Andreas non petit augmentum Zecchinorum, quos numeravit Petro, qui factus est dominus eorum. *l.* 2. §. 2. *ff. Si cert. pet.* & quos Petrus expendit, seu consumpsit; sed petit augmentum Zecchinorum, qui sunt restituendi ipsi Andreæ in eadem qualitate, & numero; ipsi enim non dicuntur esse Petri, sed Andreæ; siquidem bonis nostris adnumeratur id, quod nobis debetur. *lib. Princeps.* 21. *& l. Rei appellatione ff. de Verb. Signif.* Et pecunia mea est, quàm alius mihi debet. *l. Si & me, & Tertium* 32. *& ibi Gloss. ff. Si cert. pet.* Ideò sicut valor pecuniæ augetur iis, qui eam possident, ita crescit iis, quibus debetur. *l. Cum dotem. C. de Jure Dotium;* quod latiùs prosequitur Leotard *d. quæst.* 17. *num.* 29. 37

Non obstat Tertium. Quia, ut dictum est supra, aliud est, si deducatur in obligationem summa librarum, in genere; aliud si qualitas, & numerus aureorum in specie Primo casu sufficit solvere ipsam summam ad liberandum debitorem; at secundo casu solvendi sunt totidem aurei in specie, & in numero. Loter. *d. lib.* 1. *quæst.* 39. *num.* 224. Leotard. *d. quæst.* 17. *num.* 32. 38

Non obstat Quartum. Quia falsum est, Andream recipere ducentas libras supra sortem; ipse enim non dedit Petro in sortem librarum summam, sed Zecchinos centum; unde recipiendo à Petro eumdem numerum centum Zecchinorum, solam suam sortem recipit; & quamvis auctus sit valor Zecchinorum, augmentum illud est accessio, quæ non parit usuram; nam illa æstimatio Zecchinorum est res incorporea, quæ consistit in sola hominum opinione, & non facit corpus ex se, sed inest sorti, ut doctè explicat Gaspar. Ant. Thesaur. *d. tract. de Augm. Monet. part.* 2. *num.* 8. Et ex hac responsione. 39

Non obstat Quintum; siquidem augmentum mensuræ stariorum frumenti addit corpora corporibus, & reddit frumentum ultra sortem; ideòque non licet habere illud augmentum sine Usura, quia de Jure non inest, neque est res incorporea, pro ut æstimatio Zecchinorum. 40

Non obstat Sextum, & Septimum; nam neque sumus in dubio, neque in ambiguis; sed in claris, & manifestis: eò quia contracta est obligatio super centum Zecchinis, quæ dissolvi non potest, nisi centum Zecchinorum restitutione. *l. Tutor.* 41. *§. Lucius ff. de Usur. l.* 1. *ff. de Compensat.* Leotard. *d. quæst.* 17. *num.* 3. *&* 4. Præterquàm quod, quando etiam esset locus ambigendi, cum omnis conventio debeat interpretari secundum id, quod est verisimile. Card. Mantic. *de tacitis, & ambig. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 12. interpretatio est prorsus facienda ad favorem Andreæ, non est verisimile, ipsum voluisse se committere periculo amissionis octo, vel decem Zecchionrum, sed stipulatum fuisse, ut sibi restituerentur in eadem bonitate, qualitate, & numero secundum tempus contractus. *l. Cum quid ff. Si cert. petat.* Guid. Pap. *decis.* 493. Tondut. *d. lib.* 2. *Res. civil cap.* 3. *num.* 54. & Gratian. *Discept. forens. cap.* 884. *num.* 22. & 23. ubi dicit, hanc esse probationem liquidissimam ob Juris præsumptionem. 41

Non obstat ultimum argumentum desumptum ex *c. Cum olim, & c. Cum Canonicis, de Censib.* quia in dictis textibus mutatio evenerat 42

cir-

circa bonitatem intrinsecam pecuniæ; & ideò statutum fuit; ut solutio fieret in pecunia nova, ita tamen ut suppleret intrinsecam bonitatem, & qualitatem pecuniæ antiquæ, super qua erat obligatio. Rebell. *d. lib.* 11. *quæst.* 15. *num.* 4. unde retorquentur dicti textus, & deserviunt ad favorem Andreæ mutuantis, dum decernitur in eis; servandum esse indemnem ipsum creditorem circa bonitatem intrinsecam, qualitatem, & numerum nummorum sibi debitorum; quod quidem illud idem est, quod petit Andreas: cui si dentur centum Zecchini illius ponderis, bonitatis, & qualitatis, cujus erant illi à se Petro mutuati, contentus omninò erit, sive eorum valor, aut æstimatio extrinseca aucta, sivè diminuta sit; & hanc sententiam approbant Bartol. & omnes Jurisperiti in *d. l. Cum quid, & l. Paulus ff. Si cert. petat.* ac Covaruv. *& Canonistæ in d. capit. Cum olim. & cap. Cum Canonicis. De censib.* Nam si cuderentur novi Zecchini majoris ponderis, & intrinseci valoris, quàm hucusque cusi sunt, Andreas non posset centum repetere à Petro, sed tot quot compensarent pondus illorum centum à se datorum, juxta textum in *d. cap. Cum Canonicis. De Censib.* Et è contra si novi Zecchini à Principe formarentur minoris ponderis, recipere deberet Andreas majorem numerum, quàm centum usque ad debitam compensationem ponderis, & bonitatis ejus centum Zecchinorum juxta *supracit. cap. Olim.* ut docent Gabriel *com. conclus. de Solut. concl.* 1. Rota coram Buratto *Decis.* 626. *sub. num.* 3. & Ibi Ferentill. *in Addit. litt. A.* Layman. *dict. lib.* 3. *tract.* 3, *part.* 1. *cap.* 5. *numer.* 19. *&* 26. & Paulus Rubeus *in Annot. ad dict. decis.* 67. *part.* 9. *recent. num.* 12. ubi testatur, hanc esse communem opinionem, & receptam tàm in Scholis, quàm in Palatiis.

DECISIO XXVIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur media attrahendi plebem ad audiendum Verbum Dei, & ad discendam in Ecclesia Doctrinam Christianam.

SUMMARIUM.

1. *Ecclesiam ut Parochiani frequentent, quibus mediis utendum?*
2. *Rhetorica Ecclesiastica Cardinalis Valerii commendata.*
3. *Mansuetudo Parochi attrahit plebem.*
4. *Fiducia in Deum fructuosa.*
5. *Herculis mystica fabula.*

1 CUM *fuisset quæsitum quibus mediis Parochi obtinebunt, ut populi festinent audire Verbum Dei, Conciones, ac Christianam Doctrinam.*

Primò. Alii dixerunt, si illa quatuor Præcepta serventur, quæ notata fuere ad casum 2 Prudentialem *in Decis. XXIV.* Proximè præterita; videlicèt. 1. Quò ad ipsos Parochos, 2. Quò ad materiam. 3. Quo ad Auditores. 4. Quò ad modum loquendi, & prædicandi. Ideò dicta præcepta executioni mandentur ab omnibus animarum Rectoribus, nec non à Concionatoribus libello Rhetoricæ Ecclesiasticæ Eminent. Cardin. Valerii, typis impresso anno 1672. Patavii per Matthæum Cadorinum Bibliopolam, studeatur.

Secundò. Alii, Si Parochus omni die festo non solùm prædicaverit, & doctrinam Christianam docuerit, sed populum invitaverit, ut lubens accedat; nam *Bos capitur cornu: Voce ligatur homo:* 3

Tertiò. Alii; Si mansuetis verbis, comitate, ac charitate utatur Parochus in convocando populo ad imitationem Apostoli, qui ajebat *Philipp.* 1. 8. *Testis est mihi Deus, quomodo omnes Vos cupiam in Visceribus Christi.*

Quartò. Alii: Si Parochus perseveraverit 4 in docendo, & prædicando, habens fiduciam in Domino; ait enim *S. Bern. in lib.* 4. *de Consid. Fac tu quod tuum est; nam Deus, quod suum est, curabit. Planta, riga, & tuas implevisti partes: sanè ubi voluerit, incrementum dabit Deus. Ubi fortè noluerit, tibi deperit nihil.*

Quintò. Alii; Ut constantiam Parochi in 5 prædicando, & docendo necessariam ostenderent, dixerunt, Herculem, constantiæ Typum, ab antiquis figuratum habere catenam in ore, qua ducebat turmam magnam populorum in auribus devictorum; unde Alciatus emblema formavit, & cecinit:

Cedant arma togæ, & quamvis durissima corda.
Eloquio pollens ad sua Vota trahit.

Sexto. Alii; Si frequenter Parochi declarabunt necessitatem, & utilitatem audiendi Verbum Domini; tùm; quia *Quod corpori est cibus, hoc animæ est divinorum eloquiorum doctrina. S. Greg. hom.* 6. & est signum Prædestinationis; *Qui ex Deo est, Verba Dei audit. Joan.* 8. 47. tum etiam quia innumera sunt exempla conversorum ad pœnitentiam, ob auditum Verbum Domini, ut de David, Nabuchodonosor, Josaphat, Augustino, & aliis.

Septimo. His mediis, propriis quidem, & efficacibus, unum aliud propriissimum, & efficacissimum addidit Curia Episcopalis, videlicèt, si Parochum delectabit studium sacrorum librorum, & munus prædicandi, ac docendi populum suum Doctrinam Christianam, & eloquia Divina, juxta illud, *Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui invenit spolia multa. Psal.* 118. *V.* 162. illumque non Pigebit imitari Salvatorem, *Qui erat quotidiè docens in Templo. Luc.* 19. 47.

DECISIO XXIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quinam sint Usurarii manifesti; & duodecim pœnæ inflictæ de Jure contra illos.

SUMMARIUM.

1. *Pœnæ quænam de Jure sint inflictæ contra Usurarios?*
2. *Restitutio quomodo facienda ab Usurariis?*
3. *Usurarius manifestus qui censeatur?*
4. *Sacramenta deneganda Usurariis publicis: & auditio Missæ.*
5. *Sepultura Ecclesiastica quando sint incapaces Usurarii?*
6. *Usurarius an repetat usuras à se aliis solutas?*
7. *Appellatio non datur à sententia condemnatoria Usurarii.*
8. *Testamenta Usurariorum non sustinentur.*
9. *Usurarii expellendi è civitatibus. Et sunt infames.*
10. *Usurarius non potest fieri clericus.*
11. *Pœnæ contra Usurarios an incurrantur ipso Jure?*
12. *Exemplum Usurarii à Deo puniti.*

Suc-

1 SUccessivè quæritur; *Quæ, & quot sint pœnæ à Jure inflictæ contra Usurarios?* Responsum fuit cùm distinctione: Vel Usurarius est occultus, & contra hunc nulla alia est inflicta pœna, quàm illa Juris Divini, & Naturalis, videlicèt, ut pœniteat, & restituat Usuras, ad hoc ut mereatur evitare æternum supplicium. Reginald. *in Praxi fori Pœnit. lib.* 23. *num.* 92. Molin. *de Just. & Jur. disp.* 327. *num.* 4. & ibi *S.* Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. Et Sotus 6. *de Just. quæst.* 1. *art.* 4. *concl.* 2. qui omnes advertunt, non solum rem per Usuram acquisitam esse Domino restituendam; sed etiam fructus: Quod si Usurarius pecunias, vel res usu consumptibiles usurariè acquisiverit, non solum earum valorem restituere tenetur Mutuatariis, sed etiam
2 lucrum cessans, & damnum emergens ex eo, quod Usurariæ res non fuerint eis restitutæ; quod notare debent Confessarii, ut rectè sciant se gerere cùm Usurariis Pœnitentibus, si tamen detur eos, pœnitere.

3 Vel Usurarius est manifestus (ille scilicèt, qui palam in foro, vel domi fœnus exercet. *cap.* 1. *de Usur. lib.* 6. vel in judicio confessus est. *Gloss. ibid. Verb. Manifestos*, sivè etiam extra judicium coram pluribus. Menoch. *de arbitr. casu* 231. *num.* 21. Canisius *de Usur. cap.* 8. *num.* 7. vel si testibus convictus. Mantica *de tacit. lib.* 8. *tit.* 19. Aut instrumentis, ejusvè rationum libro. Leotard. *de Usur. quæst.* 100. *num.* 18. & 19. Vel ex publica fama, & communi hominum opinione, sententiaque Judicis condemnatus de Usura exiitit. Thes. *de Pœnis Eccl. pag.* 2. *Verb. Usurarius cap.* 7. Leotard. *d. quæst.* 100. *num.* 22. & contra hunc reperiuntur inflictæ de Jure pœnæ duodecim.

4 *Prima* est denegatio Sacramentorum, donec plenariè, & realiter Usuras restituerit, vel idoneam cautionem præstiterit de restituendo pro viribus patrimonii sui. *cap. Quia in omnibus de usur. & cap. Quamquam. eod. tit. in* 6. Quæ cautio esse debet Pignoratitia, vel Fidejussoria; aut si hæ dari non possunt, saltem juratoria. Thesaur. *d. Verb. Usurariorum cap.* 1.

Secunda est, quod non permittuntur Missæ ministrare, aut interesse. Ugolin. *de Usur. cap.* 24. *num.* 5. Concil. Trid. *sess.* 22. *in Decret. de observan. & vitand. in celebr. Missar.*

Tertia est, ut non admittatur ad oblationes sivè in Missa, sivè extra Missam Deo dandas: nisi essent ex contractu debitæ, puta pro celebrandis Missis, vel pro eleemosynis pauperum. Thes. *d. Verb. & cap.* 1. Ugolin. *d. cap.* 24. §. 1.

5 *Quarta* est, ut non possit admitti ad Ecclesiasticam sepulturam, etiam si pœnitens decesserit, nisi prævia restitutione, vel præstita cautione supradicta de restituendo, *d. cap. Quamquam, & in cap. Quia in omnibus, & Clem.* ubi Gloss. *de Sepult.* At si usurarius mortuus sit impœnitens, etiamsi ab hæredibus fieret restitutio, carere debet Ecclesiastica sepultura. Ugolin. *d. cap.* 24. §. 2. *num.* 1. Adeò ut sit necessaria restitutio cùm Pœnitentia, & Pœnitentia cùm restitutione; aut saltem cùm cautione de restituendo. Qui verò contrà fecerint, & absque his requisitis sepelierint usurarium manifestum in loco sacro, incurrent in pœnam excommunicationis per *Clem.* 1. *de Sepult.* & ulteriùs si Religiosi sint, in pœnam suspensionis à Divinis *d. cap. Quia in omnibus. De Usuris.* Thesaur. *d. Verb. Usurariorum pœnæ cap.* 1. ubi *Vers. Adverte* notat, cadaver dicti usurarii esse exhumandum, & ejiciendum de loco sacro ad sepulturam Asini; ut scriptum est 4. Reg. 23.

Quinta est, ut si ipse usurarius alteri solvis- 6
set usuras; non auditur super earum repetitione, nisi ipse priùs aliis restituerit. *cap. Quia frustra* 14. *& cap. Michael.* 17. *de Usuris*, Leotard. *dict. quæst.* 100. *num.* 43.

Sexta est, quod si usurarius conventus sit in judicio, obligatur edere calendarium suum, id est librum rationum. *Clem.* 1. §. *Cæterum de Usur.* Ugolin. *de Usur. cap.* 23. §. 2.

Septima est, quod usurarius condemnatus ad 7
restitutionem usurarum appellare non potest. *cap. Quam perniciosum* 11. *de Usuris.* Ugolin. *de Usur. cap.* 24. §. 7. Joan Bapt. Lup. *Comm.* 4. *n.* 15. *De Usuris.*

Octava est, ut usurariorum testamenta non 8
valeant, neque codicilli, neque donationes causa mortis, nisi usuras restituerint. Burbos. *in d. cap. Quamquam num.* 8. *& 9. de Usur.* Card. de Lugo *de Just. & Jur. disp.* 24. *num.* 70.

Nona est, quod usurarius extra ordinem puniri potest Judicis arbitrio. *l. Hodie ff. de Pœnis.* Menoch. *Casu.* 398. *num.* 41. Decian. *Tract. Crimin. lib.* 4. *cap.* 26. *num.* 3.

Decima est; quod manifestis usurariis prohibitum est locare domus sub pœna censurarum *cap.* 1. *de Usur. in* 6. Leotard. *d. quæst.* 100. *num.* 71.

Undecima est, quod incidunt in publicum 9
odium, è civitatibus sunt expellendi. Ripa *in lib. de Peste cap.* 5. *num.* 5. *num.* 247. Leotard. *ubi supra numer.* 72. *&* 73.

Duodecima Usurarius manifestus est etiam in- 10
famis. *l. Improbum fœnus* 20. *C. ex quib. caus. infamia irrogetur. cap. Inter dilectos, de excess. Prælator. cap. Infames.* 3. *quæst.* 7. & ideò Clericus fieri non potest, quia est irregularis, neque ad beneficia est promovendus; imò si Clericus esset, suspensionem incurrit; & si in tanto facinore perseveret, est deponendus, ac beneficiis privandus. Leotard. *de quæst.* 100. *num.* 42. & Thesaur. *de Pœnis d. verb. Usurar. pœna cap.* 1. & Abbas *in d. cap. Inter dilectos num.* 6.

Quod si quis quærat, *an incurrantur dictæ pœnæ* 11
ipso Jure? Tres sunt opiniones. Prima Negativa, eo quod requiratur, ut tales usurarii sint publicè denunciati, & declarati juxta *Extrav.* Martini V. *Ad evitanda.* Thesaur. *verb. Censura cap.* 4. Suarez *de Censur. dis.* 31. *sect.* 2. *num.* 10. Filliuc. *tract.* 17. *num.* 100. Secunda Modificativa, quod sufficiat sententia specialis condemnans usurarium tanquàm reum de publico hoc fœnoris delicto. Menoch. *de Arbitr. Casu* 335. *num.* 12. *&* 13. Tertia affirmativa, & ideò non est opus sententia, eo quia ipso Jure incurruntur dictæ pœnæ ab usurariis manifestis, qui quidem vitandi sunt, non ratione censuræ, sed ratione criminis notorii. Sylvest. *verb. Usura* 9. *quæst.* 4. *Quarta.* Thesaur. *de pœnis d. cap.* 1. ubi plurimos allegat ita tenentes. Sed notet studiosus lector horribilem punitionem, reportatam ab Usurario, quam narrat Augustinus Mannus Presbyter Congregationis Oratorii de Urbe *in Selectis Histor. cap.* 94. his verbis.

In Civitate Theatina, quæ est apud Brutios, erat

erat quidam Vir doctissimus, qui penè majorem partem facultatum suarum fœnore comparave-
12 rat. Hic Deo ulciscente in corpore, quod in ære malè quæsiverat, lepra percussus est. Cum autem quadam die gravissimè hoc morbo torqueretur, Beatam Virginem invocans, deliberavit mittere eleemosynæ gratia centum aureos ad domum Lauretanam; ut ipsa impetraret ei ab ejus Filio ægri corporis munditiem. Dedit ergo crumenam cum centum aureis famulo suo, qui eos ad Sanctissimam Domum pertulit, & reversus invenit Herum, mirabile dictu! à terribili lepra liberatum. Divulgato miraculo, plures amicorum ejus sibi congratulabantur de sanitate recepta. Unus amicissimus fuit, qui ei dixit, rogo te, ut manus tuas mundatas amplius non coinquines fœnoribus; ne lepra, quæ ob fœnora te percussit, iterum revertatur ad te, aut deterius tibi aliquid contingat. Respondit, qui sanus factus erat subridens: *Si fœnerari peccatum esset, Beata Virgo mecum fœnus non exercuisset: oportuit enim pro sanitate recuperanda centum aureos me mittere ad illam.* Horruit ad tantam blasphemiam amicus, qui objurgavit ingratum, & abiit. Nocte sequenti, cum dormisset avarus, ac blasphemus ille, expergefactus clamare cœpit ejulatu magno: Auxiliemini mihi crucior nimis. Morior: subtus renes meos sentio quasi titionem igneum, cujus ardore nimis crucior. Cucurrit Uxor cum famulis, & repererunt eum nova lepra percussum, inquirentes verò quid esset, quo cruciabatur sub renes? invenerunt ibi crumenam cum centum aureis, quam ad Lauretanam Domum transmiserat, Eam cum vidisset Herus fœnerator exclamavit dicens; Veh mihi misero, quia damnatus sum: & paulò pòst miserabili morte fuit consumptus. En punitionem Usurariæ pravitatis, blasphemiæ, & ingratitudinis.

DECISIO XXX.

ARGUMENTUM.

Disputatur casus frequens in Praxi de animalibus datis in societatem alicui rustico sub certa annua pensione, & ad caput salvum; id est, ut reddatur eadem æstimatio, ac pretium, quo empta fuerunt ipsa animalia. Ostenditur talem contractum esse Usurarium, ac traduntur plures regulæ pro cognoscenda injustitia eorum, qui faciunt societates salvo capitali.

SUMMARIUM.

1. *Boves emptos, & datos bubulco ad ejus periculum, & cùm lucro domini quinam contractus sit?*
2. *Mutuum censetur erogare pecuniam ad emendos boves.*
3. *Lucrum cessans facit licitum pactum de utilitate in mutuo.*
4. *Periculum rei venditæ spectat ad emptorem.*
5. *Pretium solvi potest non solùm in pecunia, sed etiam in re æstimata.*
6. *Lucrum ex re fructifera vendita nondum soluto pretio Venditor capere potest.*
7. *Societatis contractus censetur dare boves rustico ad lucrum.*
8. *Assecuratio capitalis in Societate an licita?*
9. *Fructus in qua summa taxandi pro omni centenario capitalis?*
10. *Boves dare rustico sub certa pensione annua, est locatio, & conductio.*
11. *Periculum rei locatæ spectat ad locantem.*
12. *Contractus natura cognoscenda ab effectibus, non à nomine.*
13. *Locare alteri animal pro certa pensione, & eo semper salvo, est Usura.*
14. *Venditor rei quando ob non solutum pretium possit sibi reservare fructus ejusdem rei?*
15. *Agrorum venditorum non soluto pretio potest Venditor sibi reservare fructus; secùs in rebus mobilibus, quæ usu consumuntur.*
16. *Fructus rei venditæ non soluto pretio, si venditor sibi reservat, debet ad eum pertinere etiam periculum ejusdem rei.*
17. *Socius, qui vult utile, non autem periculum, injustè agit.*
18. *Animalia æstimata dare in socidam cùm lucro, & quod eadem æstimatio restituatur, est Usura.*
19. *Sixti V. Constitutio contra Usurarias Societates ob caput salvum.*
20. *Assecuratio, & venditio lucri incerti inter socios illicita.*

BUbulcus rogat Herum, ut sibi mutuet pecuniam ad emendos boves pro colendis agris. Herus in prato Vallis, bubulco stipulante, juga boum emit Scutis nonaginta, quos concedit eidem Bubulco per triennium his tribus pactis. 1. *Ut singulis annis sibi modium frumenti solvat.* 2. *Ut, si mori boves contingat, Bubulcus eorum pretium solvat.* 3. *Ut finito triennio boves consignentur Hero sub nova æstimatione, & si scutis nonaginta æstimati non fuerint, sed minoris; Bubulcus suppleat suo ære usque ad dictam summam. Quæritur, An contractus, & pacta prædicta sint licita, & legitima?*

In tot numerosis responsis, circa hunc Casum datis, reperi quatuor sententias, quatuor diver- 1
sorum contractuum naturam autumantes; videlicèt Mutui; Emptionis, & venditionis; Societatis; ac Locationis, & conductionis. Priores tres opiniones conantur ostendere, pacta in casu posita esse legitima. Sed ultima contrarium comprobat. Omnes referam, tanquàm ingeniosas, & doctrinis fultas.

Prima igitur sententia ait, contractum, de 2
quo in casu, Mutuum fuisse, ex eo, quòd Bubulcus rogavit Herum, ut sibi mutuaret pecuniam ad emendos Boves; & Bubulco stipulante empti sunt Boves; idcircò Herus non emit boves, sed pecuniam mutuavit Bubulco emptori boum; & sic inter Herum, & Bubulcum contractus Mutui initus fuit; quo stante secundum, & tertium pactum legitimum remanet; videlicèt, quod periculum boum sit Bubulci, & quod debeat restituere eamdem summam scutorum nonaginta; nam extra omnem controversiam est, rem mutuò datam, si pereat, perire mutuatario. *lib. 2. ff. Si cert. petatur. §. Item is. Institution. Quib. modis re contrah. oblig.* Rebell. *de Obligat. Just. lib. 8. quæst. 1. num. 6.* & tantumdem esse restituendum, quod fuit acceptum. *leg. Cum quid. 3. ff. Si cert. pet.* Molin. *disputat. 299. num. 1.*

Igitur tota difficultas reducitur ad primum 3
pactum; scilicèt *Ut singulis annis Bubulcus solvat Hero modium frumenti*; quod, stante mutuo, est usurarium. At videtur defendi posse hoc pactum, ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, quod Herus sentire, vel pati potest ex datione 90. Scutorum; siquidem quilibet præsumitur pecuniam suam non otiosam tenere; sed eam

utiliter negotiari in augmentum, & qui lucrum recipit ex mutuo vel ob lucrum cessans, vel damnum emergens, non committit usuram, sed licitè lucratur. Molin. *dict. tom. 2. de Just. disput. 315. & 316.* Rebell. *dict. lib. 8. quæst. 16.* Tamburin. *de Tripl. Jure. dict. lib. 9. tract. 1. §. 3. & 4.* Card. Toletan. *lib. 5. capitul. 32. & 33.* & Cardinal. de Lugo *disput. 25. à num. 86. & seqq.*

Secunda sententia tenuit, contractuum fuisse
4 Emptionis, & Venditionis, videlicèt, quod Herus vendiderit boves Bubulco, expectata solutione pretii scutorum 90. post triennium; & stante tali contractu videntur tria pacta in eo posita esse legitima; secundum enim, & tertium non egent probatione; quia cum in venditione dominium rei venditæ transeat in emptorem; si res pereat, debet perire eidem emptori, qui est Dominus, & sic Bubulco; & solutio pretii scutorum 90. non subjacet reprehensioni; quia si tanti boves valebant, quando Bubulcus eos recepit, & tanti Herus eos emit; ad eamdem æstimationem debet boves Hero suo dare, quæ obtinet vicem pretii; imò est idem pretium. Leotard. *de Usur. quæst. 59. num. 32.* ubi in specie notat, licitam esse solutionem
5 pretii non solùm in pecunia numerata; sed etiam in re æstimata per *text. in l. Pretii causa. 9. C. de Rescind. Vendit.* quod docet etiam Cardinal. Mantica *de Tacit. lib. 4. tit. 19. à num. 5. & seqq.*

Primum vero Pactum, de solvendo modio frumenti singulis annis, videtur legitimum re-
6 spectu fructuum, quos Bubulcus colliget à bovibus, tùm quia si fœminæ sunt, parient vitulos, tùm etiam quia si masculi, ex cultura agrorum fructus ipse Bubulcus habebit; ratione autem rei fructiferæ venditæ, nondum soluto pretio, potest Venditor lucrum ex fructibus ejusdem rei sibi reservare. *l. 2. C. de Usuris. l. Curabit. 5. C. de Actor. empt.* Leotard. *de Usur. quæst. 24. num. 14.* & melius *quæst. 31. num. 8. & 9.* ubi in terminis (quamvis non de bovibus, sed de pecoribus loquatur.) Covaruv. *lib. 3. cap. 4. n. 1.* Card. Mantica *dict. lib. 4. tit. 24. num. 5. & seqq.* Sperell. *decision. 118. num. 1. & 2.* Scaccia *de Commerc. §. 1. quæst. 7. part. 2. ampl. 8. num. 173.* Et ex Theologis Molin. *dict. tom. 2. disputat. 368.* Sanch. *in consil. Moral. lib. 1. cap. 7. dub. 21.* Diana *par. 1. tract. 8. resol. 89.* Quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 61.* Et *par. 4. tract. 4. resol. 139.* Quæ pariter in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 56.* & Card. de Lugo *disput. 25. num. 140.* Qui omnes hanc reddunt rationem, pensionem pro fructibus esse licitam, quia non est Usura lucratoria, sed compensativa.

7 Tertia sententia dixit, Societatis contractum initum esse inter Herum, & Bubulcum super bovibus traditis; nam animalia hæc propriè dantur in societatem, & ut vulgo dicitur *ad Socidam.* Soccin. Sen. *in lib. 5. Decret. tit. de Usuris. à num. 129. & seqq.* & ideò omnia illa tria pacta censentur legitima, eo quia in hoc contractu societatis possunt ingredi duo alii contractus *Assecurationis*, & *Venditionis*, quos docet Navar, *in*
8 *Manuali cap. 17. num. 255.* & approbant tàm Canonistæ, quàm Theologi, quos cumulat Leotard. *de Usur. d. qu. 31. num. 13.* inter quos Ugolin. *de Usur. num. 55. §. 1.* Maresc. *Var. resol. lib. 2. cap. 133. num. 21.* Molina *disp. 417.* Lessius *lib. 2. cap. 25. dub. 3.* & Card. de Lugo *disputat. 30. num. 40.* qui omnes concedunt licitam esse societatem cùm pacto, ut capitale sit salvum tradenti, & totum ei restituatur, ut pactus est Herus cùm Bubulco; qui sic consentit, & recepit in se periculum, assecurando Herum, & emendo suam medietatem fructuum à bovibus producendorum pretio Unius modii frumenti singulis annis; quod pretium justum reputari debet, tùm ex dictis per Card. de Lugo *disput. 29. num. 70.* cui adhæret Tambur. *de Triplici Jure lib. 9. tract. 4. cap. 5. num. 13.* videlicèt recipi posse tres aureos pro bove æstimato viginti aureis; tùm ex doctrina Card. Manticæ *de Tacit. d. lib. 4. tit. 24. num. 27.* concedentis, fructus annuos 9
posse taxari usque ad quatuordecim pro centenario; & ideo cum modius frumenti sæpè sæpiùs non valeat ultra sex scutos, id est libras quadraginta duas; & Herus exbursaverit scutos nonaginta, respectu quorum posset pro fructibus pacisci etiam duodecim, vel tredecim scutos, concludendum videtur, in pactis Heri, de quibus in casu, non inesse injustitiam, & per consequens contractum, atque pacta ipsa legitima esse.

Quarta tamen sententia; (quam amplecti- 10
tur Curia Episcopalis, & quæ majorem votorum numerum sortita fuit) censet, contractum prædictum iniquum: ac ipsa Pacta prorsus Usuraria, & illegitima fore; ea ratione quia contractus iste verè, & propriè est contractus Locationis, & Conductionis; in quo Herus, cujus pecunia empti sunt boves, & qui est eorum dominus, locat ipsos boves Bubulco ad colendos agros per triennium, & pro pensione recipit modium frumenti singulis annis; quæ pensio, est nimis excessiva, arguitque primum pactum de injustitia; nam quatuor staria tanummodò pro unoquoque bove exiguntur ab honestis Viris, iisdem reservato periculo casuum fortuitorum mortis animalium; Ideòque etiam secundum, & tertium pactum iniquitatem, & injustitiam continent; quia si boves mori contingat, (absque culpa Bubulci) mori debent damno 11
Heri locatoris, & si in æstimatione deteriorentur, hæc deterioratio omninò spectare debet ad ipsum Herum. *l. Si quis fundum. §. 1. ff. Locati.* Bart. *in l. Si ut certo. §. Nunc videndum. ff. Commod.* Ugolin. *de Usur. cap. 54. num. 3.* Lupus *de Usuris Comment. 3. §. 1. num. 27.* ubi loquuntur in terminis nostri Casus. Leotard. *eod. tract. quæst. 36. num. 25.* Rebell. *lib. 15. quæst. 6.* Azor. *part. 3. lib. 8. cap. 12. quæst. 2.* Card. Mantica *de tacit. lib. 5. tit. 7. num. 32.* Comitol. *lib. 3. Respons. moral. qu. 12. num. 4. proposit. 5.* Petrus Ubaldus *in tract. de Duob. Fratrib. part. 5. quæst. 26. num. 19.* Trullench. *in Decalog. lib. 7. cap. 23. dub. 5. num. 4.* Bonacin. *tom. 2. de Contract. disput. 3. qu. 6. punct. 5. num. 9.* Tamburin. *de Tripl. Jur. d. lib. 9. tract. 4. cap. 5. num. 5.* Sylvest. *Verb. Societas 2. quæst. 7.* qui omnes docent tùm detrimentum, tùm periculum mortis boum spectare debere ad dantem, seu locatorem, aliàs contractus est injustus, & usurarius, quod latius scribit Corrad. *in Respons. Casuum Conscient. part. 1. resp. 254. in addit.* Card. de Lugo *d. disp. 29. à n. 75. & seqq.* & Card. de Luca *de Usur. disc. 2. num. 3. & 4.*

Neque obstant argumenta contraria aliarum sententiarum & opinionum: Non illud, quod censeatur contractus mutui, & lucrum exigatur ratione lucri cessantis; quia minus verum est, contractum fuisse muutum; non obstantibus verbis Bubulci mutuam pecuniam ab Hero rogantis; nam, cum dati sint boves

per

12 per triennium ad colendos agros cùm annua pensione, contractus assumit naturam locationis, & conductionis ; dictorum boum ; ad cognoscendum enim contractum, magis est inspicienda ejus forma, & effectus, quàm nominis appellatio. Abb. *in cap. Illo vos. in 4. not. de Pignor.* & Card. Mantica *de Tacit. lib. 2. tit. 2. num. 5. & num. 19.* Sed suppositio etiam mutui contractu; pacta, de quibus in casu, fœnoris malitiam declinare non possunt ; quia non constat de conditionibus simpliciter necessariis pro dicto modio tritici exigendo annuatim, sub prætextu damni emergentis, vel lucri cessantis, de quibus tractat Card. de Lugo *disp. 25. sect. 6. per totam.* Tambur. *de Triplici Jure. d. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 3. & 4.* & studiosi nostri notarunt in Mense proximo ; & dicemus *in Decis. XXXIII.* quare hìc possumus referre verba Leotardi *de Usur. d. quæst. 36. num. 25.* dicentis: *Illum, qui rem suam justo pretio æstimatam, veluti equum, vel bovem ad certum tempus alteri locat, ea lege, ut re illa quandocumque pereunte pretium cùm lucro consequatur, usurarium esse, quod etiam docuit* Bart. *in l. Si ut certo. §. nunc videndum. ff. Commod.* Caroc. *tit. de natur. locat. quæst. 9.* & Roderic. *de annuis reditibus lib. 2. quæst. 3. num. 64. idque pro rusticis notandum esse, qui sæpè à civibus. qui astutiores sunt, & rusticorum necessitatibus abuti solent, hujusmodi contractibus illaqueantur.*

13 Non obstat Secunda opinio, quod talis contractus censendus sit emptio, & venditio, & sic ratione fructuum rei venditæ licita videatur pensio juxta DD. supra allegatos ; nam respondetur, quatenus etiam pes figeretur in emptione, & venditione, contractum istum esse injustum, & Usurarium ob secundum pactum injiciens periculum rei venditæ in emptorem, siquidem ex communi sententia Doctorum concedentium, Venditorem ob non sibi solutum pretium reservare interim sibi posse fructus; supponitur etiam, debere retinere in se dominium
14 rei venditæ, & per consequens ea pereunte, eidem Venditoris periculo perire, non autem Emptoris. Sanchez *d. lib. 1. Consil. moral. c. 7. dub. 21.* ubi sapienter notat, quod si dominium transferatur in Emptorem, & ipse Venditor velit habere fructus, excusari non potest, quin Usuram committat; quia fructus illos non alio titulo recipit, nisi ob non solutum pretium; quidquid autem accipitur ob dilatam pretii solutionem usura est, ob mutuum implicitum in ea contentum; & ideò Usurariam esse hujusmodi fructuum retentionem tenuerunt S. Anton. *2. part. tit. 1. cap. 7. §. 20.* Gabr. *4. dist. 15. q. 11. art. 2. post quartam Concluſ.* Rosella *verb. Usura. 1. num. 47.* Armill. *d. Verb. num. 15.* Sylvest. *eod. Verb. Usura 2. quæst. 11.* Major. *4. dist. 15.* & alii quos citat Sanchez *d. dub. 21. num. 2. in fin.* ubi & ex Jurisperitis Abb. *Consil. 66. lib. 1.* Alexand. *lib. 4. Consil. 119. 120. 121.* Cæpolla *caut. 125.* Socin. & Decius, quibus addendus est Card. de Lugo *d. disput. 25. num. 137. & seqq.* qui etsi speculativè disputando teneat, etiam translato dominio rei in emptorem, posse fructus retineri a Venditore absque Usura, ea ratione, quia Venditor, qui poterat dominium non transferre, donec solveretur pretium, transtulit sed imperfectum, videlicèt excepto Jure colligendi fructus, & quo ad dominium directum tantùm, & non quo ad utile; nihilominùs opinio hæc practicè admitti non potest, nisi in venditione rerum immobilium, quæ numquam, aut rarò periclitantur, utpotè agrorum, & domorum ; at in rebus mobilibus casui, & periculo semper expositis, pro- 15
babilis, & secura in conscientia esse non potest, quia aperiret amplam viam Usuris cùm manifesta injustitia, & gravamine emptorum ; semper enim Venditores profiterentur fructus sibi reservare, & dominium tantummodò directum rei in emptorem transferre, ut res pereat periculo ipsius emptoris; & venditor habeat caput salvum, & securum pretium unà cùm fructibus; qui certè hoc solo titulo reservantur, scilicèt ob non solutum pretium; quod si solutum fuisset, fructus non essent Venditori reservati; idcircò reservantur ob non numeratam pecuniam; & ita hæc opinio amplecti non potest in venditione rerum mobilium, quæ sunt periculo obnoxiæ, ut sunt animalia ; & vix practicari posse videtur in bonis frugiferis immobilibus absque labe fœneratitia; imo est omnino refutanda, tanquam strictissimè fraternizans cum opinionibus nuper damnatis à *Sanctissimo PAPA Nostro INNOCENTIO XI. Opin. 41.* atque eam refutarunt multo ante Comitol. *Resp. moral. lib. 3. quæst. 18.* Petr. à Navar. *de Restit. lib. 3. cap. 2. num. 156.* Azor. *part. 3. lib. 8. cap. 15.* Valer. *de Diff. inter Utrumque for. Verb. Usura diff. 13.* Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 13. num. 109.* & eam non admittit Tamburin. *in Decalog. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 6. num. 14.* nisi retento dominio apud Venditorem, 16
donec ei solvatur pretium, ut si interim res pereat, eidem Venditori pereat; & cùm hac conditione tenuerunt ante illum Rebell. *part. 2. lib. 9. quæst. 17. à num. 10.* Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 2. num. 20.* Reginaldus *in Praxi lib. 25. cap. 24. num. 354. Verficul. Duodecimum documentum,* & Theodos. Rubeus *in Singular. ad Rotam Roman. tom. 2. part. 5. ad l. Curabit. de Act. Empt. & Vend. Concluſ. 2. pag. §37.* ea ratione, quia Venditio resolvitur in locationem, & conductionem, donec pretium solvatur; ut in terminis docet Abb. *d. Consil. 66. par. 1.*

Tertia tandem sententia non obstat, quia neque ipsa subsistit; siquidem estò, quod contractus esset Societatis ; & boves, de quibus in casu, dati verè fuissent Bubulco in socidam; adhuc contractus est censendus Usurarius, & pacta in eo appositia sunt evidenter injusta; socius enim, qui vult lucrum percipere è societate, & nullum subire periculum, illicitè & iniquè agit, ac Usuram committit. *l. Si non fuerint* 17
29. §. Aristo. ff. Pro Socio. cap. Consuluit. de Usuris. Gloss. *in capit. Plerique 14. quæst. 3.* Castrensis *lib. 2. Consil. 55.* Rebell. *lib. 15. quæst. 2. num. 1.* Cardin. Mantic. *de Tacit. lib. 6. tit. 6. num. 2. & 18.* & Leotard. *de Usuris* plurimos DD. cumulans *quæst. 31. num. 2. & 3.* ubi multò magis Usuram committi probat, si socius salvo capitali de certo lucro conveniat, ut in casu nostro, quod etiam docet Navar. *in Man. cap. 17. num. 260. &* Card. Mantic. *d. lib. 6. tit. 7. num. 3.* & in spe- 18
cie, Usurariam esse societatem, in qua traduntur animalia æstimata Pastori, aut rustico ea lege, ut liberè eis uti valeat, dummodò tantumdem post aliquod tempus restituat cum certo lucro; eò quia perinde est, ac si illorum pretium eidem Herus dedisset mutuum, docent Azor. *lib. 9. cap. 7. quæst. 6.* Rebell. *lib. 15. quæst. 6. num. 4.* Molfes. *de contract. cap. 11. num 46.* Filliuc. *tractat. 38. cap. 5. n. 98. &* Leotard. *de Usur. d. quæst. 31. num. 7.*

His addenda est Constitutio *Sixti Papæ Quinti*, quæ incipit *Detestabilis &c.* Edita Romæ 12. *Cal.* 19 *Novembr.* 1586. *& est in Bullar. Roman. tom. 2. la* 45. quam refert Conrad. *d. part. 1. resp. 254.* Leotard. *dict. quæst. 31. num. 10. &* Cardin. de Lugo *Disput. 29. num. 78. in fin.* in qua Constitutione Summus Pontifex damnando hujusmodi societates, contractus, & pacta, ita decernit:

Hac nostra perpetuò valitura Constitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscumque contractus, & conventiones posthac ineundas, per quas cavebitur personis pecunias, animalia, vel quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, & etiamsi fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, & amissionem sequi contingat, sors ipsa, seu capitale semper salvum sit, & integrum à socio recipiente restituatur: sivè ut de certa quantitate, vel summa in singulos annos, aut menses durante societate respondeatur. Statuimusque hujusmodi contractus, & conventiones, & pactiones Usurarias, & illicitas posthac censeri debere, atque in posterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in societatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo inter se pacisci; neque etiam sive ad certum, sive ad incertum lucrum convenerint, socios, quì ea recipient ad sortem, seu capitale salvum, & integrum, ubi illud casu fortuito perierit, vel amissum erit, reddendum quovis pacto, aut promissione obligare. Ac ne de cætero societates ineantur sub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ Usurariam pravitatem sapiunt, districtè interdicimus, & prohibemus; sed potiùs cuncti noverint societates hujusmodi, cum in posterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter verò operam, vel industriam confert, purè, sincerè, & bona fide; sicut decet, justis, & æquis conditionibus, secundum juris dispositionem, ac sine ulla Usuriæ pravitatis labe, & suspicione ineundas esse: ita ut non ad certam summam, & quantitatem ab omni periculo immunem lucri nomine persolvendam, neque ad capitale, si casu fortuito perit, restituendum socius accipiens teneatur.

Qua Pontificia Sanctione attenta, cadit etiam 20 fundamentum aliorum contractuum, qui supponuntur initi in societate, id est Assecurationis, & Venditionis lucri incerti per summam certam; tùm quia per eumdem Pontificem & ipsi censentur reprobati, dum in ea prohibet, ne periculum in accipientem rejiciatur, & ne de certa lucri quantitate conveniatur, & sic videtur prohibuisse involucra, & mixturas eorumdem contractuum; tantò magis, quia jubet, ut in posterum societates contraherentur non solùm absque labe Usuriariæ pravitatis, sed etiam sine fœnoris suspicione; à qua non sunt omninò immunes dicti contractus, ut constat ex Reginald. *d. lib. 25. capit. 29. num. 399. ex* Parlador. *Rer. quotid. lib. 2. cap. 2. num. 10.* ex Rebell. *d. lib. 15. quæst. 4. num. 1.* & ex Philiarc. *de Offic. Sacerd. lib. 5. cap. 7. concl. 3.* tùm etiam, quia quando dicti contractus Assecurationis, & Venditionis possent in conscientia sustineri, pensio solvenda à Bubulco valdè minor esse deberet; cum enim viri timorati, qui dant boves in Socidam, exigant quatuor staria frumenti tantummodo pro bove, & retineant in se periculum mortis ipsius bovis, ut supra dictum est, & notorium in hac Diœcesi; ubi, è contra, rusticus suscipiat in se periculum, multo minorem summam dare debet; & idcirco pactum unius modii, id est stariorum 12. frumenti, absque periculo, & cùm obligatione restituendi boves ad eamdem æstimationem efficit absque dubio conventionem injustam, iniquam, & Usurariam, ut tenet quarta sententia supra firmata, & cùm ea Curia Episcopalis consentit, & eam tuetur novissimè Emin. Card. de Luca *de Usuris disc. 2. supracitat.*

DECISIO XXXI.

ARGUMENTUM.

Instruitur Confessarius, quid agere debeat cùm Usurario pœnitente, ut eum possit ritè, ac rectè absolvere?

SUMMARIUM.

1. *Usurarius ut salvetur, restituat Usuras.*
2. *Absolvi quando possit Usurarius publicus?*
3. *Restitutio qualis, & quanta sit facienda ab Usurariis?*
4. *Cautio restituendi ab Usurario pœnitente præstanda.*
5. *Confessarius quomodo se gerat cùm Usurario?*

MErcator quidam confitetur, se plures Usuras commisisse; quarum pœnitet, cupiens animam suam salvam facere. Petit remedium à Confessario. Quæritur, quale remedium dabit?

Plures plura dixere; sed omnium dicta in 1 hoc unum remedium convenerunt, videlicèt, quod mercator iste pœnitens, & dolens se plures commisisse Usuras, ad salvandam animam suam, faciat restitutionem. *cap. Quia in omnibus. De Usur. cap. Quamquam. eod. tit. in 6.* Sylvest. *Verb. Restitutio. 6. §. 1.* Tolet. *lib. 5. cap. 36.*

Porro differentia est circa hujus remedii ap- 2 plicationem, ubi Usurarius sit manifestus; & ubi sit occultus. Quandoquidem, si manifestus sit Usurarius, Confessor non potest eum absolvere, nisi priùs realiter, & plenariè usuras restituerit, & non solùm Usuras, & res acquisitas ex fœnore, sed etiam fructus perceptos ex 3 re Usuraria; & fœneratitia; imo si Usuræ exactæ constiterint in pecunia, vel bonis consumptibilibus, etsi non teneatur restituere lucrum, quod ex eorum negotiatione percepit, quia non est fructus rei, sed industriæ suæ; tamen debet Usurarius restituere etiam damnum emergens, aut lucrum cessans, quod passi sunt Mutuatarii, à quibus usuras exegit, ut docent omnes Doctores, inter quos Molin. *d. tom. 2. disp. 332. Sà Verb. Debitum. num. 12.* Salas *de Usur. dub. 39. num. 3. &* Tambur. *de Tripl. Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 9. §. 1.*

Quod si statim Usurarius manifestus non 4 potuerit realiter, & cùm effectu usuras restituere, debet saltem cautionem idoneam præstare de restituendo, quæ sit vel Pignoratitia, vel Fidejussoria; & his deficientibus, saltem Juratoria *d. cap. Quia in omnibus. De Usur. & cap. Quamquam. eod. tit. in 6.* ubi Gloss. Covarruv. *lib. 3. Var. cap. 3. num. 6.* Ugolin. *de Usur. cap. 24. §. 3. num. 2.* Card. Tolet. *d. lib. 5. cap. 36.* Thesaur. *de Pœnis part. 2. Verb. Usurariorum pœnæ in princ.* Quod si neque juratoriam præstare possit, eò quia jam moribundus sensus amiserit, sed editis priùs signis veræ contritionis, tunc poterit absolvi; sed si recuperaverit sensus, cautio est exigenda. Card. Tolet. *d. lib. 5. cap. 36.* Navar. *cap. 16. num. 279.* Lessius *lib. 2. cap. 20. num. 187.* & Card. de Lugo *disp. 25. num. 246.* qui omnes docent coram quibus dicta cautio est præstanda.

At si Usurarius fuerit occultus, si habuerit propositum restituendi usuras; & ita promiserit

Con-

Confessario, statim absolvi poterit; nisi compererit, aliàs iterùm proposuisse, & non restituisse, quia in hoc casu Confessarius se difficilem redderet debet, & cautionem petere; quamvis, si mors immineat, & moraliter certus sit, hæredes esse restituturos, poterit pœnitentem absolvere, ut ait Sylvest. *Verb. Restitutio. 6. §. 1.* Card. Tolet. *d. lib. 5. cap. 36. in fin.* Tambur. *d. cap. 9. §. 1. & 2.* ubi etiam docet, quando heres, Filius, donatarius, vel legatarius Usurarii teneantur restituere. 5

DECISIO XXXII.

ARGUMENTUM.

Redduntur rationes octo, ob quas Parochi debent inhabitare domum Parochialem.

SUMMARIUM.

1. *Officium Parochi in quibus consistat?*
2. *Benevolentia Parochianorum quomodo acquiratur?*
3. *Ecclesia Parochialis est Parochi sponsa.*
4. *Parochi à secularibus conversationibus debent abstinere.*
5. *Rei è domo Parochi extrahi non possunt.*
6. *Parochianorum frequens accessus ad Parochum.*
7. *Domus Parochialis quorum expensis sit reficienda?*
8. *Parochi tenentur de præcepto inhabitare domum Parochialem.*

QVibus rationibus debeat Parochus domum Parochialem inhabitare.

Dictum fuit ex sequentibus.

1 Primò. *Ob Assistentiam.* Cum enim Parochi officium sit residere, populum docere, eidem Sacramenta administrare, & præcipuè infirmos frequenter invisere, & pauperum curam habere. Possev. *de Offic. Curati cap. 1.* Filliuc. *tract. 28. cap. 5. quæst. 7. num. 100.* hæc omnia ut benè adimpleat, fas est; Parochialem domum habitare.

2 Secundò. *Ob Benevolentiam*; populus namque cum videat Parochum in propriis ædibus assiduè commorantem, & plebis suæ spiritualibus necessitatibus consulentem; magna benevolentia, & obsequio illum prosequitur. Barbos. *de Offic. Paroch. cap. 8 num. 34.*

3 Tertio. *Ob Convenientiam*, siquidem ferè omnes Parochiales ædes existunt propè Ecclesiam, quæ cum sit sponsa Parochi, convenit, ut ei adhæreat, juxta illud *Matt. 19. Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori suæ.*

4 Quarto. *Ob Decentiam.* Quia Parochus debet non solùm abstinere à secularibus conversationibus, negotiis, & mulieribus; sed etiam à suspicionibus. 1. *ad Thessal. cap. 4.* Sylvest. *Verb. Scandalum. num. 2.* Id autem decentissimè præstat, habitando domum Parochialem, & segregatam à parentibus vitam ducendo.

5 Quinto. *Ob Excellentiam.* Nam domus Parochialis est quid religiosum, Spirituale, & Sacrum; idcirco gaudet immunitate Ecclesiastica; & ex ea extrahi non possunt Rei, qui ut salventur: confugiunt in illam; nam ut plurimùm ipsa est intra præscriptum spatium. Decian. *in Tract. Crim. lib. 6. cap. 25. num. 16.* Ambrosin. *de Immun. cap. 10. numer. 8.* Bonacin. *tom. 2. circa Prim. Decal. Præcept. disp. 3. quæst. 7. punct. 4. numer. 7.* Chartar. *Decis. Crimin. 46. num. 20.* Marc. Mantua, Jurisconsl. Patavin. *consil. 211. lib. 1.* Nicolius *tom. 1. lib. 1. tit. 8. num. 20. pag. 28. &* Pignatell. *Consult. tom. 1. Consult. 465.*

6 Sexto. *Ob Frequentiam.* Cum enim ad Parochum plebs frequenter accedat diù, noctùque pro Sacramentis, attestationibus, & aliis necessitatibus, faciliorem habet accessum ad domum Parochialem.

7 Septimo. *Ob Indigentiam.* Quia si restaurari contingat ipsa domus, Parochus poterit à populo obtinere, uj indigentiæ suæ subveniatur, & expensis Parochianorum reædificetur. Fagnan *in cap. Extirpandæ. §. Qui verò num. 20. de Præbend.* Paul. de Cittadin, *de Jurepatr. par. 6. art. 5. num. 7. pag. 72.*

8 Octavò. *Ob Obedientiam*; quia Parochi domum Parochialem inhabitare tenentur de Præcepto tùm Decretorum Sacr. Congregationis, de quibus Barbosa *in Decis. Apost. Verb. Parochus quo ad residentiam num. 4.* Garz. *part. 3. cap. 2. num. 179.* Zerola *in Praxi Episcop. Verb. Parochus. Vers. Quarto* tùm Synodalium Constitutionum hujus Patavinæ Ecclesiæ *par. 2. cap. 11. Vers. A Parochiali &c.* ibi *Ædes juxta eamdem Ecclesiam, & gregem suum Parochi destinatas inhabitent.*

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

Declarantur illæ duæ Theologorum exceptiones; quod pretium in mutuo non sit Usura ob lucrum cessans: vel ob damnum emergens.

SUMMARIUM.

1. *Lucrum cessans quid sit?*
2. *Damnum emergens quale esse dicatur?*
3. *Conditiones ne sit Usura pretium ob lucrum cessans.*
4. *Lucri cessantis computum qualiter faciendum?*
5. *Valor lucri cessantis an statim à mutuante exigi possit?*
6. *Usura ob lucrum cessans non permittitur in foro fori.*
7. *Damni emergentis quot sint conditiones, ne sit Usura?*

Nunc referenda veniunt tria sequentia Quæsita valdè necessaria, ac utilia.

PRIMUM QUÆSITUM.

Quid sit lucrum cessans?

AD hoc Quæsitum concorditer responsum 1
fuit; esse illud lucrum, quod probabiliter acquireremus, si nostrum alteri non concederemus. E. G. Ego habeo paratam pecuniam ad merces emendas, & negotiandum, & ex negotio illo probabile est me lucraturum. Si tibi do mutuam dictam pecuniam, insurgit mihi lucrum cessans. Tamburin. *de Triplici Jur. libr. 9. tract. 1. cap. 3. §. 3.* Card. Toler. *lib. 5. cap. 32. & 33. &* Card. de Lugo. *de Just. & Jur. disp. 25. sect. 6.*

SECUNDUM QUÆSITUM.

Quid sit Damnum emergens?

PAriter dictum fuit, esse illud, quod pati- 2
mur in nostris bonis, quæ possidemus, eò quod alteri illa damus. E. G. Ego paravi ducatos

catos centum, ut Dadias ſolvam mei beneficii. Tu petis mutuò à me illam pecuniam, ideòque ut tibi faveam, Dadias ſolvere non poſſum, & pœnam incurro decem pro centum; quæ decem dicuntur damnum emergens. Tambur. & Tolet. *ubi ſupra.* Trullench. *in Decal. lib. 7. cap. 19. dub. 8.* Rebell. *de Oblig. Juſt. lib. 8. quæſt. 5. &* Card de Lugo *d. diſp. 25. ſect. 6. in princip.* ubi bene ait, Damnum emergens afferre jacturam eorum, quæ habemus, Lucrum verò ceſſans eorum, quæ ſperamus.

TERTIUM QUÆSITUM.

Vlterius fuit quæſitum. An ſit Vſura recipere lucrum in mutuo ob Lucrum ceſſans? Vel Damnum emergens?

OMnes dixere, non eſſe Uſuram, ſi ſequentes conditiones fideliter obſerventur; Nimirùm.

3 *Ob lucrum ceſſans.* Prima conditio eſt, quod mutuum verè ſit cauſa tui lucri ceſſantis, ideo requiritur; ut pecuniam, vel rem, quàm mutuo das, deſtinaveris ad negotiandum, vel lucrandum; & aliam otioſam domi non habeas. Cardin. de Lugo *d. diſp. 25. num. 90.* Tamburin. *in Decalog. d. lib. 8. tract. 3. cap. 8. §. 3. n. 11.* noviſſimè Roſſignol. *in Praxi Thelogicoleg. De Mutuo, & Vſura Prænot. 13. num. 8.* ubi omnes notant, *ly otioſam* excludere aliam pecuniam, quam mutuans haberet ad alendam familiam, dotandas filias, ſeu ad neceſſaria pro infirmitatibus, ſenectute, aut aliis indigentiis, quibus diligens Paterfamilias tenetur prudentialiter, & opportunè eſſe paratus: & idcirco hac etiam exiſtente pecunia, poterit de illa mutuo data lucrum ceſſans exigere, quia ut alii beneficium faciat, non tenetur ſe privare rebus, quibus moraliter opus habere poteſt. Navar. *in Man. cap. 17. num. 212.* Rebell. *de Oblig. Juſt. lib. 8. quæſt. 6. num. 2. Verſ. Quæres.* Et idem eſt dicendum, ſi omiſiſſet negotiari, prævidens futuros eſſe, qui à ſe peterent mutuam pecuniam; ſive in ſpecie, ut de Petro, Titio, aut aliquo ex ſuis affectuariis, ut ſentit Leſſius *d. lib. 2. cap. 20. dub. 11. num. 88.* ſive in genere de quocunque indigente, ut probat ipſe Card. de Lugo *ibid. à num. 92. & ſeqq.* ea ratione quia prævidere in confuſo, quod ſit petenda mutuo pecunia ab aliquo, non impedit, quin dicta pecunia reſervetur ad ejus commodum, & ad ejus inſtantiam retrahatur à negotiatione; & ideo licitè ab eo lucrum ceſſans exigi poteſt; & idem DD. admittunt, ſi mutuans non abſolutè deſtinaſſet pecuniam ad negotiationem, ſed anceps extitiſſet, an negotium faceret, vel non? ſiquidem illa probabilitas futuræ deſtinationis continet lucrum quamvis in potentia remota, & pro illa ſpe remota, & incerta, qua mutuans ſe privat, ut poſſit mutuare, facit licitam pactionem lucri ceſſantis in ſumma, quæ conveniat non toti lucro futuro, ſed illi ſpei, & probabilitati negotiandi. Tambur. *d. cap. 8. §. 3. num. 11. & de Triplici Jure lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 4. num. 3.* Bonacina *tom. 2. de contract. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 4. num. 13. Verſ. Secundò ſequitur.* Cardin. de Lugo *d. diſp. 25. num. 95. &* Maſtrius *in Theolog. Moral. diſp. 5. num. 63.*

4 Secunda conditio eſt, ut non exigatur ultra ſortem, niſi quantum valere poteſt illud lucrum ceſſans; & de hoc mutuatarius admoneatur, quod dupliciter fieri poteſt. Primo conditionatè, hoc eſt, ut mutuatarius ſolvat quantum experientia oſtenderit, te lucraturum, deductis expenſis in tali negotiatione; vel uſu, cui rem illam deſtinaveras. Secundo abſolutè paciſcendo hic, & nunc quantum ſpes illa valere poteſt, attento periculo, expenſis, & circumſtantiis, ſivè poſtea lucrum futurum ſit majus, vel minus. Rebell. *d. lib. 8. quæſt. 6. num. 3.* Bonacina *d. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 4. n. 13. Verſ. finem.* Tamburin. *ubi ſupra in Decalog. num. 13. & 14. & de Tripl. Jur. num. 7. & 8. &* Cardin. de Lugo *d. diſp. 25. num. 97. & ſeqq.* ubi diſputat, an in hoc caſu ex lucro ſit aliquid detrahendum ob laborem negotiationis, qui ceſſat in mutuante? Et cum pro utraque opinione extent Doctores, probabilis eſt utraque opinio; tum affirmativa, quia labor, potiſſimum ſi gravis ſit, eſt pretio æſtimabilis, quo ceſſante, ceſſare debet ejus pretium; tum negativa, quia ceſſatio à labore non eſt omnino voluntaria in mutuante; qui præſumitur nolle otiari, ſed laborem ſubire, & omne majus lucrum ſibi procurare: & hæc opinio magis arridet eidem Cardin. de Lugo *ubi antea num. 97. & 98. &* Tamburino *in Decalog. d. lib. 8. tract. 3. capit. 8. num. 15.*

Tertia conditio eſt, ut id, quod pro lucro ſolvitur, non ſolvatur ſtatim à mutuatario, 5
ſed poſtea, Molina *diſp. 315.* Leſſius *d. cap. 20. dub. 11. num. 99.* Card Tolet. *lib. 5. cap. 33.* Tamburin. *in Decal. d. cap. 8. num. 16. & 17.* ubi citat Caramuelem *lib. 2. Theol. Moral. numer. 755.* docentem, fieri poſſe duos contractus, unum mutuationis, alterum venditionis, & ex hoc ſecundo, mutuantem poſſe ſtatim exigere lucrum ceſſans à mutuatario in aliqua minori ſumma; quàm verè futurum eſſet ipſum lucrum; & *numer. 18. & 19.* allegat Leſſium, & Azorium duos alios modos aſtruentes; qui parum relevare videntur circa juſtitiam hujus exactionis, quæ tota conſiſtit in eo, quod verè mutuans poſſet ex re mutuata tantumdem lucrari; ut etiam advertit Zerola *in Praxi Epiſcop. part. 1. Verb. Vſura Verſ. Quartum hinc ſit;* ubi notat, lucrum ceſſans permiſſum eſſe in ſolo foro conſcientiæ, in quo creditur pœnitenti pro, & contra eum, ſecus autem in foro exteriori, ubi proceditur per præſumptiones, & probationes, quod etiam tenet Reginald. *lib. 23. num. 84. in fin.*

Itaque his tribus conditionibus ſervatis non
eſt Uſura, ſi lucri ceſſantis nomine aliquid 6
ultra ſortem exigatur in mutuo, & ratio eſt, quia licèt pecunia ſecundum ſe ſit ſterilis, tamen ex induſtria mutuantis ſit apta lucrum germinare; & quamvis induſtria ipſa non applicetur, id fit ex cauſa mutuationis; ut demonſtrat Roſignolus *de Mutuo, & Vſur. de Prænot. 13. ſub num. 7.* & Cardin. de Lugo *d. diſput. 25. num. 87.* ubi plures rationes cumulat, & Maſtrius *d. diſp. 5. num. 64. & 65.*

Ob damnum autem *emergens.* Tres pariter conditiones ſunt ſervandæ. *Prima,* ut damnum emergat verè, & propriè cauſa mutui, ideo qui poterat alia pecunia, vel alio modo impedire illud damnum, non poteſt illud repetere à mutuatario. *Secunda,* ut nihil ultra exigatur, quàm verè ſit damnum ipſum. *Tertia,*

ut

ut de hoc fiat pactum ab initio cum ipso Mutuatario, cujus consensus est necessarius; nam, alioquin posset ipse nolle mutuum recipere cùm hoc onere. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 75 Tamburin. *in Decalog. d. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 8. §. 3. Idem Tamburin. *d. Triplici Jure d. lib.* 9. *cap.* 3. §. 3. *num.* 4. Bonacina *de disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 3. Rebell. *d. l.* 8. *q.* 8. Salas *de Usur. dub.* 18. Card. Tolet. *d. l.* 5. *c.* 32. Cardinal. de Lugo *d. dis.* 25. *num.* 72. Rosignol. *d. tract. de Mutuo, Usur. Præcept.* 13. *num.* 3. & Mastrius *d. disp.* 5. *num.* 58. & 59. ubi notant, adeò necessarium esse actum ab initio mutui de damno emergente solvendo; ut eo non interveniente (nisi mutuum vi, aut dolo exactum fuisset) mutuatarius non teneatur ex Justitia ad illud resarciendum, licèt ipsum mutuum fuerit occasio illius damni; quandoquidem obligari non potest, non vi contractus, qui non obligat nisi ad restituendum tantumdem, quod acceptum est; non ex pacto, quod fuit omissum; non ratione rei acceptæ, qua matuatarius usus est, tanquam Dominus; non ratione injustæ acceptionis, seu damnificationis, quia ipse nec positivè, nec physicè, nec moraliter influit in hoc damnum; & licèt occasionaliter ex beneficio sibi facto, cum non sit ex sua culpa, nullum onus justitiæ pullulat ad resarciendum, & ideò mutuans debet sibi imputare, quod de illo damno non caverit, ipsumque in pactum non deduxerit; & est sententia S. Thomæ *quæst.* 13. *de malo artic.* 4. *ad quartum decimum.* Navar. *in Commentar. de Usur.* 14. *quæst.* 4. *num.* 46. & *in Man. cap.* 17. *num.* 211. & Soti *libr.* 6. *de Justit. quæst.* 1. *art.* 3. *concl.* 3. Excipiendus tamen est Casus, in quo mutuatarius fuerit in mora, de quo infra. Mastrius *d. num.* 58.

His tribus servatis conditionibus non est Usura recipere lucrum in mutuo ob damnum emergens; quia est pretio æstimabile, & æquum non est, ut ratione beneficii gratis in favorem alterius collati, quis teneatur subire in sui detrimentum onera pretio æstimabilia. S. Thom. 2, 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 1. Card. de Lugo *d. disput.* 25. *num* 72. ubi Scotum confutat, contrarium tenentem, & plurimos Doctores concordantes allegat, quos etiam cumulat Dicastill. *lib.* 2. *tract.* 10. *disp.* 2. *dub.* 4. *num.* 159. & passim omnes.

DECISIO XXXIV.

ARGUMENTUM.

Mutuans, qui ex mora mutuatarii in restituenda pecunia mutuata, non potuit ludere aleis, nihil valet exigere ratione lucri cessantis. Plura de ludo Alearum, & de conditionibus veri lucri cessantis.

SUMMARIUM.

1. *Damnum qui dat, illud resarcire debet.*
2. *Alearum, & taxillorum ludus prohibitus.*
3. *Lucrum ex ludo alearum in conscientia peti potest.*
4. *Leges prohibentes ludum alearum non sunt in usu.*
5. *Mutuans sperans lucrari ex pecunia mutuata potest à mutuatario aliquid lucri exigere.*
6. *Fraudes licita an dentur in ludo?*
7. *Interesse est solvendum creditori à debitore moroso.*
8. *Dies interpellat pro homine.*
9. *Lex negat actionem lusori alearum vincenti.*
10. *Lusor alearum in conscientia non tenetur solvere quod perdidit ludendo.*
11. *Lucrum cessans debet esse certum, ut quid exigatur supra sortem in mutuo.*
12. *Possibili posito, non sequitur necessarium.*
13. *Lusores alearum paupertatem incurrunt.*
14. *Mutuatarius qui non promisit lucrum cessans, non tenetur ad illud.*
15. *Mutuans qui non erat licitam negotiationem facturus, non potest ex mutuo lucrum cessans prætendere.*
16. *Clerici negotiari non possunt.*
17. *Alearum lusores sunt de Jure punibiles.*
18. *Causa ubi est incerta lucrum certum non deducitur.*
19. *Lusores alearum peccant mortaliter.*
20. *Lusor alearum perdens non tenetur in conscientia solvere.*
21. *Ludis fortuna non inest probabilitas lucrandi.*
22. *Mora debitoris in solvendo non dat titulum pro lucro cessante.*
23. *Culpa venialis in debitore moroso non sufficit pro plus exigendo.*
24. *Terminus solutionis intelligitur moraliter, id est saltem post spatium unius mensis.*
25. *Philippi Mancini lusoris alearum pia conversio.*

Porrò occasione lucri cessantis resolvendus venit sequens Casus satis curiosus, & difficilis.

Titius recepit mutuò centum aureos à Cajo cum pacto restituendi illos in carnis privio. Distulit Titius restitutionem usque ad Pascha. Cajus, quia aleis, & taxillis ludere non potuit, ut solebat, petit aureos decem supra centum, ratione damni emergentis, seu lucri cessantis; quia totidem saltem, ut asserit, in ludo lucratus fuisset. Quæritur, An jure petat?

Nonnullis visum est probabile, quod Cajus jure petat ob sequentes rationes.

Prima. Qui injustè dat causam damni, tenetur illud resarcire. *cap. Dilecti* 17. *De Foro compet. cap. Pervenit.* 2. *& cap. Constitutus.* 3. *de Fidejussor.* Navar. *in Comment. de Usur. num.* 42. Reginald. *lib.* 23. *num.* 70 Sed Titius mutuatarius, non restituendo centum aureos habitos à Cajo, est causa efficax ejus damni. Ergo ad resarciendum tenetur. 1

Secunda. Si Cajus censendus esset non jure petere, ex eo proveniret, quod voluisset vel injusto titulo lucrari; videlicèt ad aleas, & taxillos, qui probibiti sunt, ludendo. *cap. Episcopus.* 35. *dist. l. Alearum. C. De Relig. & sumpt. fun. & aleat.* vel actionem peccaminosam exercendo. Seu qui lucratur ludendo præsentem pecuniam ab eo, qui alienari valet, eam non tenetur restituere, & sit ejus verus dominus. Rebell. *lib.* 12. *quæst.* 8. *num.* 3. Molin. *disp.* 513. & Card. de Lugo *dis.* 31. *num.* 60. Imò perdens tenetur in conscientia solvere. Rebell. *ibid. num.* 7. Neque actionem peccaminosam exercet, quia ludere etiam principaliter propter lucrum non est peccatum mortale, exclusis fraudibus. Molin. *disp.* 511. Sanchez *lib.* 1. *Consil. cap.* 8. *dub.* 24. *num.* 11. & Card. de Lugo *disput.* 31. *num.* 3, & 4. ubi notat, neque veniale esse, quando lucrum appetatur ad rectum finem sustentationis familiæ, vel status, quia leges prohibitoriæ tàm Civiles, quàm Canonicæ non sunt in usu, saltem quo ad laicos, 2 3 4

cos, idem Card. de Lugo *ibid. num.* 9. Sanch. *dict. cap.* 8. *dub.* 27. *num.* 7. Salas *De Ludo dub.* 2. *& dub.* 3. Ergo Cajus Jure petit.

5 *Tertia.* Tunc lucrum cessans Jure peti potest à mutuatario, quando spes probabilis ipsi mutuanti affulget, lucri acquirendi ex pecunia, quam mutuò dat, & ex industria sua. Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 8. *§.* 3. *num.* 11. adeò, ut facta æstimatione illius spei, attento periculo, & aliis circumstantiis, illa æstimatio sit solvenda, sivè lucrum futurum sit maius, vel minus. Molina *disp.* 316. *num.* 9. Card. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 96. sive etiam nullum inde lucrum proveniat. Reginald. *d. lib.* 23. *num.* 88. & ibi Sotus *lib.* 6. *de Just. quæst.* 1. *art.* 3. sed in ludo dari potest in lusore probabilitas lucrandi, ob ejus majorem peritiam, dexteritatem, & industriam; & quidem justè, & licitè. Cardin. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 27. *num.* 6. Decius *cons.* 115. Covaruvias *Reg. Peccatum. §.* 4. *num.* 6. & Cardin. de Lugo *disp.*
6 31. *num.* 33. 34. *& num.* 44. *&* 48. ubi concedit fraudes licitas in ludo, ad lucrandum; & quod possit, qui potiores chartas habet, & securus est de victoria, metum simulare, ut adversarius sponsionem augeat, vel ipsemet potest augere, quod etiam permittit Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 9. *§.* 1. *numer.* 7. Ergo attenta probabilitate lucri, imò securitate, quam Cajus habere potest in ludendo, jure à Titio decem aureos ratione lucri cessantis exigere potest; quamvis ludendo vel minus, vel nihil lucratus fuisset.

7 *Quarta.* Nam eo ipso, quod terminus solutioni mutui præfigitur, tacitè ac virtualiter censetur intervenire pactum, quod mutuatarius teneatur ad interesse, quo mutuans, defectu solutionis, in eo termino privatur. Molina *de Just. & Jur. disp.* 299. *num.* 6. *& disp.* 315. *num.* 3. Reginald. *lib.* 23. *num.* 76. *Vers. Tertius casus est.* Et ratio est, quia mutuatarius, qui est in mora, est etiam in culpa; & qui in culpa est circa restitutionem, tenetur ad resarciendum damnum, quod obvenit creditori. Petr. à Navar, *de Restit. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 282. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 2. *§.* 6. *num.* 6. adeò ut, neque opus sit alia monitione. Petr. à Navar. *d. cap.* 2. *num.* 281. Diana *part.* 1. *tr.* 8. *de contr. resol.* 87. Quæ in Coordin. est *tom.*
8 6. *Tract.* 3. *res.* 21. nam dies interpellat pro homine *l. Cum quidam. ff. de Usur. l. Usuras. C. eod. & l. Magna C. de contrah. stipulat.* Leotard. *de Usur. quæst.* 81. *num.* 26. ubi plures text. adducit. Sed in casu nostro Titius recepit centum à Cajo cùm Pacto restituendi illos in carnis privio. Igitur cum non restituerit, sed distulerit restitutionem usque ad Pascha, factus est morosus; & ratione moræ tenetur aureos decem ultra sortem Cajo solvere, ad resarciendum lucrum cessans.

His tamen minimè obstantibus, contraria opinio, *Cajum scilicèt non Jure petere*; ob fortiores rationes, & ampliora vota, prævaluit. Quandoquidem.

Primò. Cajus efficaciùs agere non potest ad lucrum cessans consequendum, ex eo quod ludere non potuit, contra Titium Mutuatarium, quàm contra lusorem ipsum; si realiter lusisset, & lucratus fuisset. Sed esto, quod Cajus cen-
9 tum aureos habuisset in carnis privio, & in ludo aliquam summam fuisset lucratus, eam collusor perditor, si solvere detractaret, à Cajo cogi non posset, ut solveret; quia lex negat actionem lusori vincenti ad obtinendum lucrum factum in ludo; imò qui perdidit, & solvit, habet actionem, ut sibi lucrum traditum restituatur. Covaruvias *in Reg. Peccatum §.* 4. *num.* 8. & facit *text. in l. Invitus. §. cui damus. De Reg. Jur. l. Creditori C. de Pactis. l.* 1. *§. his au-* 10 *rem. ff. De superficiebus. Cap. Qui ad agendum. De Reg. Jur. in* 6. adeò ut neque in foro conscientiæ Victus obligatus sit rem perditam lusori vincenti tradere, ut tenet Covaruv. & apud eum Adrian. ubi proximè, & Molina *disp.* 515. *num.* 5. & ibi Sot. & Navar. Rebell. *lib.* 12. *quæst.* 1. *num.* 7. Tamburin. *in Decalog. d. lib.* 8. *tract.* 2. *cap.* 9. *§.* 1. *num.* 8. 9. 10. *&* 11. Layman, *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 21. *num.* 3. Salas de Ludo *dub.* 26. & Card. de Lugo *disp.* 31. *num.* 70. Ergo multò minùs Cajus jure agere, vel petere potest à Titio ultra sortem decem aureos.

Secundò. Ad exigendum aliquid ultra sortem 11 in mutuo ratione lucri cessantis requiritur, quod ipsum lucrum sit in actu, & morali certitudine; id est quod de eo habeatur probabilitas, & non sufficit sola possibilitas. Sylvester *Verb. Usura* 2. *quæst.* 19. Angelus *Verb. Usura* 1. *num.* 15. Summa Diana. *Verb. Mutuum, num.* 8. Reginaldus *lib.* 23. *num.* 84. *Vers. ex hoc documento, &* Zerola *in Praxi episc. part.* 1. *Verb. Usura. Vers. Quartum hinc fuit.* ubi ait, non valere possibilitatem lucrandi, quia multa possunt accidere, quæ lucrum impediant; & 12 regula Philosophiæ est, *Possibili posito, non sequitur necessarium.* Idem docet Card. Tolet. *d. lib.* 5. *cap.* 33. *Vers. Tertia est.* Trullench. *in Decalog. lib.* 7. *dub.* 9. *num.* 3. Rebell. *lib.* 8. *quæst.* 6. *num.* 2. Molina *disp.* 315. *in fin. & disp.* 316. Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 7. *part.* 2. *Ampliat.* 8. *num.* 221, ubi plurimos cumulat. Sed lucrum, quod Cajus sibi promittebat ex ludo, etsi possibile esse posset; tamen non est probabile, & mortaliter certum; quia nulla major incertitudo, quàm in ludo alearum, & taxillorum; in quo frequentissimè homines de divitibus fiunt pauperes, suumque patrimonium, uxorum, ac filiorum bona dissipant, & insumunt, cum irreparabili detrimento totius familiæ, ac 13 negotiorum; ut doctè notat Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 1. *num.* 85. & Molina *disp.* 511. *in princ.* Ergo Cajus à Titio non jure petit.

Tertiò. Inter conditiones, quas Theologi, & 14 Canonistæ requirunt, ut licitum sit aliquid exigere ultra sortem à Mutuatario pro lucro cessante, illa præcipua est, ut ab initio Mutuatarius fuerit de hoc monitus, & tale onus deductum fuerit in pactum. Layman. *lib.* 3. *sect.* 5. *Tractat.* 4. *cap.* 16. *num.* 10. Rebell. *d. lib.* 8. *quæst.* 5. *num.* 2. *& quæst.* 7. *numer.* 4. Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 8. *§.* 3. *num.* 3. *&* 12. *& de Tripl. Jur. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 3. *§.* 3. *num.* 4. *& §.* 4. *num.* 5. Reginal *d. lib.* 23. *num.* 79. 80. 81. Bonacina *dict. tom.* 2. *De contractib. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 2. *&* 3. Trullench. *in Decalog. d. lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 9. *num.* 7. Card. de Lugo *disp.* 25. *num.* 87. ubi omnes eam reddunt rationem, quia justum non est, ut mutuatarius invitus cogatur ad solvendum interesse mutuatori; ideòque de-

bet

bet de hoc ab eo certiorari, ut vel ſuum conſenſum præbeat, vel ſi nolit, ab acceptione mutui abſtineat. Sed ſic eſt, quod Cajus neque monuit Titium, neque pactum fecit de ſolvendis decem aureis pro aſſerto lucro ceſſante, ubi ludere non potuerit aleis, & taxillis. Ergo Cajus jure eos decem aureos à Titio petere non poteſt.

15 *Quartò.* Ad obligandum mutuatarium ut Mutuatori lucrum ceſſans refundat, opus eſt, ut ipſe mutuator licitam negotiationem eſſet facturus; remque utilem, ac honeſtam aggreſſurus; alioquin ſi rem prohibitam, vel inutilem, vel otioſam ad lucrum acquirendum exercere intendiſſet; nullatenùs poſſet lucrum ceſſans exi-
16 gere à Mutuatario, Reginald. *d. lib.* 23. *num.* 84. *Verſ. Ex hoc documento,* ubi ex Lelio Zech. *de Uſur. cap.* 16. *num.* 5. docet; Clericum non poſſe prætendere lucrum ceſſans, eò quia Clericis interdicta eſt negotiatio. *Cap. Negotiatorem. Cap. Fornicarii. Cap. Conſequens. Cap. Ejiciens.* 88. *diſt. Cap. Ult. de Vita, & honeſt. cleric. & Clem.* 1. *eod.* Sed ipſe Cajus intendebat negotiari, & lucrari ludo aleārum, & taxillorum, qui non minùs eſt ei prohibitus à Jure, ac negotiatio Eccleſiaſticis. *Cap. Epiſcopus.* 35. *diſt. lib. Alearum. C. de Religioſ. &*
ſumpt. funer. lib. 1. *& ſeqq. ff. de Aleæ luſu, &* Alea-
17 *tor.* Menoch. *de Arbitr. Caſu* 399. *num.* 5. Scaccia *de Commerc. d.* §. 1. *quæſt.* 1. *num.* 85. ubi probat, alearum ludum eſſe adeò reprobatum, ut pro crimine reputetur; & tanquàm criminoſi hujusmodi luſores ſint puniendi. Clarus *lib.* 5. §. *Ludus in princip.* Menoch. *de Arbitr. Judic. Caſu* 399. & Laurent. Prior. *in Praxi Crimin. Veneta,* ubi leges Sereniſſimæ Reipublicæ *cap. de Ludo pag.* 191. Igitur injuſta eſt Caji petitio; prout in puncto ſcribit Tamburin. *de Triplici Jure lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 3. §. 3. *num.* 6. Bonacina *tom.* 2. *de contract. diſt. diſput.* 3. *quæſt.* 3. *punct.* 4. *num.* 10. Nicolius *in Lucubr. Civilib. lib.* 3. *tit.* 15. *ſub num.* 12. *Verſ. Vel ſi creditor.*

Cui opinioni, per Curiam Epiſcopalem approbatæ, non obſtant rationes contrariæ.

18 Non *Prima.* Quia verum non eſt, Titium eſſe cauſam efficacem damni, quod ex non ludo aſſerit Cajus ſibi obvenire; quia cum aſſertum lucrum prætendatur à Cajo tùm ex actione illicita, tùm ex cauſa incerta, & non probabili, quamvis poſſibili; non eſt refundenda cauſa amiſſionis lucri in Mutuatarium, ſed in ipſum mutuantem, ut ſcribit Tamburin. *d.* §. 3. *num.* 6.

19 Non *Secunda:* Quia, quidquid ſit de culpa in luſoribus, quos mortaliter peccare certum eſt, ubi magnam quantitatem ludant cùm detrimento notabili filiorum, & uxoris, ſubtrahendo eis alimenta debita, vel ſe impotentes reddendo ad ſolvenda debita. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *reſolut.* 65. quæ in Coordin. eſt. *tom.* 6. *tract.* 4. *reſol.* 1. *& part.* 7. *tract.* 9. *reſol.* 2. Quæ reſidet in Coordin. *tom.* 6. *tract.* 4. *reſol.* 7. Sanch. *in Opuſc. Moral. part.* 1. *cap.* 8. *Dub.* 24. *num.* 8. ubi DD. & quidquid ſit de obligatione in conſcientia ſolvendi amiſſa in ludo; cum prævaleat opinio Doctorum, qui affirmant, perdentem non obligari in conſcientia ad ſolvendum, eò quia ſi habet actionem ad repetendum, eò magis frui poteſt exceptione ad non ſolvendum. Co-
20 varuv. *in Reg. Peccatum.* §. 4. *à num.* 8. Molina *diſp.* 515. *num.* 5. Cardin. de Lugo *diſput.* 31. *ſect.* 5. Summa Diana *Verb. Ludus, num.* 32. & Sa-
las de Ludo *dub.* 26. Ludus alearum, & taxillorum non eſt titulus legitimus ad exigendum in Mutuo aliquid ultra ſortem pro lucro ceſſante, tùm ex defectu certitudinis lucri, tùm ex prohibitione ludi, ut dictum eſt ſupra.

Non *Tertia:* Nam in ludis fortunæ nulla eſt 21
probabilitas lucrandi; & experientia teſte, multi qui pluries lucra fecerunt, adverſam poſtea patiuntur fortunam in eodem ludo, & omnes facultates ſuas perdendo conſumunt. Et licèt luſor aliquando chartas ſecuriſſimas habeat, nihilominùs eſt quid accidentale, ex quo illa moralis certitudo lucrandi deduci non poteſt, quæ neceſſaria eſt ad exigendum lucrum ceſſans à Mutuatario.

Non *Quarta:* Quia negatur, ex conſtitutione 22
termini ad reſtituendum mutuum, inſurgere pactum ſolvendi damnum emergens, vel lucrum ceſſans; quandoquidem, ut ſupra probatum eſt, præcedere debet explicitum pactum cùm Mutuatario, & obtinendus eſt ejus conſenſus; quo ſtante, intrat axioma illud, dies interpellat pro homine. Tamburin. *dict. lib.* 8. *in Decal. Tract.* 3. *cap.* 2. §. 6. *num.* 7. & Cardinal. de Lugo *dict. diſput.* 21. *num.* 23. Igitur ceſſante pacto, prout in caſu noſtro, ceſſat mora; ad quam conſtituendam requiritur admonitio, &
interpellatio. Leotard. *de Uſur. quæſt.* 81. *num.* 43. *&* 44. Angel. *Verb. Uſura* 1. *num.* 20. Cardinal. 23
de Lugo *diſput.* 18. *num.* 32. Tamburin. *dict.* §. 6. *num.* 10. *in fin. & d. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 8. §. 3. *n.* 9. ubi ulteriùs advertunt, ſolam culpam venialem in debitore tardante reſtitutionem mutui non inducere onus ſolvendi intereſſe ordinarium, vel extraordinarium; ac terminum reſtitutionis mutui ab initio præfixum non eſſe ſumendum metaphyſicè, ſed moraliter, & communi more
humano, qui ſaltem unius menſis ſpatium con- 24
cedit. Rota *part.* 5. *recent. deciſ.* 218. *num.* 8. undè fit, ut Titius, qui debebat reſtituere Cajo centum aureos in carnis privio, & diſtulit, reſtitutionem uſque ad Paſcha, & ſic dies 40. dici non poſſit moroſus, ſaltem culpabilis, & per conſequens, nullo Jure Cajus petit ab eo decem alios aureos ob lucrum ceſſans ex non ludo. Tamburin. *dict.* §. 6. *num.* 7. *&* 9. & Card. de Lugo *d. diſp.* 18. *num.* 38.

Hic autem notare libet emendationem ab ale- 25
arum vitio, quam magnus, & inſignis earum luſor Philippus Mancinus Senenſis fecit, deſcriptam per P. Paulum Aringhi *in Select. Pœnit. mortib. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 19. Prædictus Philippus Mancinus ita deditus erat alearum ludo, ut non ſolùm temporales divitias, ſed etiam æternam ſalutem animæ aleis jaciebat. Pro ejus emendatione Soror devota Virgo Deum precabatur, & exaudita fuit. Siquidem cum Mancinus ejus frater Romam acceſſiſſet, curioſitatis ergo cùm aliis nobilibus ſociis catacumbas Sancti Sebaſtiani ad eas inviſendas ingreſſus fuit. At cum ipſe, ac ſocii ambulaſſent per longiſſimos tractus variis mæandris, ac flexibus illius ſubterraneæ ſemitæ diviſæ, dum nituntur ad primos aditus remeare, in alios, aliosque viarum errores incautè divertebant, & conſumpto facium alimento noctis, ac mortis tenebræ ingruunt. In lachrymis omnes diffunduntur, votum Deiparæ faciunt pœnitentis vitæ, ſi ab eo ſepulchro vivi deducantur. Exaudivit eos pia Mater, & Virgo. Rimulam lucis è terra vi-

dent. Ad eam clamant. Ruſtici propè ipſam laborantes terram, eam fodiunt, & è cavernis illis Philippum cum ſociis educunt; qui Senas reverſus habitum pœnitentiæ in pia Congregatione ſumpſit; & in jejuniis, ac mortificationibus uſque ad finem vitæ perſeverans; culpas in alearum ludis antea contractas delevit, & meruit morte ſancta vitam finire.

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

Uſura Simoniaca, & Simonia Uſuraria eſt mutuare pecuniam Patrono beneficii, ut cedat mutuanti liberam nominationem ad illud.

SUMMARIUM.

1. *Simonia, ac Uſura ſine pretio non committitur.*
2. *Simonia eſt, ſi pro commodo temporali detur res ſpiritualis.*
3. *Uſura ſemper ineſt in lucro temporali ob mutuum.*
4. *Privatio libertatis in re propria eſt pretio æſtimabilis.*
5. *Mutuare pecuniam cùm intentione recipiendi beneficium eſt Uſura Simoniaca; & utraque in confeſſione exprimenda.*

ANtonius promptè mutuat mille aureos Patrono beneficii, quia donec illos reſtituat, ſi beneficium vacaverit, liberam ſinit ei nominationem ad illud. Quæritur, an labes aliqua in hoc caſu habeatur?

In reſolutione hujus caſus duæ differentes opiniones repertæ fuerunt; nam alii arbitrati ſunt, nullam ineſſe labem neque Uſuræ, neque Simoniæ. Alii aſſeruerunt intrare labem Simoniæ, & Uſuræ.

1 Primæ opinionis ſectatores, nullam labem in hoc caſu recognoſcentes, ita argumentati ſunt. 1. Sicut ad conſtituendam Simoniam debet aliquod lucrum dari Patrono pro nominatione ad beneficium, ita ad committendam Uſuram oportet, ut mutuator aliquod pretio æſtimabile conſequatur. Reginaldus *dict. lib. 25. num.* 189. & ibi Covaruv. & Sot. noviſſimè Giballin. *de Simon. quæſt. 1. §. 1.* Sed in noſtro Caſu Patronus nullum lucrum accipit, quia totum mutuum reſtituere debet; nihilque lucratur Antonius, quia gratis & ipſe nominare debet ad beneficium. Ergo nulla labes nec Simoniæ, nec Uſuræ in noſtro Caſu. ita ſentire viſi ſunt Petr. Navar. *de reſtitut. lib. 3. cap. 2. num* 270. Berous *in cap. Ex litteris num.* 38. & 39. *De Jurepatronat.* Barboſa *de Jure Eccleſiaſt. Univ. lib. 3. cap. 12. num.* 237. & Diana *part. 1. tract. 8. reſol. 61.* Quæ in Coordinato eſt *tom. 5. tract. 7. reſol. 29.*

Contrariæ opinionis defenſores probarunt & *Simoniam*, & *Uſuram* ineſſe in hoc Caſu. *Simoniam:*
2 Quia ſemper ea ineſt, ubi pro temporali commodo datur res ſpiritualis, ex pacto oneroſo, atque obligatione juſtitiæ. At tale commodum recipit ex mutuo Patronus, qui cedit Jus nominandi ad beneficium Antonio mutuatori. Ergo Simoniam committit. Ita Molina *diſp. 310. §. Quo ad ultimum.* Flamin. Pariſius *de reſign. lib. 14. quæſt. 7. num. 5. & de Conſident. quæſt. 36. à num. 27. & ſeqq.* & Giballinus, qui plurimos DD. ita tenentes allegat, *De Simonia quæſt. 16. Conſect. 6.* per totum. *Uſuram* autem in hoc Caſu committi oſtenderunt ex eo, quod Uſura eſt, quando mutuator ex mutuo aliquod temporale conſequetur ultra ſortem. Sed nominatio ad beneficium includit commodum aliquod temporale: licèt enim gratis debeat fieri nominatio, 3
tamen Antonius mutuator poteſt nominare filium ſuum, vel fratrem, aut nepotem, & ſic domui ſuæ lucrum afferre. Ergo intrat Uſura; prout intrare ſcripſerunt præter *DD.* à Giballino ubi proximè citatos, Reginald. *d. lib. 25. num.* 190. Trullench. *in Decalog. lib. 7. cap. 19. dub. 7. num.* 3. Rebell. *d. lib. 8. qu. 4. num.* 13. Cardin. de Lugo *d. diſp. 25. num.* 45. & Leſſius *d. lib. 2. cap. 20. num.* 64.

Hanc opinionem amplexa eſt Curia Epiſcopalis, quia ſi verum amamus, Caſus propoſitus verè continet Uſuram Simoniacam, & Simoniam Uſurariam; datur enim temporale pro ſpirituali; mutuator commodum ſentit, & mutuatarius gravamen ex mutuo reportat, quia privatur libertate nominandi ad beneficium, quem maluerit, & forſan aliquem ex ſuis conjunctis, quo excluſo, damnum temporale reportabit; & hæc privatio libertatis eſt pretio æſtimabilis; ut benè probat Cardinal. de Lugo *d. diſput. 25. à num. 45. & ſeqq.* Pariſius *de Conſid. dict. quæſt. 36. num.* 63. ubi notat ſufficere pactum tacitum, 4
& ſolam intentionem conſequendi beneficium ex mutuo ad cauſandam Uſuram Simoniacam, ſubdens, utramque circumſtantiam eſſe exprimendam in confeſſione, quod tradit etiam Navar. *conſ. 21. num. 4. de Simon. &* Leſſius *d. lib. 2. cap. 20. num.* 64. & 65.

Neque ſubſiſtit argumentum primæ opinio- 5
nis; ſiquidem falſa eſt minor propoſitio, quod neque mutuans, neque mutuatarius commodum, ſeu lucrum conſequatur; nam mutuatarius commodum percipit ex receptione mille aureorum, quorum negotiatione lucrum eſt percepturus; ac etiam mutuans ſuam utilitatem habet, utendo fructibus juriſpatronatus, inter quos computatur nominatio, ſeu præſentatio ad beneficium; Gloſſa *in cap. Cum olim. Verb. Capitulo, de Major. & Obed.* & Gloſſa *ult. in cap. Cum Bertold. De ſent. & re judic.* Quapropter in praxi impugnandæ ſemper ſunt hujuſcemodi conventiones, ut noviſſimè, ac doctiſſimè probat P. Salas *de Uſuris dub. 14. per totum.*

DECISIO XXXVI.

ARGUMENTUM.

Quia plures ruſticorum audiunt Miſſam in januis Eccleſiæ, notantur decem jucunda argumenta, quibus Parochi eos ſuadebunt Eccleſiam intrare.

SUMMARIUM.

1. *Miſſa non eſt audienda in januis Eccleſiæ.*
2. *Attentio ad Miſſam an ſufficiat externa?*
3. *Pœnitentes publici ad januam Eccleſiæ audiunt Miſſam.*
4. *Eccleſia orat pro extantibus in ea; non in januis.*
5. *Aqua benedicta in ingreſſu Eccleſiæ ad ſe ſignandum mos eſt antiquiſſimus.*
6. *Diaboli officium impedire ingreſſum in Eccleſiam.*
7. *Introitus in Eccleſiam commendatus in Pſalmis.*
8. *Filii privilegium ſtare ad menſam Patris.*
9. *Angeli intùs monumentum Chriſti: Satellites foras.*
10. *Prædeſtinationis ſignum ingredi Eccleſiam: reprobationis venire ad januam.*
11. *Nobiles non ſunt publicè redarguendi, ſed ſuaviter, ac ſecretò.*

Mo-

Motiva, quibus Laici in Villis persuaderi possint, ne morentur in januis Ecclesiarum, sed ingrediantur Ecclesias, sacrum Missæ Sacrificium auditurì, sunt sequentia.

Primum. Quia de hoc extat lex Ecclesiastica prohibitiva in Synodalibus Constitutionibus Patavinis *Part. 1. Cap. 10. Vers. Fideles dum rei divinæ intersunt, fores Ecclesiæ non occupent. Et dict. part. 1. cap. 11. Vers. Non quis:* ubi ita: *Non quis sub eadem pœna* (scilicèt interdicti) *dum Missæ Sacrificio intereſt, in limine, vel ante fores immoretur, templivè Vestibulum occupet.* At certum est legem hanc non solùm obligare ad pœnam, sed etiam ad culpam; ut docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *art.* 4. Sotus *de Justit. & Jur. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 5. & Fagnan. *in capit. Si quis. num.* 58. *in fin. De Regular. tom.* 5. *pag.* 16.

Secundum. Quia, quidquid dicant Theologi de attentione necessaria ad audiendam Missam, an scilicèt requiratur interna, vel sufficiat externa, & an sub mortali, vel veniali culpa, ut videre est apud Dianam. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 101. Quæ in Coordin. est *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 47. & Tamburin. *in Decalog. lib.* 3. *cap.* 2. §. 1. *num.* 19. negari non potest, immorantes in januis expositos esse periculo multarum distractionum; quarum causa culpabiles coram Deo fieri possunt ex defectu attentionis debitæ, & reverentiæ erga Sacrificium.

Tertium. Quia limen, vel ostium Ecclesiæ locus est, in quo olim ex Ecclesiasticis Canonibus stare jubebantur Rei gravissimorum criminum, ad agendam publicam Pœnitentiam. Bail. *in Summa Concilior. tom.* 1. *In apparatu de Triplici Verbo Dei pag.* 103. *Versicul. Duo autem erant genera Pœnitentiæ,* & nunc stare coguntur cùm accensis candelis, qui ante contractum Matrimonium Sponsi se carnaliter cognoscunt.

Quartum. Quia, Sancta Mater Ecclesia Deum precatur sua elargiri beneficia non iis, qui in januis, sed qui ingressi sunt Templum sacrum, & intra ejus ambitum continentur, ut in collectis Dedicationis Ecclesiæ: ibi *Ut quisquis hoc Templum beneficia petiturus ingreditur:* & ibi *Ut quicumque intra hujus Templi ambitum continentur.*

Quintum. Quia, qui non ingrediuntur Ecclesiam, vel sistunt in abside, se signare non possunt aqua benedicta, ut ex antiquissimo Ecclesiæ more faciunt Fideles ad delenda Venialia peccata. Gloss. *in cap. Omnis utriusque sexus* 12. *Verb. omnia de Pœnit. & Remission.* & Barbosa *de Jure Ecclesiastico Univ. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 31.

Sextum. Quia commorantes in limine ostii impediunt alios, qui ingressuri sunt Templum sacrum; quod esse officium diabolicum ostendit Catech. Roman. *in* 6. *Petit. Domin. sect.* 5. 6. & 7.

Septimum. Quia Regius Psaltes pluries hortatur ingressum Templi, non accessum tantummodò ad ostium. *Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum Sanctum tuum. Psal.* 5. *Introite in conspectu ejus in exaltatione. Introite portas ejus in confessione. Psalm.* 99.

Octavum. Quia privilegium est filiorum intrare domum Patris, ad ejus Mensam accedere; mancipiorum autem foras stare. *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ. Psalm.* 127.

Nonum. Quia mos est Angelorum ingredi; at satellitum stare ad ostium; ut scriptum est de Christi Domini Monumento, quod fuit typus Ecclesiæ; nam in eo viderunt mulieres Angelos intùs esse; extra autem à Judæis collocati fuerunt satellites, *Signantes lapidem cùm custodibus, ex Matth.* 27. *& Marci.* 16.

Decimum. Quia imò est signum Prædestinatorum ingredi, reproborum autem attingere januam; ut de Virginibus prudentibus, & fatuis testatur Evangelium dicens de Prudentibus: *Et quæ paratæ erant, intraverunt cùm eo ad Nuptias. Matth.* 25. De fatuis autem: *Domine Domine aperi nobis. ibid.*

His motivis dictum fuit, posse per Pastores animarum persuaderi hominibus rudibus, qui solent in januis Ecclesiarum Missam audire, ut intrent Ecclesiam, & devotiùs audiant. Cæterum si qui Viri Nobiles, vel Juvenes audaciores essent, quos non puderet in limine Ecclesiæ immorari, eos non statim publicè ex Altari reprehendendos; sed secretè summa cum benignitate rogandos esse, notatum fuit, ut velint Templum Domini ingredi; sic enim facilè ab eis obeditur Parochis; & eorum exemplo corriguntur rusticiores; & ita practicari ab omnibus vehementer Curia Episcopalis exoptat.

DECISIO XXXVII.

ARGUMENTUM.

Quia sub prætextu periculi plures in mutuo committuntur Usuræ; declaratur in hac Decisione, quæ, & quot conditiones requirantur, ut ratione periculi possit exigi lucrum absque labe Usuraria.

SUMMARIUM.

1. *Periculi ratione an liceat accipere lucrum ex mutuo?*
2. *Fidejussor recipere potest lucrum ex fidejussione.*
3. *Locatio rei periculosæ admittit pretium ultra justum.*
4. *Labor occasione mutui meretur lucrum.*
5. *Periculum in recuperanda pecunia facit eam minùs valere.*
6. *Assecurationis contractus est licitus cùm lucro ultra sortem.*
7. *Omnis contractus habet suum periculum.*
8. *Mutui natura destruitur, si lucrum accipiatur.*
9. *Periculi nomine lucrum habet processum in infinitum.*
10. *Periculi nomine nihil accipiendum in mutuo.*
11. *Periculum vel ab extrinseco, vel ab intrinseco quid sit?*
12. *Lucrum non est licitum in mutuo ob periculum ab intrinseco.*
13. *Mutuans cùm periculo potest recipere cautiones, non autem lucrum.*
14. *Periculi causa lucrum potest recipi cùm quatuor requisitis. Et quæ?*
15. Cap. Naviganti. De Usuris *declarationes quatuor.*
16. *Nemo potest esse creditor, & fidejussor ejusdem rei.*
17. *Locaturi non est illicitum augere pretium locationis.*
18. *Labor mentis non est pretio æstimabilis.*

Successivè ad majorem explicationem materiæ de Usuris, quæsitum fuit. *An liceat recipere lucrum in mutuo ratione periculi.*

AD hoc Quæsitum, Tres opiniones diversas reperi in responsis hujus Cleri. Nam

1 Alii affirmarunt. *Primò*, quia fidejussori licèt ob periculum, cui se exponit fidejubendo, aliquid pacisci, & lucrari à debitore. Bartol. & Paul. de Castr. *in l. Hoc Jure. §. labeo. ff. de Donat.* Stracca *de Assecurat. in Præfat. num.* 45. Maurus *de Fidejussor. part.* 2. *cap.* 2. Mantica *de Tacit. lib.* 16. *tit.* 2. *num.* 3. Molina *disput.* 319. Sed in hoc casu Mutuans gerit vicem fidejussoris pro periculo. Ergo. 2 *Secundò*, quia in locatione equi, si timeat dominus eum nimio labore, fame, vel fuga periturum, potest, ultra pretium locationis, aliquid plus exigere ratione periculi, quod solvi debeat, etiamsi equus non pereat. Card. 3 de Lugo *disp.* 25. *num.* 83. *Tertiò*, quia sicut labor corporis in mutuante facit, ut licitè possit mutuans exigere lucrum ratione illius laboris. Navar. *in Manual. cap.* 17. *num.* 209. Molina *disp.* 304. *num.* 3. Tamburin. *de Triplici Jur. lib.* 9. *tract.* 4 1. *cap.* 3. *§.* 2. *num.* 1. Ita labor mentis, quem patitur mutuans, anxius ob periculum illius sortis, tanquàm pretio æstimabilis reddere licitum lucrum ultra sortem debet, utpotè condistinctus ab ipsa sorte. Cardinal. de Lugo 5 *dict. disputat.* 25. *num.* 81. *Quartò*, quia Jus recuperandi centum cum probabili periculo illa amittendi, minus valet, quàm ipsamet centum extra periculum. Igitur cum Mutuator det centum in effectu, quæ plus valent, quàm alia centum cum periculo recuperanda, poterit ob susceptionem hujus periculi lucrum recipere. Lessius *dict. lib.* 2. *cap.* 20. *dub.* 13. *à num.* 111. *&* 6 *seq.* Salas *de Usuris dub.* 22. *Quintò*, quia licitus est contractus Assecurationis. Molina *de Justit. & Jur. disp.* 318. *num.* 3. *& disp.* 507. *per tot.* Gasp. Anton. Thesaur. *Quæst. for. lib.* 4. *quæst.* 77. *num.* 3. *&* 4. & Leotard. *de Usur. quæst.* 23. *num.* 42. At mutuator ex contractu Assecurationis censetur pacisci de lucro ultra sortem ; & ad illum ineundum non videtur incapax, quia à quocumque alio potest iniri, & ipse ex eo, quod mutuat, non debet esse deterioris venditionis, quàm sit alius extraneus. Ergo licitè recipit lucrum ratione periculi ; & ita tenet Molina *dict. disput.* 304. *& disp.* 356. & Salas *ubi supra.* Bonacina *disp.* 3. *de contr. quæst.* 3. *punct.* 5. Sylvest. *Verbo Usura* 1. *num.* 35. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 37. Quæ in Coordinato est *tom.* 3. *tract.* 2. *resol.* 41. Et Mastrius *dict. disp.* 5. *num.* 67.

7 Alii omninò negarunt. *Primò*, Quia Vix aliquid mutuari potest, vel credito dari, quin exponatur capitale aliquali periculo. Igitur si ob periculum concedamus, posse lucrum exigi, magnum ostium erit apertum Usuris. Rebell. *dict. lib.* 9. *quæst.* 12. *num.* 1. Cardin. de Lugo *dict. disp.* 25. *num.* 84. Cardin. Tolet. Sotus. Navar. & alii plurimi apud Salas *de Usur. dict. dub.* 22. *num.* 8 1. *Secundò*, quia, si pro periculo pretium sumatur, destruitur natura mutui ; sicut si pro re commodata exigas lucrum ratione periculi, non erit ampliùs commodatum Rebell. *dict. lib.* 9. *quæst.* 12. *num.* 2. *Tertiò*, quia si pro periculo ca- 9 pitalis exigi possunt decem pro interesse, etiam pro periculo horum decem aliud interesse exigi poterit, & aliud pro isto alio, & sic daretur terminus in infinitum. Card. de Lugo *dict. disp.* 10 25. *num.* 84. Reginald. *lib.* 25. *num.* 246. *Quartò*, quia tale periculum non est separabile ab ipso capitali, & per restitutionem capitalis satisfit toti periculo. Rebell. *dict. lib.* 9. *quæst.* 12. *num.* 2. *Quintò*, quia id expressè definitum est in Jure Canonico per *text. in cap. Naviganti. De Usuris* ; & ita tenent Conrad. *de Contract. quæst.* 59. *Coroll.* 1. *&* 2. Guttierez *Pract. quæst. cap.* 39. *num.* 30. Sotus *de Justit. & Jur. lib.* 6. *quæst.* 4. *art.* 1. Navar. *in Man. cap.* 23. *num.* 81. Fagnanus *in d. cap. Naviganti. num.* 8. *de Usur.* Rebell. *dict. lib.* 9. *quæst.* 12. Reginald. *dict. lib.* 25. *num.* 246. Menoch. *de Præsumptionibus lib.* 3. *Præs.* 123. *num.* 5. Azorius *lib.* 7. *cap.* 7. *in fin.* Leotard. *de Usur. quæst.* 23. *num.* 17. *&* *num.* 27. & alii, quos citat Diana *dict. part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 37. Quæ in Coordinato est *tom.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 41.

Alii distinxerunt; Vel Periculum provenit ab extrinseco rei mutuatæ, vel ab intrinseco Mu- 11 tuantis. Primo modo, & ab intrinseco est, quando res mutuata sui ipsius causa subjacet periculo ; puta si pecunia sit trajicienda extra mare, vel transmittenda per loca latronibus, aut militibus infesta ; & in hoc casu ob periculum ita probabile, & manifestum, ab extrinseco pro- 12 cedens, poterit Mutuans licitè exigere lucrum ob rationes adductas in sententia affirmativa. Secundo verò modo, quando scilicèt ab intrinseco ipsius mutuantis procedit, qui formidolosus de paupertate, aut fidelitate mutuatarii ob suum timorem vult lucrum percipere ; & in hoc casu non licebit lucrum exigere rationibus in negativa sententia consideratis ; & ita tenent Canonistæ, quos congerit Covaruv. *Variar. resolut. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. & hanc distinctionem refert Reginaldus *dict. lib.* 25. *num.* 246.

Curia Episcopalis amplectitur hanc tertiam opinionem ; adeo ut illicitum censeat exigere 13 lucrum ob periculum proveniens ab intrinseco Mutuantis, & ob ejus solum timorem, atque formidinem ; siquidem in eo casu potest sibi consulere, vel abstinendo à datione mutui, vel exigendo pignora, aut fidejussores. Azor. *dict. cap.* 7. *in fin.* & Leotard. *dict. quæst.* 23. *num.* 28. Quod si periculum vergat ab extrinseco, & â parte rei mutuatæ, tunc admittenda est opinio 14 affirmativa, quod scilicèt Mutuans possit exigere lucrum ob periculum ; quatuor tamen servatis requisitis. *Primum* est, quod Mutuatarius non obligetur ad accipiendum mutuantem in Assecuratorem, & ad promittendum pro periculo ante mutui dationem, quia mutuare cum hac obligatione est Usura, siquidem talis obligatio est pretio æstimabilis. Molina *dict. disput.* 318. *num.* 4. Diana *d. part.* 2. *tract.* 8. *resol.* 37. Rebell. *de Oblig. Justit. lib.* 8. *quæst.* 4. *num.* 15. Leotard. *de Usur. quæst.* 23. *num.* 7. *ubi DD. Secundum* est, ut ipse mutuatarius paratus sit sponte concurrere in assecuratorem, & solvere aliquid ultra sortem ratione assecurationis ; quia si velit dare pignora ; aut fidejussorem gratuitum, non esset impediendus. Lopez. *de contract. lib.* 2. *cap.* 16. *Vers. hanc autem sententiam*, quam citat, & sequitur Leotard. *d. quæst.* 23. *num.* 11. *Tertium* est, quod periculum non sit fictitium, vel imaginarium tantùm, sed morale, & probabile, ac cum sufficienti evidentia. Diana *ubi supra*, & Trullench. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 11. *Et Quartum* est, quod lucrum istud sit justum, id est non excedat convenientem quantitatem habito respectu ad majus, vel minus periculum juxta arbitrium boni viri. Molina *disp.* 318. *num.* 4. Bonacina *d. disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 2. His concurrentibus, licitum erit lucrum exigere ob periculum.

Ne-

15 Neque obstabit *cap. Naviganti. De Usuris*, cujus resolutio etsi difficilis sit, ut ait Card. de Lugo *d. disp. 25. numer. 78.* & Fagnanus *ibid. n. 13.* tamen ad illud dare possunt infrascriptæ responsiones. *Prima*, quod credendum sit in eo textu omissam esse negativam *Non*, ita ut dixerit Summ. Pontifex, *Usurarius non est censendus.* Ita Fachinæus *Controvers. lib. 2. cap. 48.* & Layman. *lib. 3. tract. 4. capit. 16. numer. 13. Vers. Sed mihi magis placet*, quos allegat, sed non sequitur Leotard. *dict. quæst. 23. num. 24. Secunda*, quòd ille textus procedit in foro fori, in quo præsumitur Usura; periculum verò reputatur merus prætextus. Fagnanus *ibid. numer. 21.* secus autem in foro poli. *Tertia*, quod habeat locum tantummodò, quando lucrum est injustum, & immoderatum. *Adrian in 4. sentent. in tractat. de Usur. cap. occurrunt. Quarta*, (quæ magis propria, & germana videtur) est, procedere tantùm, quando mutuatarius ab initio cogitur, recipere mutuantem in Assecuratorem, ita ut nolit ei dare mutuum, nisi cum hoc pacto, & cum hac obligatione, quæ cum sit pretio æstimabilis, est etiam illicita, & usuraria. Ita passim DD. omnes, inter quos Lupus *de Usur. Commentar. 3. §. 1. num. decimoquinto.* Covaruv. *Var. resol. lib. 3. capit. 2. num. 5.* Molina *dict. disput. 318. num. secundo.* Petr. Navar. *de Restit. lib. 3. cap. 2. numer. 343.* Bonacina *dict. disp. 3. quæst. 3. punct. 5. numer 2. Azor. dict. lib. 5. cap. 7. quæst. 2. in fin.* Leotard. *de Usur. d. quæst. 23. num. 5.* Card de Lugo *dict. disput. 25. num. 78.* & Mastrius *d. disput. 5. numer. 68.*

Minùs obstabunt argumenta, & rationes primæ sententiæ absolutè affirmantis.

16 Non primum, quia magna differentia est inter fidejussorem, & ipsum mutuatarium; nam repugnat contractui, ut una, & eadem persona sit creditor, & fidejussor; siquidem fidejussor se tenet ex parte debitoris, & quasi una, & eadem persona censetur cum debitore. Rebellius *d. lib. 9. quæst. decima secunda numero septimo.* Sed cessat omnis amaritudo, quando mutuatarius nolit subire vicem fidejussoris ex pacto ante mutuum inito, sed post contractum mutui perfectum, ex libra voluntate mutuatarii, ut dictum est in primo requisito.

17 Non obstat secundum de locatione equi; ex eo quia locator est dominus rei locatæ, & potest augere pretium timore periculi rei suæ; & cum in illo casu minimè intret mutuum, neque usura intrare potest, secus autem est in nostro quæsito ob dominii translationem pecuniæ mutuò datæ.

18 Non obstat tertium deductum ex labore corporis ad laborem animi; nam maximum est discrimen; corporales enim labores sunt pretio æstimabiles, sed non etiam mentales; quibus mederi potest mutuator vel petendo pignora, vel fidejussores; lucrum autem pacisci ob mentis laborem ex anxietate animi dubitantis pecuniam perituram, imo auget periculum; ea ratione, quia si timeas exstare periculum in restituendis E. g. decem mutuò datis, eò majus periculum erit in restituendis duodecim; sicut si bajulo non valenti ferre decem, imponeres duodecim ferenda. Rebell. *dict. lib. nono, quæst. decima secunda, num. 6.*

Non obstat Quartum, Quia, quidquid sit de majori, vel minori valore ejusdem summæ ob periculum; cum mutuator velit mutuare, tenetur servare naturam mutui, cujus proprium est, gratis mutuare; quod si timeat periculum amissionis sortis, consulat sibi exigendo pignora, vel fidejussionem, ut benè considerant Reginaldus *d. lib. 25. num. 246.* & Rebell. *d. lib. 9. quæst. 12.* ubi negat minùs valere centum cum periculo, quàm sine periculo; & quando mutuatarius satisfacit summæ debitæ, satisfacit etiam asserto periculo.

Tandem non obstat Quintum: eò quia estò, quod ipse mutuator possit esse sibimet etiam Assecurator, id intelligendum est cum quatuor supranotatis requisitis, non autem sine illis, vel eorum aliquo, ex Doctoribus supra citatis.

DECISIO XXXVIII.

ARGUMENTUM.

Disputatur, & deciditur, quando mutuans possit nomine pœnæ exigere lucrum à mutuatario. Differentia inter forum fori, & inter forum poli. Quatuor requisita, ut pœna exigi possit in mutuo. Interusuria dotalia sunt licita. Alii casus de licita pœnæ exactione.

SUMMARIUM.

1. *Pœna pecuniaria imponi potest pro observatione contractus.*
2. *Pacta sunt servanda.*
3. *Mutuatarius morosus in restitutione peccat contra justitiam.*
4. *Pœna pecuniaria adjecta mutuo est usura palliata.*
5. *Forum fori non admittit pœnas conventionales in mutuo.*
6. *Forum poli concedit pœnas in mutuo, sed cum quatuor conditionibus. Et quæ sint?*
7. *Pœna in mutuo quando dicatur posita in fraudem legis.*
8. *Pœna à mutuatario exigi non potest ultra verum damnum mutuantis.*
9. *Sperellus Episcopus Eugubinus laudatus.*
10. *Opinio Jurisperitorum in quibus materiis prævaleat opinioni Theologorum?*
11. *Dotis non solutæ interusuria an sint licita?*
12. *Statutum de interusuriis dotalibus solvendis valet.*
13. *Pœnam non tenetur solvere mutuatarius, qui non est in culpa.*
14. *Mutuare ad hoc ut aliud debitum solvatur, non est usura.*
15. *Scandala sunt evitanda etiam in rebus licitis.*

Simili modo, quia aliqui usurarii exigunt lucrum ex mutuo sub prætextu pœnæ, quæsitum fuit. *An liceat recipere lucrum in mutuo ratione pœnæ conventæ?*

AD hoc pariter Quæsitum Tres formatæ sunt Opiniones à nostro Clero.

Prima fuit affirmativa, quia nihil resistere videtur, quin unicuique liceat rationabilem pœnam sibi imponere inconfirmationem contractus, & alteri promittere, si non adimpleverit; omne autem promissum

est debitum, saltem postquàm acceptatum fuerit. Ulteriùs nemo cogitur inire contractum, nisi de ejus adimpletione reddatur securus; hæc autem securitas insurgit per pactum pœnæ solvendæ, casu quo contrahens non adimpleverit promissa; spectat autem ad bonum commune, ut pacta serventur, & contractus adimpleantur, ut docet Rebell. *de oblig. iust. lib.* 8. *quæst.* 9. *numer.* 3. & communiter tenent omnes Theologi. Reginald. *d. lib.* 25. *num.* 228. Molina *disp.* 317. Tamburin. *de Triplici Jure d. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 3. §. 5. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 12. Bonacina *de contractib. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 7. *num.* 1. ubi aliam rationem adducit nempè, Mutuatarium existentem in mora peccare contra justitiam; & propter peccatum esse dignum aliqua pœna, Toletus *lib.* 5. *cap.* 32. Lessius *d. lib.* 2. *cap.* 20. *dubit.* 15. & Cardin. de Lugo alios cumulans *disp.* 22. *n.* 397. *& disp.* 25. *num.* 110.

Secunda fuit negativa; quia etsi licita sit pœna conventionalis appositа factis tàm affirmativis, quàm negativis, vel etiam speciei, §. *Alteri Inst. de Inutilib. stipulat.* Abb. *in cap. Dilecti num.* 15. *de Arbitr.* & Menoch. *de Arbitr. Jud. Casu.* 260. *num.* 22. tamen si adjecta sit quantitati, vel solutioni, exigi non potest, nisi quatenus concurrat cum vero interesse, alias censetur Usura palliata; & ideò prohibita tàm de Jure Civili, *l. Julianus* 14. *Idem Papinianus* ubi Gloss. *ff. de Act. Empt. l. Cum allegas.* 15. *Cod. de Usur.* quàm de Jure Canonico. *Cap. Fraternitas* 12. *quæst.* 2. *& cap. Summ.* 9. *de Pœnis.* Ursill. ad Aflict. *decis.* 135. *numer.* 8. Genuens. *in Practicabil. Eccles. quæst.* 646. *num.* 3. Cravetta *consil.* 693. *num.* 15. ubi ait, hanc sententiam esse meliorem, & sanctiorem. Roderic. *de annuis reddit. quæst.* 5. *num.* 12. Thesaur. *decis.* 79. *num.* 1. Leotard. *de Usur.* plurimos allegans *quæst.* 38. *à numer.* 13. *& seqq.* & Illustrissimus Episcopus Sperellus *decis.* 135. *per totam*, ubi hanc opinionem Juribus, rationibus, ac auctoritatibus confirmat.

Tertia opinio fuit, procedendum esse cum distinctione fori: nam vel loquimur de foro fori; & in hoc prævalere debet dicta opinio negativa; quia leges præsumunt pœnas conventionales in mutuo esse Usurarias, & ideò eas in sortem esse computandas decernunt. Jo. Monach. *in Rubr. de Usur. lib.* 6. *num.* 10. & Probus *ibi in addit. num.* 34. Card. Mantic. *de tacit. & amb. lib.* 14. *tit.* 37. *num.* 7. Leotard. *de Usur. dict. quæst.* 38. *num.* 13. Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 7. *part.* 2. *Ampl.* 8. *num.* 185. Menoch. *d. Cas.* 260. *num.* 41. & Illustrissimus Sperellus *dict. decis.* 131. *num.* 39. Zerola *in Praxi part.* 1. *Verb. Pœna. Vers. Secundo.* Rota Bononien. *decis.* 22. *numer.* 6. *& seqq. &* Rota Romana *part.* 11. *rec. decis.* 170. *num.* 1. *&* 2. Vel loquimur in foro poli; & in eo ex communi Theologorum placito locum habere potest opinio affirmativa, quatuor tamen concurrentibus requisitis. *Primum* est, quod mutuatarius culpabiliter transgrediatur pactum restituendi mutuum; nam, qui absque culpa non potest mutuum reddere, pœnam non tenetur solvere; sufficit autem culpa antecedens, ut si commessationibus, vel ludo debitor ad eum statum se reduxit, prævidens se futurum impotentem ad solvendum. *Secundum requisitum* est, quod pœna sit rationabilis, id est proportionata, & non excessiva. *Tertium* est, quod mora sit notabilis, quia si mutuatarius distulisset solutionem per biduum, vel per hebdomadam tantùm, non teneretur ad pœnam; & idem esset dicendum, si partem debiti solvisset, quia pars aliqua tantùm pœnæ intraret, & non tota, nisi mutuantis interesset, quod integrè solveretur. Et *Quartum* est, quod pœna non sit appositа in fraudem legis ad palliandam Usuram; sed ad coercendam perfidiam mutuatarii recusantis suo debito satisfacere. Ita Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. *Vers. Quintò quæritur.* Lessius *dict. lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 130. Rebell. *d. lib.* 8. *quæst.* 9. *num.* 4. *&* 5. Molin. *d. disput.* 317. Tamburin. *de Tripl. Jur. d. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 3. §. 5. Leotard. *d. quæst.* 38. *num.* 19. & Card. de Lugo *d. disput.* 22. *num.* 398. 99. *& disput.* 25. *num.* 110. *&* 111. ubi declarat, tunc pœnam censeri appositam in fraudem legis, & ad palliandam Usuram, quando mutuum datur propter pœnam lucrandam, & mutuans utitur illo prætextu, ut habeat lucrum, quod apertè, & directè scit, non posse exigi ratione mutui.

Hanc tertiam opinionem, cujus Author est Scaccia *de Commerc. & Camb. §.* 1. *quæst.* 7. *part.* 2. *Ampl.* 8. *num.* 184. *&* 185. amplexa esset Curia Episcopalis (nam in foro poli dicta quatuor requisita videntur sufficere ad cohonestandam exactionem pœnæ in mutuo juxta placitum Theologorum, & ad excludendam præsumptionem Usurarum, quamvis contrarium censeatur in foro fori, in quo non datur actio ad pœnam exigendam, nisi quatenus interfit, solutionem non fuisse factam in tempore, ut dictum fuit) Verùm quia idem Illustrissimus Sperellus *d. decis.* 131. *sub. num.* 42. cum consimile quæsitum fuisset disputatum à Curatis suæ Eugubinæ diœcesis, & pro majori parte votassent juxta doctrinam Theologorum, id est pro opinione affirmativa, nihilominùs ipse eosdem admonuit: ne permitterent, dictas pœnas exigi ultra verum interesse; quia vix fieri potest, ut Usuraria pravitas non obrepat in mutuante, à quo lucrum pœnæ nomine prætendatur contra mutuatarium, qui statim in termino statuto mutuum non restituit: idcircò tanti Præsulis pietate, & doctrina eximii exemplum non esse parvipendendum Curia Episcopalis Patavina resolvit; & omninò negativam opinionem tenendam respondet, videlicet: *Non esse licitum recipere lucrum in mutuo ratione pœnæ conventæ; nisi quatenus de interesse mutuantis vero, & legitimo agatur*, ut est communis Jurisperitorum, & Canonistarum sententia; quos potiùs sequi oportet, quàm Theologos in materiis Matrimoniorum, Decimarum, & Usurarum; licèt enim hæ proveniant à Jure divino; hujus tamen Juris interpretatio spectat ad Canonistas in dubiis concernentibus moralem Philosophiam; ad Theologos autem ubi agitur de controversiis fidei adversus hæreticos, & infideles, ut ex Ancharani disputatione notat Anan. *in cap.* 6. *num.* 14. *& seqq. de Usur.* Alex. *consil.* 1. *lib.* 2. *&* ibi Nat. *in addit.* Præpositus *in capit.* 2. *num.* 3. *dist.* 10. Card. Parisius *consil.* 67. *num.* 31. *& seqq. vol.* 4. Bannes *in* 2. 2. *quæst.* 57. & aliis allegatis probat Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 1. *numer.* 19. & Illustris-

strissimus Sperell. *decis.* 119. *à num.* 72. usque in finem. Et ita etiam novissimè advertit Emin. Card. de Luca *de Usuris disc.* 1. Item *de Matrim. disc.* 3. Et etiam *in Annot. ad Concil. Trid. disc.* 25. *num.* 24.

Porrò quia fuit ulteriùs dubitatum, *An ratione Dotis liceat recipere lucrum? videlicet; An, ob dilationem in solvenda dote, possit maritus exigere Inter Usuria?*

Ad hoc Quæsitum ferè omnes respondent affirmativè, dummodò ea non sint excessiva, 11 sed vero interesse correspondeant; ea ratione, quia dantur pro sustinendis oneribus Matrimonii juxta *text. in cap. Salubriter, & ibi DD. de Usuris*, ut docent Covaruvias *lib.* 3. *Var. capit.* 1. *numer* 3. Facchin. *controvers. Jur. lib.* 2. *cap.* 32. *Vers. ad Quartum.* Menoch. *de Præsump. lib.* 9. *num.* 4. Surdus *de Aliment. tit* 2. *quæst.* 35. *num.* 4. Fontanella *de Pactis Nupt. claus.* 6. *gloss.* 1. *part.* 3. *num.* 9. novissimè Anton. Conciol. *allegat.* 27. *à num.* 25. *& seqq.* Zerola *part.* 1. *Verb. Dos.* Beja *in Resp. cas. consc. Casu* 56. Leotard. *de Usur.* 12 *quæst* 28. & ex Theologis Molina *disp.* 321. *num.* 9. *&* 10. ubi subdit licitum esse statutum disponens, Cardin. Toletus *lib.* 5. *cap.* 30. *in fin.* Bonacina alios DD. cumulans *tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 9. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 141. & Card. de Lugo *disput.* 25. *à num.* 151. *usque ad num.* 175.

Hinc pro exclusione pœnæ fuit decisum in sequenti casu: Videlicèt *Carolus Mense Octobri recipit mutuò frumenti staria centum cum obligatione illa reddendi mense Augusto subsequenti; & promissione, si deficiat, solvendi ulteriùs alia staria decem. Mense Majo flumina inundant agros, & destruunt sata Caroli. Quæritur, An mutuans possit exigere staria decem, ultra centum, frumenti à Carolo, cum de mense Augusto non solverit?*

Concors fuit Responsio Negativa. Et ra- 13 tio est, quia Carolus non est in culpa; & ad incurrendam pœnam promissam, casu quo mutuans in termino præfixo mutuum non restituat, requiritur mutuatarii culpa, quæ cessat in Carolo, cujus sata destructa fuerunt per inundationem agrorum, ad tradita supra *num.* 6. in tertia opinione, & primo requisito. Et tantò minùs exigi possunt dicta staria decem frumenti, ultra centum, à mutuante, attenta doctrina Jurisperitorum, & Canonistarum, quam sequi volumus, docentium illicitam semper esse pœnam adjectam quantitati, & appositam in contractu mutui, nisi quatenus creditoris interfit, ut firmavit illustrissimus Sperellus *dict. decis.* 131, ubi plurimos DD. cumulat, jura, & rationes.

Sed quid dicendum ad hunc practicabilem Casum. *Dominicus debet mihi libras centum ex livello, quas difficulter solitus est solvere. Petit à me mutuo viginti libras, spondens has, & illas promptè reddere post mensem. Quæritur, An sit Usura tali spe, & animo mutuare?*

Responsum fuit non esse Usuram. Ratio est, 14 quia illa centum debebantur ex justitia extra mutuum; & ea non exiguntur vi mutui. Tamburin *de Triplici Jure lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 3. §. 8. *num.* 2. Neque imponitur obligatio, quam antea mutuatarius non haberet, & mutuator nihil accipit, quod sibi anteà non deberetur. 15 Bonacina *d. tom.* 2. *disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. *numer.* 15. Azor. *part.* 3. *libr.* 5. *cap.* 7. *Vers. Decimo quinto.* Rebell. *lib.* 8. *quæst.* 4. *numer.* 6. ubi tamen admonet, cavendum esse à scandalo; Reginald. *d. lib.* 25. *num.* 191. *&* 192. Trullench. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 2. *num.* 1. *& dub.* 6. *num.* 7. & Card. Toletus *d. lib.* 5. *cap.* 28. *num.* 1. *& cap.* 34. *num.* 3.

DECISIO XXXIX.

ARGUMENTUM.

Undecim motiva notatu digna describuntur, quibus Parochi in die festo celebrare debeant in propria Parochiali.

SUMMARIUM.

1. *Parochi obligatio diebus festis ex Trident. Concilio.*
2. *Sacramenta diebus festis à Parochis ministranda.*
3. *Matrimoniales denunciationes.*
4. *Parochis Diœcesis Paduæ prohibitum est celebrare extra suam Parochialem diebus festivis.*
5. *Missam perdunt multi in die festo, Parochis alibi celebrantibus.*
6. *Detrimenta Parochialis Ecclesiæ, si in ea Parochus non celebret.*
7. *S. Ambrosii tres observationes ab Ecclesiasticis imitandæ.*

CUm fuissent requisitæ rationes, quibus non licet Parocho diebus festivis celebrare Missam extra suam Ecclesiam Parochialem?

Relatæ fuerunt sequentes. *Prima*, quia Parochus tenetur *plebes sibi commissas diebus saltem dominicis, & festis solemnibus pascere salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cùm brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Concil. Trident. *sess.* 5. *de ref. cap.* 2. 1 *Secunda*, quia iisdem festis diebus tenetur Parochus Sacramenta administrare, & easdem plebes doctrinam Christianam erudire *ex eod.* Concil. Trident. *sess.* 24. *de ref. cap.* 7. 2 *Tertia*, quia denunciationes Matrimoniorum tenetur facere. Concil. Trident. *sess.* 24 *de ref. Matrim. cap.* 1. 3 *Quarta*, quia omnia supradicta munia præcipiuntur in Synodalibus Constitutionibus Patavinis *part.* 1. *cap.* 7. *part.* 2. *cap.* 10. 11. *&* 18. 4 *Quinta*, quia extat expressa prohibitio in Decretis Eminentissimi nostri Præsulis, publicatis in Congregatione generali Vicariorum *die* 30. *Augusti* 1682. ubi *num.* 2. habetur, *Non audeant Parochi diebus festis, sub quocunque prætextu, ad alias Ecclesias celebratum ire &c.* 5 *Sexta*, quia licèt populus prænonitus fuerit, Parochum celebraturum in tali, vel tali vicina Villa, plurimi ex plebe senes, pueri, valetudinarii Missam non audiunt, quia ad aliam Villam accedere non possunt. *Septima*, nam etsi Parochus de alio Sacerdote, qui Missam celebret, provideat; nihilominùs plebs non audit vocem Pastoris, & Pastor non cognoscit oves suas, contra Evangelicum præceptum. *Joan.* 10. Barbos. *de Offic. Paroch. cap.* 14. *num.* 9. 6 *Octava*, quia diminuitur divinus cultus, plebs divagatur, sodalitates spirituales privantur eleemosynis, & propriæ Ecclesiæ non præstantur debita obsequia. *Nona*, quia scandala exoriuntur, & detractiones contra Parochum, tanquàm gulæ deditum, vel in suo officio desidem. *Decima*, quia sæpè accidunt in populo re-

repentinæ infirmitates, & absens Parochus non valet præstò esse ad Sacramenta administranda. 7
Undecima, quia S. Ambrosius à tribus semper abstinuit, videlicèt, à pertractandis Matrimoniis, à suadenda militia armata, & ab accessu ad alienas domos causa edendi. Cardin. Baron. *Ad Annum* 375. *num.* 24. *in fin.* Quæ tria cuicumque Ecclesiastico deberent esse cordi, & præcipuè tertium; nam experientia teste, Parochi extra suas ædes convivantes laicis tùm adstantibus, tùm absentibus sæpe sæpius reprehensibiles se prebent.

DECISIO XL.

ARGUMENTUM.

Solvuntur quæstiones duæ. Una, quod non sit Usura mutuare ad acquirendam benevolentiam mutuatarii. Altera quod sit Usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius remutuet mutuanti.

SUMMARIUM.

1. *Benevolentiæ, & amicitiæ acquisitio non causat Usuram.*
2. *Pactum exigendi aliquid titulo gratitudinis est illicitum.*
3. *Propositio damnata, exigere aliquid ultra sortem tanquàm debitum ex gratitudine.*
4. *Mutuare cum pacto, ut sibi remutuetur, non videtur Usura.*
5. *Benefacienti est benefaciendum.*
6. *Usura est peccatum contra justitiam.*
7. *Obligatio posita in mutuo præter, vel supra ejus naturam est Usuraria.*
8. *Injustitia ubi non est, ibi non est Usura.*
9. *Restitutio ubi non est de jure injuncta, ibi Usura non est.*
10. *Obligatio imposita mutuatario causat Usuram.*
11. *Pactum in mutuo de remutuando est Usurarium.*
12. *Usura est obligare mutuatarium, ut veniat ad molendinum, vel apothecam mutuantis.*
13. *Pactum antecedens mutuo de mutuando, & remutuando an sit licitum? Quod non* num. 16.
14. *Obligatio antidoralis deducta in pactum à mutuante an sit Usuraria?*
15. *Obligatio remutuandi ut pretium est usura; ut conditio est licita.*

An sit Usura mutuare ad acquirendam benevolentiam Mutuatarii; non est difficilis Quæstio, quapropter.

AD hoc Quæsitum omnes dixere, non esse Usuram; si quidem benevolentia, & amicitia mutuatarii non est pecunia æstimabilis; 1
videlicèt, non ex eo, quod non sit pretiosior, quàm pecunia, sed quod suaptè natura, nec vendatur, nec ematur, consistatque in voluntate, quæ non cogitur; & non egreditur limites naturalis gratitudinis, ut docet. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. Covarruv. *lib.* 3. *Var. cap.* 1. *num.* 2. *in fin.* Sotus *de Just. & Jur. lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 2. Reginald. *lib.* 25. *num.* 189. Rebell. *lib.* 8. *quæst.* 3. *num.* 1. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 39. & 40. & *num.* 51. & 52. Trullench. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 5. *num.* 3. Tambur. *de Triplici Jur. lib.* 19. *tract.* 1. *cap.* 3. §. 1. *cap.* 4. §. 1. Card. de Lugo *disp.* 25. *n.* 2
59. Porrò Curia Episcopalis hic præcavendum dixit, ne aliquid deducatur in pactum, vel exigatur ultra sortem tanquàm ex benevolentia, vel gratitudine debitum, quia hæc relinquenda est in sua libertate, & mera liberalitate; aliàs daretur incursus in illam propositionem 42. ex damnatis *à Sanctissimo Domino Nostro PAPA INNOCENTIO XI.* uti scandalosam, videlicèt 3
Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum; sed solùm si exigatur ex justitia debitum.

Sed magis difficilis est resolutio sequentis interrogationis, videlicet; *An sit Usura mutuare cum pacto, ut Mutuatarius mutuet mutuanti?*

AD hoc Quæsitum negarunt alii; alii affirmarunt, & alii usi sunt distinctione.
Non esse Usuram alii dixerunt. 1. Quia mutuare cum pacto, ut mutuatarius adimpleat, quod tenetur ex charitate, non videtur esse Usura. Molina *disp.* 309. *num.* 2. Tambur. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 5. §. 2. *num.* 9. & post alios plures Caramuel. *lib.* 2. *Theol. Moral. num.* 736. Sed mutuatarius ex charitate tenetur mutuanti; quia benefacienti est benefaciendum. *Arist.* 5. *Ethic.* quem refert S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. Ergo. 2. Quia ibi non est Usura, ubi non est injustitia; quandoquidem Usura nihil est aliud, quam peccatum injustitiæ, per quod unus ex contrahentibus magis gravatur, quàm alius. Cardin. de Lugo 6
d. disp. 25. *num.* 55. Sed in nostro quæsito mutuatarius non magis gravatur, quàm mutuator, nihil enim aliud paciscitur, nisi ut faciat mutuanti, quod ab eo sibi factum fuit, id est, ut remutuet. Ergo in hoc pacto nulla est injustitia, & per consequens nulla Usura. 3. Ad 7
incurrendam labem fœneratitiam opus est, ut imponatur mutuatario aliquod onus; vel obligatio, quæ sit præter, vel supra naturam mutui. Molina *disput.* 303. *num.* 8. Leotard. *de Usur. quæst.* 1. *numer.* 5. Nam id, quod ex natura rei inest, potest in pactum deduci. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 7. *in princip.* Sed in nostro quæsito non videtur imponi onus, vel obligatio præter, vel supra naturam mutui, quia ex gratitudine ob receptum mutuum tenetur mutuatarius remutuare; & nihil aliud ab eo mutuans paciscitur, nisi id, quod sibi ex gratitudine debetur. Ergo, 4. Pro re, quæ mutuò datur, licet accipere tantumdem, & ad id mutuatarium obligare. Molina *disp.* 308. *num.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 60. Ergo pro beneficio dandi mutuum, non erit Usura obligare Mutuatarium ad simile, & æquale beneficium reddendum. 5. Illud pactum non est Usurarium, per quod novum incommodum, periculum, aut damnum mutuatario non infertur. Salas & Bannes, quos refert Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *sub num.* 49. Sed horum nullum affert mutuatario pactum quæsiti nostri, & est simile de eo; qui ex Voto tenetur aliquid facere; cui si injungatur obligatio illud ipsum faciendi, nullum novum incommodum, vel periculum, vel damnum additur. Ergo. 6. Si pactum remutuandi esset Usurarium, 8
ex eo insurgeret etiam obligatio restituendi; quia, ut dictum est, Usura non committitur sine injustitia; & ubi est injustitia realis, ibi intrat obligatio restitutionis. Cardin. de Lugo

disput.

d. disput. 25. num. 50. Sed in casu nostri quæsiti mutuans nihil teneretur restituere mutuatario præter mutuum, quod sibi daret. Lessius
9 *d. lib. 2. cap. 20. num. 50.* Ergo non est Usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius mutuet mutuanti juxta diversorum Theologorum doctrinam, quos allegat Molina *d. disput. 308. num. 3.* Lessius *d. lib. 2. cap. 20. num. 59.* & Cardinal. de Lugo *d. disput. 25. num. 46.* & quos sequitur Trullench. *in Decal. lib. 7. cap. 19. dub. 6.* Rodriquez, & Malderus apud Dianam *part. 1. tract. 8. resol. 59.* Quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 52.*

10 Esse Usuram alii affirmarunt. 1. Quia per tale pactum imponitur civilis obligatio ipsi mutuatario, quæ est onus grave. At omne onus impositum causa mutui facit Usuram. S. Thom. *2. 2. quæst. 78. art. 2.* & ibi Cajetan. Petr. Navar. *lib. 3. de restit. cap. 2. num. 239.* Ergo. 2. Usuraria est omnis obligatio pretio æstimabilis. Covaruv. *libr. 3. Var. capit. 2. numer. 5.* Sylvest. *Verb. Usura 1. quæst. 2.* Lessius *d. libr. 2. capit. 20. num. 58.* Sed quando aliquis in mutuo ex vi pacti, seu contractus intendit aliquid pretio æstimabile, committit Usuram. Ergo. 3. Omnis obligatio, quæ tollit libertatem, inducit Usuram. Rebellius *d. lib. 8. quæst. 4. num. 2.* Sed pactum, de quo in quæsito, tollit libertatem mutuatarii. Ergo inducit Usuram. Sotus *lib. 6. de Justitia, & Jure quæst. 1. art. 2. in princip.* Navarrus *in Man. cap. 17. num. 220. 4.* Quidquid recipitur ultra sortem facit contractum usurarium. Sed in nostro quæsito Mutuans reciperet ultra sortem, eò quia ultra naturalem, & antidoralem obligationem, qua mutuatarius tenetur ei remutuare, exigit obligationem civilem, & ex Justitia; quæ multò major est simplici gratitudine, nam obligat ad culpam, & vinculum ponit in
11 foro fori ad remutuandum. Ergo talis obligatio est Usuraria; & ita communiter tenent omnes Theologi, ut videre est apud Molin. *d. disput. 308.* Rebell. *dict. lib. 8. quæst. 4.* Reginald. *lib. 25. num. 196.* Bonacin. *de contractib. tom. 2. disput. 3. quæst. 3. punct. 3. num. 6.* Tamburin. *in Decal. lib. 8. tract. 3. cap. 5. §. 2. num. 8.* Nicolium in Floscul. *Verb. Usura. num. 3.* & in Lucubrat. Civil. *lib. 3. tit. 15. num. 12.* Salam *de Usuris dub. 9.* & Cardinal. de Lugo *d. disput. 25. à num. 47. & seqq.* qui omnes ostendunt, usurarium quoque esse, mutuare cùm pacto, ut quis veniat ad mo-
12 lendinum, vel ad apothecam, vel ad scholam mutuantis; eò quia per tale pactum inducitur civilis obligatio, & tollitur libertas, quarum utraque est pretio æstimabilis.

Alii usi sunt distinctione ista: Vel pactum
13 concernit mutuum reciprocum ab utraque parte statim faciendum; Vel in posterum per Mutuarium Mutuanti dandum. Primo casu non est usura; quia æqualitas servatur inter utrumque contrahentem. Secundo casu erit Usura, nam mutuatarius remanet cum hac obligatione, & perdit libertatem disponendi de re sua. Ita ex Reginald. *lib. 25. num. 198.* Petr. Navar. *de restit. lib. 3. cap. 2. num. 242.* Lessius *lib. 2. cap. 20. num. 53.* Layman. *lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 16. num. 3.* & Diana *dict. part. 1. tract. 8. resol. 60.* quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 53.* Porrò hæc distinctio non placet Molinæ *disput. 310. in princip.* neque aliis plurimis allegatis per Cardinal. de Lugo *dict. disputat. 25. num. 52.*

Alii igitur distinxerunt hoc modo: Vel Mutuans deducit in pactum solam naturalem obligationem, seu ἀντιδωρεν, ita ut animus sit accipiendi mutuum à mutuatario tanquam libe- 14
rale donum in compensationem præstiti beneficii; Vel intendit obligare Mutuatarium, aut obligatione civili, aut saltem aliquo fortiori vinculo per pactum illud speciale remutuandi. Primo casu non erit usura; erit autem in secundo casu, quia omne pactum affert obligationem justitiæ, & repugnat gratuitæ, ac liberali remunerationi. S. Thom. *2. 2. quæst. 78. art. 2. ad secundum.* Gloss. *in Clem. 1. Verb. Onera. De Usuris.* Abb. *in Cap. Consuluit. in fin. eod.* Rebell. *lib. 8. quæst. 4.* Layman. *dict. cap. 16. num. 4. & Trullench. in Decal. d. lib. 7. cap. 19. dub. 6. num. 2. & 3.* Cæterùm & hanc distinctionem reprobat Pignatell. *tom. 4. Consult. 75. num. 33.* quia non licet obligare neque ex sola graditudine; demitur enim libertas, quæ est pretio æstimabilis. Gloss. *in cap. Si fœneraveris. 14. quæst. 3.* Abb. *in cap. Consuluit. in fin. de Usur.* Et eò minùs attenta damnatione *Propositionis 42 de Usura,* facta per Sanctissimum Dominum Nostrum PAPAM INNOCENTIUM XI. de quo supra.

Tertia itaque fuit distinctio; quod vel remutuatio petitur ut pretium primi mutui; vel 15
ut conditio, sine qua mutuans non vult mutuare. Exempli gratia, tu petis à me frumentum mutuò, & ego dico tibi, libenter mutuabo, si & tu mutuas mihi vinum. Si ut pretium; est usura. Si ut conditio; non erit usura. Molin. *disputat. 308. §. dubium est.* Layman. *dict. cap. 16. num. 3. Vers. Pro concordia utriusque sententiæ.* Cardinal. de Lugo *dict. disput. 25. num. 52.* ubi ait: *Aliud enim est petere mutuum pro pretio, aliud verò ut Conditionem: petere pro pretio facit Usuram, cum petatur supra pretium æquivalens, ut dictum est: ut conditio autem, non facit usuram, quia sicut potes nolle mutuum dare ei, quem ingratum, & indignum expertus es; & qui noluit tibi petenti mutuare, cum tu ei priùs mutuasses: ita potes nolle mutuare ei, quem scis posteà ingratum futurum, & non mutuaturum, quando indigebis. Si ergo scis, nec modò tibi velle mutuare vinum, quo indiges, poteris ingrato nolle mutuare frumentum, quod petit; quo casu mutuum vini non est pretium, sed experimentum ad videndum, an in ingratum beneficus sis.*

Hæc Tertia distinctio magis placuit Curiæ Episcopali, quam latiùs comprobat idem Cardinal. de Lugo *dict. disputat. 25. à num. 53. & seqq.* Verùm quia, ut ipse subdit ibidem, *Periculosa quidem est talis conventio, ne usurarium gravamen sub* 16
ea pallietur; ideò iis, qui affirmarunt, in nostro quæsito pactum esse Usurarium, tutiùs est adhærere, & in praxi eorum sententia est tenenda, ac consulenda; non obstantibus argumentis contrariæ opinionis, quæ omnia resolvuntur ex eo, quod paciscì de remutuo cùm mutuatario est quid pretio æstimabile, cum auferat ejus libertatem, & inducit aliquod onus, & incommodum, quod non inest rei, imo excedit naturam mutui, & transcendit naturalem, antidoralemvè mutuatarii obligationem; ut benè considerat etiam Salàs *de Usur. dub. 10.*

DECISIO XLI.

ARGUMENTUM.

Declaratur quid, & quotuplex sit Mons Pietatis. Quæ leges sint in eo obſervandæ, & quantum poſſit exigere pro pecunia mutuò data pauperibus. Notantur abuſus aliqui, qui irrepſerunt in Montibus Pietatis.

SUMMARIUM.

1. *Mons Pietatis quid ſit?*
2. *Montes Pietatis vocare illicitos temerarium foret.*
3. *Montium Pietatis, & aliorum pro pecuniis publicis diviſio.*
4. *Leges pro regimine Montis Pietatis quæ, & quot ſint?*
5. *Montis Pietatis miniſtri quidquid exigunt præter neceſſarias expenſas, etſi exiguum, Uſuram committunt.*
6. *Bagatini unius ſolutio pro omni libra ſuper pignoribus Montis Pietatis an ſit licita ad favorem lazaretti, & hoſpitalis domus Dei?*
7. *Quantitas pecuniæ exigenda ſuper pignoribus S. Montis.*
8. *Quinque pro centenario annuatim exigit Mons Pietatis Patavinus.*
9. *Reſtitutio facienda ſolventibus unum bagatinum pro libra.*
10. *Uſura non eſt licita neque pro pio opere faciendo.*
11. *Mons Pietatis Paduæ quo tempore fuerit erectus?*
12. *Capitalis pecuniarii S. Montis Paduæ ſumma.*
13. *Miniſtrorum Montis Pietatis obligationes pro conſcientia.*
14. *Abuſus circa miniſterium Montis Pietatis.*
15. *Bagatinus quid ſit? Ejus impoſita taxa in pignoribus S. Montis illicita.*

QUia periculum eſt, ut committatur Uſura in pecunia mutuata pauperibus à Montibus Pietatis; ideò hic examinandum venit, *An Montes Pietatis licitè, & absque uſura exigant lucrum pro mutuata pecunia?*

In reſponſione ad hoc Quæſitum quinque notabilia explicata fuerunt. 1. Quid ſit Mons Pietatis? 2. Quotuplex? 3. Quibus legibus ſit erigendus, & gubernandus? 4. Quando inceperit Mons Pietatis Patavinus, & quot ejus divitiæ? 5. Quæ ſint peccata præcavenda à miniſtris Montium Pietatis?

1 Quo ad Primum. Dictum fuit, Montem Pietatis eſſe pecuniam prædeſtinatam à teſtatoribus, vel ab aliis Chriſti fidelibus, ad hunc finem, ut promptu ſit ad mutuandum indigentibus, & occurrendum uſuris, quas fœneratoribus, & præcipuè Judæis cogebantur ſolvere. Cardinal. de Lugo *dict. diſput. 25. num. 187.* Molina *diſput. 325.* Nicolius *Lucubrat. Civil. dict. lib. 3. tit. 15. num. 13.* Bonacina *de contract. d. diſp. 3. quæſt. 3. punct. 12.* Tamburin. *de Tripl. Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 9.* Lupus *de Uſur. in cap. Naviganti, eod. Comment. 3. §. 3.* & Zacchar. Paſqualigus *deciſ. 182.* ubi unà cùm ſupracitatis DD. notat, olim magnam fuiſſe concertationem circa honeſtatem Montis Pietatis, quem plures Theologi Uſurarium fore, ac illicitum ſcripſere, inter quos Cajetan. *tom. 2. Opuſcul. 6.* & Sotus *lib. 6. de Juſt. & Jure quæſt. 1. art. 1.* donec Concilium Lateranenſe ſub Leone Papa X. *anno 1515. in Seſs. 10.* definivit, Montes Pietatis non reprehenſibiles, non Uſurarios; ſed pios, religioſos, ac laudabiles eſſe, juxta tot, & tanta Theologorum, & Canoniſtarum Conſilia, & præcipuè floridiſſimi hujus Collegii Patavini, & aliorum Lectorum hujus Publici Studii, quæ leguntur in Libro legum Sancti Montis Pietatis Paduæ, per Dominum Petrum Saviolum in lucem edito *anno 1647. part. 1. in princip.* Adeo ut, nunc temerarium eſſet, Montes Pietatis impugnare, ſtante ſupradicta Conciliari definitione, cum pœna excommunicationis lata in eos, qui contrarium docerent; & attento Decreto Concilii Tridentini *de reform. Seſs. 22. cap. 8.* in quo inter alia opera pia numerantur Montes Pietatis, quæ omnia repetit, & confirmat doctiſſimus Pignatellus *tom. 4. conſult. 155.* plurimos alios DD. cumulans. 2

Quo ad Secundum; Montes Pietatis ſunt in multiplici differentia: nam alii ſunt, in quibus pecunia mutuatur gratis.

Alii, qui exigunt à mutuatariis aliquid exiguum ultra ſortem pro alimentis, & ſtipendiis miniſtrorum. 3

Alii, quorum cum non ſit pecunia ſufficiens ad mutuandum, eam recipiunt mutuo à privatis perſonis, iisdemque ſolvunt ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis quinque pro centenario, & tantumdem exigunt ab illis, qui pignora faciunt, ultra aliam ſummam pro expenſis miniſtrorum, & cuſtodia pignorum.

Alii ſunt Montes, qui à Principibus conſtituuntur, & fundantur in vectigalibus, vel aliis rebus immobilibus fructiferis; erigendo tot loca montium, ſic vocata, quot centena Ducatorum offeruntur, pro quorum ſingulis centenis Princeps ſolvit quatuor, vel quinque, & horum locorum alia ſunt redimibilia, alia perpetua, alia ad vitam deponentis, de quibus omnibus tractant *DD. ſupracitati,* & cæteris abundantiùs Paſqualigus *à deciſ 182. usque ad deciſ. 205.* Salas *de Uſur. dub. 33.* at breviùs, ſed doctiùs Cardinal. de Lugo *dict. diſput. 25. à num. 197. & ſeqq.* & ante ipſum Filliuc. *tract. 34. part. 2. cap. 9. num. 184.* Cardinal. Toletus *in ſumm. lib. 5. cap. 39.* Et noviſſimè Honoratus Leotardus *de Uſur. quæſt. 22. à num. 28. usque in finem.*

Quo ad Tertium. Leges, quibus erigi, & gubernari debet Mons Pietatis ad tria capita reducuntur. *Unum,* ut mutuetur pecunia Montis non divitibus, ſed pauperibus. *Alterum,* ut pignus recipiatur à mutuatariis, cuſtodiendum per miniſtros Montis; & vendendum, ſi debito tempore pecunia mutuata non reſtituetur, ut expretio recuperetur debitum, & reſiduum domino pignoris tradatur. *Tertium,* ut pro alimentis, & ſtipendiis miniſtrorum, ac aliis expenſis neceſſariis pro cuſtodia pignorum, & rationibus ſcribendis, aliquid exiguum exigatur à mutuatariis, ita tamen quod nihil accipiatur præter dictas neceſſarias expenſas, etiamſi ſuperfluum à miniſtris Montium eſſet expendendum in alium finem pium, vel ad eleemoſynas dandas; nam quidquid exigitur per miniſtros Montis, ultra expenſas præcisè neceſſarias, eſt Uſura manifeſta, ut advertit Molina *dict. diſp. 325. ſub n. 3. Verſ. Illud denique.* Rebell. *de obl. Juſt. lib 8. qu. 13. ſub n. 3. Verſ. probatur deinde.* Leſſius *l. 2. c. 20. n. 193. in fine.* Reginald. *dict. lib. 25. n. 208.* quod, aliis citatis, proſequitur Leotardus *dict. q. 22. n. 34.* Quo circa in puncto conſcientiæ non cenſetur laudabilis exactio unius bagatini, ſi fortè fieri contingat nomine Lazaretti; & eo minùs alia bagatini impoſitio ad favorem alicujus loci pii, ſeu hoſpitalis, 4 5 6

in

in aliquam gravem necessitatem constituti; quamvis pium sit adjuvare inopiam dictorum hospitalium, quod advertere debent Confessarii; quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona, ut in hac materia dicit Salas *de Usur. dict. dub.* 33. *num.* 10. & Eminent. Cardin. de Lugo *dict. dispur.* 25. *numer.* 192. nihil enim præter necessarias expensas Montis exigendum esse statuit Sacrum Concilium Lateranense *sub Leone X. dict. sess.* 10. cujus hæc sunt Verba: *In quibus (Montibus) pro eorum impensis & indemnitate aliquid moderatum ad solos ministrorum impensas, & aliarum rerum ad illarum conservationem (ut præfertur) pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat ultra sortem absque lucro eorumdem Montium recipitur,* Ponderetur *ly solas: & ly dumtaxat.*

7 Quanta autem esse debeat summa exigenda per Montem à mutuatariis ultra sortem; considerandæ sunt expensæ necessariæ. Si decreta Sacræ Congregationis esset attendenda, pluries ab ea responsum fuit, non esse exigenda, nisi trina pro quolibet centenario, vel ad summum quaterna: si autem bina, vel singula tantùm sufficerent, nihil amplius exigatur. Nicolius *in Lucuprat. Civil. d. lib.* 3. *tit.* 15. *sub num.* 13. & Jacob Pignatell. *tom.* 4. *Consult.* 151. *num.* 4. In hisce nostris Montibus Patavinis exiguntur quinque pro centenario, ut constat ex eo, quod datur unus bagatinus singulis mensibus
8 pro unaquaque libra; undè, E. g. qui recepit à Monte libras centum, solvit menstruales bagatinos centum, qui post annum, sunt bagatini mille ducenti, conficientes solidos centum, idest libras quinque. Utrùm autem hæc exactio sit excessiva, dubitari posset; attentis multis pecuniis, quæ supersunt singulis annis ex mercedibus ministrorum Montis, & dantur à Civitate pro eleemosynis, ut est notorium. In
9 libro legum S. Montis *part.* 2. *pagin.* 5. scriptum est: *Et se veramente di questo bagatin s' attrovasse esser coglieslo più di quello pigliasse dette spese, subito far, si debba una crida, che di tal avanzo ognuno, che havesse pagà, trà il termine de giorni quindeci deba venir à dimandar la sua rata, la quale liberamente le sarà data.* Videretur itaque dicendum, sanctius esse minores eleemosynas facere, & minorem contributionem à mutuatariis per Montem exigere. Cæterum ex doctrina Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 195. talis taxatio non videtur reprehendenda, quia cum ab initio bona, & sincera fide facta fuerit, & reputata justa; non est, ut quotidie mutetur, diminuendo, vel augendo; nimiam enim confusionem pareret: at optimum erit, ut quibus jus est excrescen-
10 tes Montis, & mercedum pecunias in eleemosynas largiendi innotescat, & eos Confessarii commoneant, quanta maturitate, & circumspectione illas distribuere oporteat, quas de Jure non nisi pro necessariis expensis, licet exigere: adeò ut verissimum esse sciant, quod quidquid exigitur ultra necessarias expensas, est Usura, usura autem permitti non potest, neque propter bonum publicum, neque pro opere pio. *Grassus de exceptionibus Except.* 32. *num.* 102. & 103. *ubi DD. plurimi,* & Salas *dict. dub.* 33. *num.* 10.

11 Quo ad Quartum. Sacer Mons pietatis Patavinus erectus fuit *die Dominica* 26. *Junii* 1491. annuente Serenissimo Principe Nostro Venetiarum; excitante B. Bernardino Feltrensi, Ordinis Minor. S. Francisci, acerrimo hoste Judaicarum Usurarum; & flagitantibus Nobilibus Urbis, totoque populo; Præsule tunc Patavino existente Illustriss. ac Reverendiss. Petro Barotio, ut narrat Petrus Saviolus *in Legib. S. Montis Pietatis Patavini pag.* 82. & *in suo Thesauro Urbis Paduanæ typis edito anno* 1682. *pag.* 2. in quo per extensum notat, omnes oblationes pecuniarum, & aliarum rerum facta pro capitali S. Montis constituendo; quod pietate, & liberalitate Urbis nostræ adeò crevit, ut *Anno* 1680. totum S. Montis Pietatis capitale ascenderit ad 12
L. 775201. ut legitur *pag.* 81, videlicèt, *ad centum, viginti quinque millia, ac triginta duos Ducatorum; Libras duas, Solidos duodecim.* Sed ulteriùs plurimi sunt depositorum, & particularium personarum denarii in capsa publica, qui omnes mutuò dantur; undè illam lucri magnam summam ad rationem quinque pro centenario annuatim reddunt, ex qua mercedes ampliss imæ ministrorum, & eleemosynæ magnificæ deducuntur.

Quo ad Quintum. Hæc prævenda esse à 13
ministris Montium Pietatis, plures animarum Rectores (Zelo, & scientia conspicui,) ad instructionem Confessariorum, eorumdem confessiones excipientium, annotarunt. 1. Ne in pignoribus recipiendis, & pecunia egenis mutuanda tardi sint, morosi, asperi, vel difficiles. 2. Ne munera extorqueant, vel aliquod præmium ab ipsis pauperibus pro faciendis pignoribus. 3. Ne pecunias tonsas non justi ponderis, vel numeri, aut difficiles ad expendendum iisdem tradant. 4. Ne pignora in proprium usum convertant, aliisvè ad utendum præstent. 5. Ne divitibus magnam pecuniæ quantitatem mutuo dent, in præjudicium egenorum, ipsisque pauperibus explosis, aut neglectis. 6. Ne in venditione pignorum fraudes faciant; ea ficto aliorum emptorum nomine vili pretio sibi retinendo; aut omittant, ea quanti plurimi vendere; vel restituere domino, quod supereſt, detractis mercedibus. 7. Ne in distribuendis eleemosynis injustas appropriationes faciant, vel iis dent, aut donent, qui non sint egeni; scientes, se non esse dominos dictæ pecuniæ, illamque ad pauperes de Jure pertinere. 8. Ne pecunia S. Montis in alios usus expendatur; quia collecta est ad mutuandum pauperibus, & eorum pignoribus faciendis, & contra facientes lata est excommunicatio Summo Pontifici reservata per Paulum Papam Quintum *in Const.* 82. incipit, *Onerosa;* quod notavit Nicolius *Lucubr. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 13. Ex hucusque dictis notandi sunt duo magni abusus, qui irrepserunt in aliquibus Montibus Pietatis, non sine discrimine Animarum, & salutis æternæ administratorum.

Unus est, exigere aliquid etsi minimum, titulo mercedum, à pauperibus pignora facientibus apud Sanctum Montem, ultra neces-
14 sarias expensas ministrorum, etsi illud minimum applicetur alicui Hospitali, vel Pio loco; siquidem, ut vulgare est, non licet furari pro eleemosyna facienda; neque potest unum altare cooperiri, ut aliud discooperiatur, ut ait Mantua Jurisconsultus Patavinus *consil.* 18. *num.* 38. *vol.* 1. nec ita est uni favendum, ut alteri fiat injuria, vel injustitia, *cap. nuper. De donat. inter Vir. & Uxor.*

etiamsi agatur de faciendo favore piæ causæ. Idem Mantua *consil.* 133. *num.* 13. *tom.* 2. idcircò impositio unius bagatini pro omni libra ad favorem Hospitalis domus Dei solvendi à pauperibus pignora apud S. Montem facientibus est penitùs injusta; prout supra probatum est.

Alter abusus est, quod bagatinus non est moneta expendibilis, sed metaphysica, quorum duodecim formant unum solidum; ideò si pro pignore pauperes recipiunt à massario Montis exempli gratia libras septem, coguntur solvere actualiter pro Hospitali prædicto solidum unum, & sic quinque bagatinos ultra prædictam taxam; adeòut in multis milliariis librarum, exigantur tot, & tanti bagatini præter justum numerum, ut conficiant plura centenaria Ducatorum; quæ retinentur à massariis pro se ipsis, quia non reddunt rationem nisi de uno bagatino pro unaquaque libra; & ut dictum est, continuò à libris sex usque ad libras duodecim exigunt quatuor, vel quinque bagatinos ultra taxam. Si usurarium est quidquid exigitur in mutuo ultra interesse; & si iniquum existit omne id, quod à Monte Pietatis excipitur præter necessarias expensas; quomodo non erit usurarium, ac iniquum hoc lucrum tot bagatinorum; & tot ducatorum ex bagatinis; Scio plures massarios Montis Cives nobilissimos hujus Civitatis timoratos Dei noluisse retinere sibi incrementum prædictorum bagatinorum, sed eos consignasse Capserio Magnificæ Civitatis in augmentum capitalis ejusdem Montis. At qui soli lucro temporali student, absque conscientiæ formidine eos sibi retinent, sine aliquo justo titulo; cum habeant suum salarium pro massariatu; cùm discrimine tùm salutis æternæ, tùm temporalium infortuniorum, quæ ex his injustis, ac usurariis causant etiam excidium familiarum, & egestatem filiorum. Nec desunt abusus alii in tàm pii operis exercitio, corrigendi, ac eliminandi à Superioribus, si quando meminerint, ejusdem S. Montis, prout ex officio tenentur, visitationem instituere.

15

DECISIO XLII.

ARGUMENTUM.

Usuram non esse mutuare pecuniam, ut sibi reddatur farina; seu ut agricola conducat agros; firmat hæc Decisio, cùm conditionibus tamen in ea suppositis.

SUMMARIUM.

1. *Pecuniam recipere mutuò, restituendam in tanta farina, qualis contractus sit?*
2. *Voluntas contrahentium non est aliena ab eorum verbis.*
3. *Verba contrahentium attendenda.*
4. *Usura est mutuare pecuniam, ut sibi detur farina.*
5. *Emptionis & venditionis contractus quando sit?*
6. *Contractus ex substantialibus constituitur.*
7. *Mutuans pecuniam, ut sibi detur farina, non facit mutuum.*
8. *Pretium ubi non est definitum, ibi non est emptio.*
9. *Contractus innominatus quando sit?*
10. *Contrahentes debent intentionem suam clarè declarare.*
11. *Decipere qui non vult, clarè loquitur.*
12. *Mutuare centum, ut conducantur agri, an sit Usura?*
13. *Usuræ injustitia oritur ex involuntario.*
14. *Mutuatarii libertas excludit Usuram.*
15. *Reginninis Oeconomici Curiæ Episcopalis.*

PAduanus accipit mutuò centum aureos à Mercatore Veneto, cum pacto ei dandi, & solvendi tempore Messis tantam farinam pro summa dictæ pecuniæ ad pretium, quo tunc valebit. Quæritur, An intret Usura?

Circa hunc casum calami scribentium in tres sententias descenderunt, quia tres diversos contractus sunt opinati. Alii dixerunt, intrare Usuram, quia est *Mutuum*. Alii scripserunt, non intrare Usuram, nam Mutuum non est, sed *Emptio, & Venditio*. Alii censuerunt, esse contractum innominatum; *Do, ut des*, & ideò non intrare Usuram. Rationes tergeminæ sententiæ fuerunt. 1

Mutuum est (dixerunt primi) ergo intrat Usura. Antecedens probarunt, ex illis Verbis *Paduanus accipit mutuò centum aureos à Mercatore Veneto*; voluntas enim contrahentium à verbis non præsumitur aliena; & nemo præsumitur dixisse quod priùs mente non concepit. *l. Labeo §. idem Tubero. De suppell. leg. cap. ultim. de Verb. signif.* nam voluntas hominis ex verbis apparet, sicut facies in speculo, & ideò à verbis contractus non est recedendum. Bald. *lib.* 3. *cons.* 102. *numer.* 9. & præcipuè in contractibus è propria verborum significatione non est recedendum. *l. Veteribus ff. de Pactis.* Mantica *de Tacit. lib.* 2. *tit.* 5. *numer.* 12. Igitur, cum mutuò accepti sint centum aurei, contractus est Mutuum, & sic intrat Usura. Consequentia probatur ex dictis, & deductis supra *Decis.* 40. *num.* 10. videlicèt, quia pactum dandi, & solvendi tantam farinam est obligatio civilis cum magno incommodo Mutuatarii. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *artic.* 2. Molina *dict. disp.* 308. Rebell. *d. lib.* 8. *quæst.* 4. & Reginald. *dict. lib.* 25. *num.* 196. & in hac facti specie, quod sit Mutuum, & intret Usura, tenet Ugolinus *de Usuris cap.* 33. *num.* 2. & Rebell. *d. lib.* 8. *quæst.* 4. *num.* 4. 2 3 4

Emptio, & Venditio farinæ est, dixerunt alii; non autem Mutuum; idcircò non intrat Usura. Probarunt antecedentis primam partem ita. Quando aliqui conveniunt de re aliqua tradenda, & in alium transferenda pro certo pretio, emptio contracta intelligitur. *l. Naturalis. §.* 1. *de Præscript. Verb. l. Insulam ff. eod.* Mantica *de Tacitis lib.* 6. *tit.* 2. *num.* 5. Tiraquell. *de Retract. lib.* 1. *§.* 1. *gloss.* 14. *num.* 19. Leotard. *de Usur. quæst.* 43. *num.* 27. Sed hic conventio facta est de danda farina ad pretium, quo tunc valebit. Ergo intus fuit contractus emptionis, & venditionis. *l. Naturalis. §. Et siquidem de Præscript. Verb.* Secundam verò partem, quod scilicèt non sit mutuum, probarunt hoc modo. Contractus ex substantialibus constituitur. Glossa *in cap.* 2. *de Consuet. lib.* 6. Mantica *de Tacit. lib.* 8. *tit.* 3. *num.* 24. & ubi deficiunt substantialia, deficit contractus. Menoch. *consil.* 37. *numer* 18. *&* 19. Leotard. *de Usur. quæst.* 16. *numer.* 21. Sed substantiale mutui est, ut tantumdem restituatur in eodem genere *l.* 2. *ff. Si cert. petatur.* Mantica *de tacit. dict. lib.* 8. *tit.* 3. *numer* 26. *&* 29. Leotard *dict. quæst.* 5 6

7 *quæst.* 16. *num.* 21. ubi subdit, illam appellationem verbalem mutuit tanquàm inutilem non esse attendendam; Ergo, ut idem Leotardus subdit, cum mutuum non fuerit, sed emptio, & venditio, non intrat Usura; & ita sentit Rebellius se ipsum declarando in *dict. lib.* 8. *quæst.* 4. *numer.* 4. & Azor. *part.* 3. *lib.* 7. *capit.* 7. *quæst.* 2.

8 *Contractum innominatum* alii esse dixerunt; ea ratione, quia, ubi pretium non est definitum, emptio, & venditio dici non potest. *l. Si tibi polienda ff. de Præscript. Verb.* Baldus *in l. ultima num.* 8. *C. de Contraben. Empt.* Roman. Imol. Alexand. & alii, quos allegat, & sequitur Cardin. Mantica *de Tacit. lib.* 4. *tit.* 19. *num.* 22. ubi firmat magis probabiliter, quod ubi conventum est, de re danda justo pretio, seu eo pretio, quod justum declarabitur, esse contractum innominatum. Igitur hoc admisso, usura non intrat in casu proposito; quia ubi non est mutuum, ibi non est Usura, ut communiter docent omnes Doctores, & benè ait Leotard *de Usur. d. quæst.* 16. *nnmer.* 20.

10 Neutra ex his opinionibus displicet Curiæ Episcopali, & quilibet pro libito sequi potest, quam maluerit, tanquàm probabilem. Prima verò est securior. Cæterum in praxi admonendi forent contrahentes, ut intentionem suam clariùs manifestent. Quia si mutuum inire intendunt, abstinere debent ab onere dandi farinam ex pacto. Si farinam emere, & vendere respectivè volunt, dicat Venetus, accipe centum aureos pro pretio farinæ, quam

11 mihi vendes Messis tempore pretio, quo tunc valebit; qui enim non vult decipere, clarè & apertè loquitur, *Cap. Consuluit. de offic. Delegat.* At qui obscurè loquitur, præsumitur dolosè agere. Menoch. *consil.* 1134. *num.* 17. At quid dicendum erit circa sequentem casum?

12 *Agricola petit à te mutuò centum ad emendos equos. Tu paratus es dare, si ipse conduxerit agros tuos, justa pensione colendos. Quæritur, an sit Usura?*

Plurimi responderunt esse Usuram; tùm quia Agricolæ imponitur obligatio civilis, quæ est pretio æstimabilis. Sylvest. *Vera Usura* 1. *q.* 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 55. & Covaruvias *Var. res. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. tùm quia ipse Agricola amittit suam libertatem, & adstringitur ad agros tuos conducendos. Sot *d. lib.* 6. *quæst.* 1. *ar.* 2. Navar. *in Man. cap.* 17 *num* 220. Tamburin. *de Tripl. Jur. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 4. *§.* 2. Nicol. *in Lucubr. Civil. d. lib.* 3. *tit.* 15. *numer.* 12.

13 Alii censuerunt, non esse Usuram, quia tota injustitia Usuræ oritur ex involuntario. Card de Lugo *dict. disput.* 25. *sub. num.* 55. ubi docet, Usurarium esse pactum, per quod mutuatarius adstringitur contra suam voluntatem ad aliquid faciendum, vel onus subeundum occasione mutui. Sed in nostro casu agricola non est invitus, neque involuntarius in conducendis tuis agris, eisque colendis justa pensione. Ergo non est Usura. Ita sentire videntur, supposita justitia pensionis. Sylvester *d. verb. Usura* 1. *quæst.* 8. Dicastill. apud Tambur. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 5. *numer.* 12. Rebell. *dict. lib.* 8. *quæst.* 4. *num* 5. *vers. Sed quid si colonus.* Bonacina *de Contract. d. tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. *num.* 8. Busembaum. *ub.* 3. *tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 12. Layman, *lib.* 3. *sect.* 5. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 3. Idem tenuere Baldus *in l. Rogasti §. si tibi ff. Si cert. pet.* & Joan. Lupus *in cap. per vestras, de Donat inter Vir. & Uxorem.* Fagnanus *in cap. Naviganti. num.* 55. *De Usur. tom.* 6. & placet Bordono *in Decisionibus Miscellan. dec.* 345. ex hac eadem ratione, scilicèt, quia contractus conductionis agrorum in rustico Mutuatario est spotaneus.

Alii tandem distinxerunt. Vel agricola resolvit, agros conducere, & colere pressus, & arctatus ut mutuum habeat; vel mutuum petit, ut possit colere agros voluntariè conductos. Primo casu est Usura, quia ad habendum mutuum, submittit humeros jugo conductionis agrorum, & contractus conductionis est medium ad habendum mutuum. Secundo casu, non est Usura; quandoquidem principale intentum est conducere agros; quos ut benè colere possit, contrahitur mutuum, tanquàm medium necessarium ad illos colendos. Id in praxi non semel accidit in Congregationibus pro Regimine Oeconomico hujus Episcopatus, in quibus ego 15 quoque tanquàm deputatus ab Emin. Cardin. Antistite interfui; nam habito tractatu cum agricola de locanda possessione exempli gratia centum agrorum; & concordata honesta pensione pro affictu, poscit conductor mutuos denarios pro emendis bovibus, aut equis, sine quibus impossibile ei foret, agros illos colere. Congregatio, attenta necessitate, censet ex pecunia Eminentissimi Domini Cardinalis mutuum dare. Hoc Usurarium dici non potest; quia mutuum datur, non ut rusticus conducat agros, id est, ut ei imponatur hæc obligatio, quasi nullus reperiretur, qui eos agros conduceret; sed datur, stante voluntate conducendi agros, quam agricola habet, ad suffragandum ejusdem paupertati, illumque juvandi, ut valeat agros colere. Ita in puncto firmarunt etiam Sylvest. *Verb. Usura.* 1. *qu.* 8. Salas *de Usur. dub.* 9. *sub num.* 5. *pag. mihi* 134. Molina *disp.* 310. *num.* 1. & Cardinal. de Lugo *dict. disp.* 25. *num.* 51. & cum hac distinctione transit Curia Episcopalis, ut potè probabilissima, & non destructiva, sed declarativa duarum antecedentium opinionum. 14

DECISIO XLIII.

ARGUMENTUM.

Sex urgentissimis rationibus demonstratur majorem obligationem habere genitores benè educandi filios, quàm habeant Episcopi, vel Parochi.

SUMMARIUM.

1. *Patrumfamilias obligatio pro animabus sibi subditis.*
2. *Genitores jure divino naturali tenentur benè educare filios.*
3. *Struthio cur non educat partus suos?*
4. *Brutorum sollicitudo in educandis filiis.*
5. *Obligatio major parentum in benè educandis filiis, quam Episcoporum, aut Parochorum.*
6. *Decalogi quartum Præceptum cur non obliget genitores ad benè educandos filios?*
7. *Exempla Sanctorum Patrum in bona educatione filiorum.*
8. *Exempla filiorum malè educatorum.*
9. *Genitorum facilitas in benè educandis filiis.*

Quæritur, An Patres familiarum habeant eamdem obligationem reddendi Deo rationem de animabus suarum domorum, quam habent Parochi de tota Parochia, & Episcopi de tota Diœcesi: seu majorem, vel minorem?

1 Ferè omnes dixerunt, Patribus familiarum majorem incumbere obligationem, quàm Episcopis, & Parochis ob sex sequentes rationes.

Primò. Ob legem divinam naturalem, qua genitores tenentur filios benè educare & instruere. Marchant. *in Candelabr. Myst. tractat.* 8. *lect.* 10. 11. 12. 13. nam Prælati, & Curati ad eorum regimen spirituale solo Jure divino positivo adstringuntur. Mercant. *in Virga Aaron.*
2 *tractat.* 4. *lect.* 1. Quanta autem sit Vis, & efficacia legis naturæ à Deo genitoribus datæ, & in eorum præcordiis insitæ, rectè demonstrat S. Thom. *contra Gent. lib.* 3. *cap.* 122. ubi ait, duos esse partus naturæ, alios perfectos, ut aquam è fonte, ignem è petra, & his natis non assistit efficiens causa, quæ est mystica Mater, quia perfecti statim sunt, & educatione non egent: alios autem esse imperfectos, & his genitis assistentiam, nutritionem, & educationem eorum Genitores præbent, tùm ex vectigalibus, floribus, fructibus, aristis, & uvis, tùm ex brutis, quadrupedibus, & volatilibus; (struthione excepta;
3 quæ ideò *Derelinquit ova sua in terra, privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Job 39. 20.) ea ratione, quia imperfecti sunt, & debiles, & indigent genitorum auxilio; quod quidem assiduè præstant, primùm in nutritione, deinde in suæ inclinationis exercitio; videlicèt accipitres ad prædam, delphini ad natandum, leænæ ad rapiendum, gallinæ ad ruspandum, aquilæ ad volandum, juxta illud: *Sicut Aquila provocat ad volandum pullos suos.* Deute-
4 ron. 32. 11. Quæ omnia si ex lege naturæ fiunt à brutis erga filios suos, à quibus nullam sperant remunerationem; quantò magis ab hominibus ratione præditis fieri debent, quorum filii indigentiores sunt brutis ipsis, hæc enim nascuntur vestita, & armata, pueruli verò nudi, & inermes; & hi majoris perfectionis sunt capaces, imò maximæ, nempè beatitudinis æternæ, ad quem finem filii Christianorum nascuntur? Igitur hæc lex divina naturalis in parentibus insita, strictiùs eos obligat, quàm Prælatos, & Parochos, ad reddendam Deo rationem de animabus filiorum, quod testatus est S. Joan. Chrysostom. *lib.* 3. *contra Vituper. Vit. Monast.* cùm enim dixisset Apostolus *Ephes.* 6. 4. *Patres educate filios vestros in disciplina, & in correptione Domini*, ipse ore suo aureo subjunxit: *Si enim nos ipsi quoque vigilare jubemur, tanquàm pro animabus illorum rationem*
5 *reddituri: quantò magis ergo Pater, qui genuit?* Hæc omnia, sed latiùs, & doctius differit P. Paulus Segneri Soc. Jesu in Concionibus Quadrag. *Conc. Vigesimaquinta.*

Secundò. Quia ex quarto Præcepto Decalogi parentes obligati sunt ad educationem, & eruditionem filiorum; licèt enim id expressum non
6 sit, tanquàm superfluum ob legem naturæ insitam, de qua supra, quod notat S. Antonin. 1. *part. tit.* 14. *cap.* 4. §. 5. post Alexand. Alen. 3. *quæst.* 33. *membr.* 3. *artic.* 1. tamen dictum Præceptum Decalogi est ultrò, citroque obligatorium. Catechis. Rom. *de quart. Præcept. Decalog. Sess.* 21. Unde Ecclesiast. 7. 25. ait, *Filii tibi sunt? erudi illos.*

Tertiò. Nam ita fecisse sanctos Viros testantur paginæ sacræ. Job vigilabat etiam super cogitationibus filiorum suorum. Surgebat diluculò ad offerenda sacrificia pro illis; dicebat enim, *ne fortè peccaverint filii mei, & maledixerint Deo in cordibus suis.* Job. 1, 5. Elcana sollici- 7
tus fuit, ut sanctus evaderet ejus filius Samuel. Eamdem sollicitudinem habuit Tobias de filio suo. Elzia de Susanna; S. Blanca Regina Francorum de Sancto Ludovico ejus filio. Aleta de S. Bernardo. S. Fœlicitas de septem ejus filiis martyrio coronatis; & de septem fratribus Machabæis eorumdem pia Mater; hi enim omnes, & infiniti propè alii, quorum genitores pii fuerunt in erudiendis, & educandis illis in timore Domini ab infantia, sancti extitere; quandoquidem *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, nec recedet ab ea. Prov.* 12. 6.

Quartò. E contra genitores, à quibus neglecta est bona educatio gnatorum, afflictiones maximas in hac vita, & discrimen æternæ salutis experti sunt in morte. Agàr flevit in
deserto ob Ismaelem immorigerum. *Genes.* 21. 8
Jacob deploravit defloration em filiæ Dinæ *Genes.* 34. David passus est fugam, dum ejus filius Absalom illum persequeretur. 2. *Reg.* 15. juxta illud *Filius remissus evadit præceps. Eccles.* 30. 8. Nota est mors violenta Summi Sacerdotis Heli, de cujus salvatione dubitant SS. Patres. Cur ita? *Eò quod* (testatur Scriptura sacra) *noverat indignè agere filios suos; & non corripuerit eos.* 1. *Reg.* 3. 13. Catechism. Rom. ubi prox. *Sess.* 22.

Quintò. Hinc negligentia Patrumfamiliarum in benè educandis subditis suis est peccatum majus idololatria, cum dicat Apostolus 1. *Timoth.* 5. *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Sextò. Tandem majorem rationem reddituri 9
sunt Deo Genitores, quàm Præsules, & Parochi de peccatis filiorum, quia genitores faciliorem habent methodum ad eos bonos faciendos, tùm ex facultate illos corripiendi verbis, & verberibus, dum malè se gerunt; S. Thom. 2. 2. *quæst.* 65. *art.* 2. Sylvest. *Verb. Percussio*, & Reginaldus *in Praxi lib.* 20. *num.* 42. tùm ex commoditate diù, noctuque, & ex majori superioritate, eò quia filii à genitoribus expectant, & accipiunt alimenta, vestimenta, præmia, & hæreditatem; quare inexcusabiles erunt, qui non satagerint in hoc munere; & neglexerint inserere ab ineunte ætate in filiis suis timorem Domini; nam *Quod nova testa capit, inveterata sapit. cap. Ex studiis* 3. *cap. Cùm in juventute*, 15. ubi glossa *in Verb. frequentiùs. De Præsumpt.*

DECISIO XLIV.

ARGUMENTUM.

Explicatur difficilis materia Pacti legis commissoriæ in mutuo. Referuntur duodecim casus, in quibus altercantur DD. an dictum Pactum sit licitum? Deciditur alia Quæstio an Mutuans licitè petat sibi dari fidejussorem?

SUMMARIUM.

1. *Lex commissoria quid sit?*
2. *Pactum legis commissoriæ quotuplex sit?*
3. *An licitum in venditionibus?*
4. *An in mutuo datis pignoribus?*
5. *Pactis legis commissoriæ casus duodecim.*

6. Pa-

6. *Pactum prædictum an positum ex interfallo sit licitum?*
7. *Re non data, sed exhibita tantum in mutuo an licitè cadat in commissum?*
8. *Pignus in mutuo cadens in commissum, si ab initio firmatum sit pretium, an licitè?*
9. *Juramentum an justificet pactum legis commissoriæ?*
10. *Pignus datum fidejussori ob mutuum an cadat in commissum.*
11. *Arbitrio boni viri si sit æstimandum Pignus an licitè in mutuo subjaceat legi commissoriæ?*
12. *Pignus æqualis valoris cum mutuo an cadat in commissum?*
13. *Pactum legis commissoriæ favore dotis an valeat?*
14. *Transactionis in causa an fieri possit prædictum Pactum?*
15. *Fructibus pignoris reservatis mutuatario an pignus in commissum dari possit?*
16. *Mutuatario sponte offerente Pignus, an sub pacto legis commissoriæ recipi possit.*
17. *An dictum pactum valeat in pœnam negligentiæ mutuatarii?*
18. *Pœna adjecta quantitati non est licita.*
19. *Fidejussor an recipi possit in mutuo?*
20. *Opinio affirmativa. Negativa* num. 21. *Distingue ut* num. 22.

Satis obscurè tractant DD. de Pacto legis commissoriæ, ideò quæsitum fuit, *An in mutuo licitum sit Pactum legis Commissoriæ?*

EX plusquam quingentis responsis ad hoc Quæsitum declarandum datis tria collegi.

1. *Quid sit lex commissoria?*
2. *Quotuplex?*
3. *In quot, & quibus casibus sit, vel non sit licita?*

1 Quo ad Primum. Studiosiores nostri Cleri notarunt, legem Commissoriam non esse aliquam legem Digestorum, vel Codicis: sed esse Conventionem, quam contrahentes tanquàm legem peculiarem sibi statuunt, ut si debitor in termino statuto promissam pecuniam non solverit, res data statim fiat creditoris: & dicitur *Commissoria*, eò quòd debitor, qui non præstat fidem, cadat *in commissum*, hoc est, amittat Jus suæ rei propter culpam commissam in adimplendo contractu. Rebell. *de obligat. Just. lib. 8. quæst. 10. num. 1.* Molina *disp. 324.* Tamburin. *de Triplici Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 6. §. 2.* Cardin. de Lugo *disp. 25. num. 76.* & Cardin. Mantica *de Tacit. lib. 11. tit. 9. num. 1.*

2 Quò ad Secundum. Pactum legis commissoriæ est duplex: *Unum*, quod apponitur in venditionibus pretio non soluto, dum venditor paciscitur, ut tempore pretium non solvente intra constitutum terminum, res sit inepta, ita ut venditor possit rem ipsam repetere. *l. 3. ff. de Contrahen. empt. l. 1. & 2. ff. de Lege Commissor.* *Alterum*, quòd sit in pignoribus, quando aliquis accipit pignus pro mutuo, aut quocunque alio debito, ea lege, & conditione, quòd si debitor intra certum tempus non solverit debitum, statim pignus efficiatur creditoris, & sic debito incidat *in commissum*, & amittat suum pignus. Molina *d. disp. 324.* Card. de Lugo *d. disp. 25, num. 176.* & Card. Mantica *de Tacit. & ambig. conventionibus. l. 11. tit. 9. num. 2. 3. & 6.* Negusan. *de Pignor. part. 4. in princip.* Roderic. *de annuis redit. lib. 2. quæst. 2. num. 24.* & Leotard. *de Usur. quæst. 69. num. 2. & 3.* Porrò pactum legis commissoriæ in venditionibus est licitum *dict. libr. 2. & 3. & ff. de Lege Commissoria*; ea ratione; quia nulla fraus præsumitur intervenire; si, emptore pretium non solvente, rescindatur venditio, & res ad suum dominum revertatur. Surdus *decis. 248. numer. 2.* Tiraquell. *de Retract. convent ad finem. tituli numer. 124.* Cardinal. Mantica *dict. titul. 11. num. 3.* & Leotard. *dict. quæst. 69. numer. 34.* 3 Nisi fortè pars pretii esset soluta, & vellet venditor eamdem lucrari, quia tunc illicitum foret, *l. Æmilius. 39. ff. de Minoribus.* excepto si nomine arrhæ data esset, vel ratione fructuum ab emptore perceptorum. *l. Si fundus 4. §. 1. & lib. 6. in princip. ff. de Leg. Commissor.* Leotard. *d. quæst. 69. num. 36.* At in mutuo datis pignoribus tale pactum legis commissoriæ est omninò prohibitum, tàm ex jure Cæsareo. *leg. 1. & l. ultima. C. de Pactis Pignor.* quàm ex jure Canonico *cap. Significante. De Pignorib.* eò quia 4 continet ingentes fraudes, injustitiam, ac Usurariam pravitatem; etenim ob parvum debitum retineri solet pignus magni valoris; & si vendatur; minoris, quàm valeat, veniit, & ob dilationem mutui lucrum à mutuante recipitur; ac ipse mutuatarius gravatur; dum cogitur vendere, vel amittere suum pignus, interdicto sibi jure illud luendi, & recuperandi; ut latè docent, & explicant DD. supracitati, quibus adstipulantur Rebell. *libr. 8. quæst. 4. & quæst. 10. numer. 3.* Salas *de Usuris dub. 32. num. 1.* Covaruv. *lib. 3. Variar. resol. cap. 2. num. 3.* Molina *dict. disput. 324. num. 2. & 3.* & Leotard *dict quæst. 69. & 70. per totam.*

Quo ad Tertium. Cæterùm quia digladiantur jurisperiti, Canonistæ, & Theologi in docendo, quando pactum legis commissoriæ possit esse licitum, pro resolutione nostri quæsiti non 5 me piguit colligere duodecim casus sequentes, & circa eosdem notare opiniones Doctorum.

Primus casus est, quando pactum legis com- 6 missoriæ in pignore ob mutuum non apponitur ab initio, sed ex interfallo. *l. Titius* & ibi Barthol. Bald. & Salyc. *ff. de Pignor. act. l. Quamvis*, ubi pariter Bart. *ff. de solut.* Guid. Pap. *quæst. 6. num. 1.* Negusan. *de Pignor. part. 2. numer. 2.* Cepol. *cautel. 244.* Card. Tuschus *tom. 6. litt. P. conclus. 15. num. 10.* & alii, quos allegat Cardin. Mantica *de Tacit. d. lib. 11. tit. 10. num. 2.* tenentes esse licitum, ea ratione quia, cum jam mutuatarius habuerit pecuniam, præsumitur sponte consentire in pactum, & non urgeri ad illud violentia, & asperitate mutuantis. Sed contrarium docent Tiraquell. *de retract. Convent. in fin. titul. num. 136.* Covaruv. *Variar. lib. 2. cap. 2. numer. 8. Vers. Tertio hinc etiam* Joan Baptist. Lupus *de Usuris, & commerc. illicitis Commentar. 2. numer. 18.* Menoch. *de adipiscen. possess. remed. 5. num. 42.* & alii, quos cumulat; & sequitur Leotardus *de Usuris dict. quæst. 70. num. 3.* ubi demonstrat, vigere etiam ex intervallo eamdem rationem fraudis, & asperitatis, & ostendit *d. l. Titium, & d. l. Quamvis*, minimè esse loquutas de pacto legis commissoriæ, sed de pura; & præsenti datione in solutum, vel venditione certo pretio, quod licitum est, & licuit semper etiam ejus rei, quæ

pigno-

pignori data est. *l. Rescriptum* 12. *ff. de Distract. pignor. l.* 1. *& l. Cum dominam.* 13. *C. de Pignor. & l. In numerationibus.* 44. *de solut.*

Secundus casus est, quando pactum legis Commissoriæ ponitur super re non data in pignus, sed tantummodò exhibita creditori, dum mutuum statuto termino non redditur; hoc enim casu eamdem cadere in commissum, &
7 pactum valere dixerunt Angel. *in Verb. Pactum n.* 23. Guid Papa *singul.* 477. Honded. *cons.* 31. *num.* 34. *& 37. lib.* 1. & alii allegati à Card. Mantica *dict. lib.* 11. *tit.* 10. *num.* 11. 12. *&* 13. moti, quod in hoc casu cesset ratio prohibitionis, & locum non habeat, cum simus extra terminos dicti *cap. Significante* 7. *De Pignoribus, & l. ultima C. de Pact. Pignor.* Sed hanc opinionem falsam esse arbitrantur Covaruvias *d. libr.* 3. *cap.* 2. *num.* 7. *Vers. ex quibus tria deducuntur.* Joan. Lupus *de Usur. dict. Comment.* 2. *num.* 20. Graff. *decis. aur. part.* 1. *lib.* 2. *capitul.* 109. *numer.* 25. Cardin. Tuschus *dict. litt. P. Concl.* 15. *num.* 16. & Leotard. *d. quæst.* 70. *num.* 8. alios allegans, qui sustinent, eamdem rationem in hoc casu vigere, quia licèt non sit formale pactum legis commissoriæ; est tamen simile, & continet idem periculum iniquitatis, captionis, & voracitatis in damnum mutuatarii.

Tertius casus est, quando pactum legis commissoriæ in mutuo sit dando pignus; ita ut si ad statutum tempus pecunia non reddatur, sit
8 creditoris, sed certo, & determinato pretio: & cum hac specificatione pactum hoc valere scripserunt Card. Parisius *consil.* 81. *num.* 28. *lib.* 2. Cravet. *consil.* 327. *num.* 4. Menoch. *cons.* 1111. *num.* 23. & Honded. *dict. consil.* 31. *num.* 32. *libr.* 1. & videtur licitum ob pretii certitudinem, ex qua cessat causa prohibitionis. Tiraquell. *de retract. convent. in fin. tit. num.* 136. Card. Mantica *dict. lib.* 11. *tit.* 10. *num.* 19. Sed contrarium verius esse affirmant Bart. *in dict. leg. Quamvis* 45. *ff. de solut.* Villagut. *de Usuris quæst.* 21. *num.* 10. & alii, quos citat Leotard. *d. quæst.* 70. *num.* 17. *&* 18. dicens, ad huc inesse gravamen mutuatarii, qui adstringitur amittere suum pignus, nisi in tempore statuto reddiderit mutuum, & hoc resultat in fraudem prohibitionis legis commissoriæ, & in favorem avaritiæ, & usurariæ pravitatis mutuantium, qui hisce laqueis, & decipulis miseros debitores capiunt, & decipiunt.

9 Quartus casus est, in quo valere potest pactum legis commissoriæ in mutuo, si juramento firmetur, & hoc respectu religionis, quæ vult juramentum servari, ubi id fieri potest sine dispendio æternæ salutis, prout testatur Seraphin. *de Privil. Juram. cap.* 131. *num.* 3. Fachin. *controvers. lib.* 10. *cap.* 13. Honded. *dict. consil.* 31. *numer.* 56. *&* 57. & Menoch. *consil.* 179. *numer.* 6. Porrò Juramentum hoc non esse observandum (prævia tamen absolutione, & remissione ab Ordinario petenda) cum sit annexum pacto improbo, usurario, & à legibus prohibito, docent Covaruv. *in capit. Quamvis part.* 2. §. 3. *numer.* 3. Card Mantica alios congerens *dict. lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 13. Graff. *dict. lib.* 2. *cap.* 109. *num.* 25. *Vers. Quartum.* Gait *de Credit. cap.* 4. *quæst.* 9. *numer.* 1112. *&* 1144. Leotard. *dict. quæst.* 70. *numer.* 27. *&* 28. qui auctoritatem adducit textus in *d. cap. Significante* 7. *De Pignor.* ubi reprobatur hoc pactum, & subditur *Pacto tali, vel juramento minimè obstante*; ac etiam rationem, quia quando contractus prohibetur in odium creditoris, juramento non confirmatur, & eò minùs, quando est iniquum, fœneratitium, & cum fraude conjunctum.

Quintus casus est, in quo censetur validum 10
pactum legis commissoriæ, si pignus datum sit fidejussori cum pacto, ut in ejus commissum cadat, si mutuatarius non solverit debito tempore mutuum, pro quo fidejussor se obligavit? cessat enim periculum asperitatis, & usurariæ pravitatis Mutuatoris. Salas *de Usur. dub.* 32. *numer.* 3. & Molina *dict. disput.* 324. *numer.* 6. Rebell. *dict. lib.* 8. *quæst.* 10. *num.* 6. & Card. de Lugo *dict. disp.* 25. *num.* 179. qui tamen monent tutius esse ab hoc pacto abstinere. Sed contrarium omninò tenent Graff. *dict. lib.* 2. *c.* 109. *num.* 25. *Vers. Tertium &c.* subdens ibi, quod hoc pacto etiam fidejussores usurarias, & illicitas pactiones exercent, Covaruvias *dict. lib.* 3. *Var. resolut. capit.* 2. *numer.* 7. *&* 8. Felician *de Censib. lib.* 1. *cap.* 10. *numer.* 14. eò quia eadem ratio viget inter fidejussorem, & creditorem principalem; quod latè comprobat Leotardus *dict. quæst.* 70. *à num.* 41. *& seqq.*

Sextus casus faciens validum pactum legis commissoriæ est, si dictum sit; quod Pignus, mutuatario promptè non solvente, & in commissum cadat, justo tamen pretio tunc æsti- 11
mandum arbitrio boni viri; siquidem in hoc casu nullum lucrum potest habere creditor, & sic ratio prohibitionis cessare visa est tùm Jurisperitis, quos cumulat Cardin. Mantica *dict. libr.* 11. *tit.* 10. *numer.* 19. *&* 20. tùm Theologis Molina *dict. disput.* 324. *num.* 4. Rebell. *dict. lib.* 8. *quæst.* 10. *num.* 4. Reginald. *de libr.* 25. *numer.* 597. Salas *d. dub.* 32. *num.* 1. & Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 178. Cæterùm non consentit Felician. *dict. cap.* 10. *numer.* 12. neque Leotardus cum aliis per eum citatis *dict. quæst.* 70. *num.* 51. *&* 52. quia Usura est obligare mutuatarium ad contractum ineundum, & eum adigere, ut creditori, & non cui maluerit, rem suam vendat; quòd si creditor aliquod lucrum non expectaret, contentus esset remedio consueto *l.* 4. *C. de Pignor. act.* nempè ut, si debito tempore mutuum sibi non restituatur, pignus vendatur sub hasta quanti plurimi, & quod super est, detracto suo credito, cedat ad favorem debitoris, qui interim luere, & recuperare suum pignus potest.

Septimus casus est, in quo reputatur validum pactum legis commissoriæ in mutuo, si 12
pignus sit ejusdem valoris cum ipso mutuo, tunc enim nihil perdere posse videtur debitor. Honded. *dict. consil.* 31. *num.* 43. Covaruvias *dict. lib.* 3. *cap.* 2. *in fine.* Rebell. *dict. lib.* 8. *qu.* 10. *num.* 4. *Vers. sed quid?* Card. de Lugo *dict. disput.* 25. *num.* 177. Sed neque huic casui se accomodant plurimi *DD.* inter quos Surdus *decis.* 248. *num.* 20. Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 7. *ampl.* 10. *num.* 89. Felician. *de Censib. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 12. & Leotardus *dict. quæst.* 70. *num.* 57. *&* 58. ducti ea fortissima ratione, quod creditor ex mutuo hìc lucrum consequitur, lucrum enim est adigere alium, ut rem suam vendat etiam justo pretio. *l. Etsi aquo. De leg.* 1. & sanè si illicita, & usuraria pactio est addita mutuo, & mutuatarius rem mutuantis

antis emere teneatur etiam justo pretio. Ugolin. *de Usuris cap.* 30. §. 1. *num.* 4. Salas *de Usuris, dub.* 9. *num.* 2. per consequens Usura est, adigere debitorem, ut rem suam vendat, quam aliàs venditurus non erat.

Octavus casus canonizans pactum legis com-
13 missoriæ dicitur, si ponatur favore dotis ex pluribus rationibus, quas coacervant Doctores apud Leotardum *dict. quæst.* 70. *num.* 64. & 65. quibus, ajunt, magnam differentiam resultare inter hunc casum dotis, & casum mutui; quod notat etiam Cardinal. Mantica *dict. lib.* 11. *tit.* 10. *in fin.* Verùm enim verò contradicit Cardinal. Tuschus *d. Litt. P. concl.* 15. *num.* 18. Leotardus ipse *ibid. num.* 66. *& DD.* quos nominat, & præcipuè Negusant. *de Pignor. part.* 4. *num.* 8. Surdus *dict. decis.* 248. *num.* 13. Alexandr. *consil.* 178. *num.* 9. *lib.* 7. & Curt. quem citat Cardinal. Mantica *d. tit.* 10. *num.* 30. & moventur, quia pro nulla causa, quamvis pia, usura permitti debet. *capit. Super eo, De Usur.*

Nonus Casus est patrocinans Pacto legis Commissoriæ, & illud validum dicens, si positum sit in Transactione, cujus maximus est fa-
14 vor, cum per eam à lite discedatur, à qua non esset alioquin discessurus, qui sic pactus est. Ita Fulgos. *consilium* 198. Jason *in leg. Sub prætextu* 29. *in fine. C. de Transact.* Cravetta *cons.* 145. *num.* 19. Cardinal. Tuschus *tom.* 6. *Concluf.* 15. *num.* 35. & Antonio Faber *tit. de Pactis Pignor. defin.* 3. Cæterùm impugnatur, & hic casus ab aliis magni nominis Doctoribus eo stabili fundamento, quod lex Commissoria prohibita censetur non solùm in mutuo, sed in omnibus contractibus, & adversus quoscunque creditores, cum semper trahat secum captionem, asperitatem creditoris, & usurariam pravitatem, ob lucrum, quod ex dilatione temporis sperat creditor ipse habere ultra creditum ex retentione pignoris, ut plenius docet Cardinal. Mantica *dict. lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 11. Negusant. *de Pignorib. p.* 4. *num* 2. & alii apud Leotard. *d. quæst.* 70. *num.* 77. & 78.

15 Decimus casus est, in quo legitimari dicunt DD. pactum legis commissoriæ si conventum fuerit, ut fructus pignoris, durante mutuo, sint ipsius mutuatarii, tunc enim cessare videtur omnis fraus usurarum. Abbas, & San. Antonin. apud Navarrum *in Enchirid. cap.* 17. *num.* 217. At resistit huic Navarreæ assertioni Leotard. *d. quæst.* 70. *num.* 90. siquidem etiam in hoc casu Mutuatarius rei suæ dominium amittere cogitur, in quo tota legis commissoriæ asperitas, & malitia posita est; & idcircò semper est illicita, cum res suo domino aufertur pro pecunia credita, & ad id adigatur involuntariè, & cum periculo læsionis in pretio.

Undecimus Casus est, si pactum legis com-
16 missoriæ initum sit non ad instantiam mutuantis, sed ad preces, & requisitionem mutuatarii, tunc enim esse licitum ait Bald. *in cap.* 1. *num.* 7. *De Feud. dat. in vim. leg. Comiss.* quem allegat Cardinal. Mantica *dict. lib.* 11. *tit.* 9. *num.* 7. ubi tamen eum reprobat, quia debitor necessitate coactus facilè dicturus est, factum suis precibus, & sui contemplatione contractum fuisse; etsi provenerit ab ingluvie, & avaritia creditoris, ut considerat ibidem Cardinal. Mantica, Afflict. *in d. cap.* 1. *num.* 7. & Leotard. *d. q.* 70. *à num.* 80. *& seqq.*

Duodecimus, & ultimus Casus canonizans 17
pactum legis Commissoriæ est, si factum sit non in fraudem Usurarum, sed in pœnam mutuatarii negligentis restituere pecuniam debitam. Navar. *d. cap.* 17. *num.* 217. Sylvest *Verb. Usura* 3. *num.* 1. Salas *de Usur. d. dub.* 32. *num.* 2. Molina *d. disput.* 324. *num.* 5. Reginald. *d. lib.* 25. *num.* 597. Rebell. *dict. lib.* 8. *quæst.* 10. *num.* 5. & Cardinal. Mantica *d. lib.* 11. *tit.* 10. *num.* 34. A quibus tamen omnibus recedunt Fœlician. *de Censib. d. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 11. Surdus *decis.* 25. *num.* 1. & Leotard. *d. quæst.* 70. *num.* 91. & regula generali supra firmata, quod pœna adjecta quantitati non est licita, & continet semper suspicionem Usuræ. *l. Julianus* 14. §. *Ibidem Papi-* 18
nianus. ff. de Act. empt. Cardinal. Tuschus *tom.* 6. *litt. P. concluf.* 247. & præcipuè in pignoribus, in quibus per expressum est prohibita. *l. ultim. C. de Pactis Pignor.* & ita tenendum esse, & contra legem Commissoriam in omnibus supradictis casibus pronunciari oportere à Confessariis, & animarum Rectoribus Curia Episcopalis sentit, ac eò magis in mutuo, ut docet etiam Leotardus *de Usur. quæst.* 38. *num.* 6. *& quæst.* 70. *num.* 93. *&* 94. Nicol. *Lucubrat. Civil. lib.* 3. *tit.* 15. *num.* 12. *Ampliat.* 2. & ex his resolutum, ac declaratum remanet primum Quæsitum.

Aliud quæsitum frequenter practicatum est,

An in Mutuo licitum sit accipere Fidejussorem.

PRO responsione alii affirmarunt. Quia cui- 19
libet licet, se indemnem servare, & ubi timet periculum amissionis propriæ pecuniæ, petere cautionem, vel in pignore, vel in juramento, vel in fidejussore. Aragon, & Medin. apud Salas *de Usuris dub.* 11. propè finem. Sed mutuator exigendo fidejussorem à mutuatario petit cautionem ad se indemnem servandum. Ergo. Item non est Usura, ubi lucrum non ac- 20
quiritur supra sortem. Sed per fidejussoris acceptionem nullum lucrum supra sortem acquiritur. Ergo licitum est, fidejussorem accipere; & ita communiter docent Theologi. Salas *d. dub.* 11. Reginald. *lib.* 25. *num.* 217. Bonacina *dict. tom.* 2. *de contract. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 5. *num.* 2. Ugolin. *de Usur. cap.* 9. §. 1. *num.* 2. Sylvest. *Verb. Fidejussor. num.* 14. Andr. Mendo *Verb. Usura. num.* 3. Tamburin. *de Triplici Jur. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 3. §. 6. *num.* 6. *& cap.* 6. *num.* 1. *&* §. 2. *num.* 4. *&* §. 3. *num.* 1. & Cardinal. de Lugo *dict. disput.* 25. *num.* 63.

Alii negarunt. Quia ubi mutuatario, causa 21
mutui, imponitur gravamen, ibi est Usura. Sà *Verb. Mutuum num.* 3. Petr. Navar. *de restit. lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 6. Angel. *Verb. Usura quæst.* 5. Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 55. Sed hic imponitur gravamen mutuatario. Ergo.

Alii distinxerunt. Vel fidejussio est necessa- 22
ria? & tunc est licita. Vel non est necessaria; & in hoc casu censetur injusta, & per consequens usuraria, & illicita. Salon. & alii apud Salas *d. dub.* 11. *in fine.* & Cardin. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 63. ubi nihilominùs subdit de tali distinctione parùm curandum esse, quia mutuator potest non mutuare, nisi ei fidejussor detur pro assecurando suo credito. At benè distinguendum putat, an Mutuatarius aliquid sit soluturus, fidejussori? tunc enim si fidejussio superflua sit, committitur injustitia, ex qua resultat crimen Usurarium ob indebitum gravamen im-

positum mutuatario; secùs autem si nihil solvat mutuatarius pro fidejussione, & sic cum Lugo videtur tenendum.

DECISIO XLV.

ARGUMENTUM.

An sit Usura solvere medietatem debiti anticipatè; ut alia medietas non exigatur, nisi post tempus debitum? Item an liceat uti equo in pignus tradito?

SUMMARIUM.

1. *Solutionis pactum differre, ut alia pars ante tempus solvatur, an sit Usura?*
2. *Obligatio civilis ubi intervenit in mutuo, ibi est Usura.*
3. *Injustitia, aut gravamine cessante in mutuo, cessat Usura.*
4. *Mutui contractus converti potest in alium innominatum.*
5. *Conditio ut medietas debiti solvatur anticipatè, & alia medietas participatè? an licita?*
6. *Pignus, aut hypotheca est licitum pro cautione creditoris.*
7. *Pignus unde dictum?*
8. *Fructus pignoris sunt in sortem computandi.*
9. *Expensæ ex fructibus pignoris sunt à creditore retinendæ.*
10. *Expensarum genera tria. Et quæ sint deducendæ?*
11. *Equus datus pro pignore cujus expensis sit alendus?*
12. *Venditio rei cum pacto recuperandi est melius, quàm ea dare pro pignore.*

1 TRansactum cum fuerit biennium, tu mihi debebis solvere trecentos Ducatos. Egeo pecunia; ideò hoc primo anno peto statim à te medietatem dictæ summæ, cum pacto non exigendi aliam medietatem, nisi tertio anno. Quæritur, An hæc pactio sit Usuraria?

2 *Esse Usurariam* dixerunt plurimi. Quia, ibi est Usura, ubi assumitur civilis obligatio. Azor. 3. *p. lib.* 5. *cap.* 7. *Vers. Quæres.* Sà *Verb. Mutuum num.* 3. Salas *de Usur. dub.* 10. *num.* 3. Vel ubi mutuatario imponitur onus. Bonacina *d. disput.* 3. *quæst.* 3. *p.* 3. *num.* 9. Sed in hoc casu uterque contrahens assumit civilem obligationem causa mutui: ego quidem expectandi medietatem post tertium annum; tu, solvendi medietatem hoc primo anno, & imponitur onus, quod potest esse gravius mihi, quàm tibi. Ergo est Usura; prout Usuram esse docuerunt Petr. Navarra. *lib.* 3. *de restit. cap.* 2. *num.* 240. Rebell. *lib.* 8. *qu.* 4. *num.* 10. Molin. *disp.* 308. *num.* 4. Sotus *de Just. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. *ad primum.*

3 *Non esse Usurariam pactionem*, de qua in Casu, alii affirmarunt; siquidem ubi non est injustitia, neque gravamen inter contrahentes, ibi non est Usura; hæc enim essentialiter requirit, ut proximus injustè gravetur. Cardinal. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 55. Sed in Casu proposito nulla est injustitia, neque gravamen, quia si tu sentis incommodum in solutione medietatis debiti anticipatè; ego idem incommodum suscipio expectando alterius medietatis solutionem posticipatè. Igitur nulla labes hìc est Usuræ. Ita sentit Molina *d. disput.* 308. *num.* 6. *Vers. Hinc colligo.* Tamburin. *de Triplici Jur. d. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 4. §. 7. *num.* 3. Salas *de Usur. d. dub.* 9. *num.* 10. *Vers. Sed quid.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 59. Trullench. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 6. *num.* 8. Leotard. *de Usur. quæst.* 16. *num.* 37. & Caramuel *in Theolog. Moral. lib.* 2. *disp.* 14. *num.* 748. cujus verba transcribit Diana *part.* 9. *tract.* 6. *resol.* 24. Quæ in Coordinato est *tom.* 7. *tract.* 3. *resol.* 61.

Prima sententia est tutior, secunda probabilis; 4
quam nihilominus tutissimam reddi posse, ait *Caramuel* ibidem, si mutuator, & mutuatarius dissolvant priorem contractum mutui, & novum ineant, qui innominatus erit *Do, ut Des*, id est *do tibi nunc ante annum medietatem debiti, ut non petas aliam medietatem, nisi post triennium*, vel hoc remedio relicto (quod videtur merè speculativum) si ille, qui rogatur anticipatè solvere medietatem, non petat dilationem pro altera medietate tanquàm pretium, sed solùm tanquàm conditionem, sine qua non vult virtualiter mutuare, ut docet Card. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 57. & notat Pasqualig. 5
decis. 184. *num.* 22. & placet Dianæ *part.* 1. *tract.* 8. *resolut.* 63. Quæ in Coordinato est *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 108.

Sed quid respondebit Confessarius ad sequentem Casum?

MVtuavì tibi centum, & pro cautione equum tuum accepi, quo utor juxta meas indigentias. Quæritur, An licitè?

Pro resolutione hujus Casus datæ sunt sequentes conclusiones.

Prima est. Pro cautione creditoris dari potest 6
vel pignus, vel hypotheca. Scaccia *de Commerc.* §. 1. *quæst.* 7. *part.* 2. *ampl.* 12. & ibi S. Anton. & Conrad. Hypotheca propriè consistit in re immobili, pignus verò in re mobili. §. *Inter pignus, Instit. de Action. & Oblig. l. Plebs.* §. *Pignus. ff. de verb. Signif.* ideò pignus dicitur à pugno, quasi manu apprehendatur, ut notat Angel. *verb. Pignus, in princip.* & Nicol. *in Lucubrat. Civil. d. lib.* 3. *tit.* 15. *n.* 48. 7
Actio ex pignore non nascitur, nisi res fuerit creditori tradita; at ex hypotheca nasci potest ex solo consensu, *l. Pignoris* 18. *C. de Pignor.*

Secunda conclusio est. Res, quæ pignori datur, 8
vel est sterilis, ut annulus aureus, catinus argenteus: vel est fructifera; Si fructus pariat, creditor tenetur eos in sortem computare, aut debitori reddere, *cap.* 1. *& 2. & cap. Conquestus. De Usur. cap. Cum contra, cap. Significante. De Pignoribus, cap. Ad nostram,* 1. *De Jurejur. l.* 1. *&* 2. *C. de Pignorat. act. & l.* 1. *C. de Distract. pignor.* Ratio est manifesta, quia debitor est dominus pignoris, unde si fortuitò pereat, illis peribit, *l. Incertum. C. Si certum petatur*; res autem debet suo dominio fructificare; & pignus non datur creditori in utilitatem, sed in securitatem. §. *Furti. Instit. de oblig. quæ ex delict. nascuntur*, idcircò si creditor fructus pignoris pro se retineret, usuram committeret, quia usura est exigere aliquid ultra sortem ratione mutui, vel formalis, vel virtualis. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 6. Molina *disp.* 320. Cardin. Tolet. *l.* 5. *cap.* 30. & alii plurimi, quos allegat Salas *de Usur. dub.* 28. *num.* 2.

Tertia conclusio. Licitum tamen est creditori re- 9
tinere, & deducere ex fructibus pignoris expensas, tùm pro collectione fructuum, tùm pro exhibitione suorum laborum in custodiendo pignore, quia creditor non tenetur debitori deservire, neque pro eo laborare. Salas *de Usur. d. dub.* 28. *num.* 3. ubi ait, non obstante *cap.* 1. *&* 2. *de Usur. & cap. Ad nostram,* 1. *de Jurejur.* in quibus dicitur, deducendas esse expensas; & nihil dicitur de laboribus, nam appellatione expensarum etiam labores com-

comprehenduntur, & è contra nomine laborum etiam expensæ veniunt intelligendæ, *cap. Ad*
10 *nostram. De Reb. Eccl. non alien.* Cum autem expensæ aliæ sint necessariæ, aliæ utiles, & aliæ ad voluptatem; primæ, & secundæ tantummodò sunt deducendæ per creditorem circa conservationem pignoris. Sylvest. *Verb. Pignus quæst.* 12. Sà *num.* 8. & Salas *d. dub.* 28. *num.* 3. *in fin.*

11 *Quarta conclusio.* Equus datus in Pignore (ut in casu) alendus, & gubernandus est expensis mutuatarii; ideò distinguere oportet, an sit equus conductitius, vel agrarius, ex quo lucrum haberi possit; vel sit equus emissarius, cujus, opera nihil lucretur. Primo modo, si à me mutuatore alimentatur equus, possum illo uti juxta meas indigentias; dummodo utilitas, quam percipio ex usu equi non excedat expensas cibarias ejusdem, & mercedem laboris in illius gubernio; super quibus expediret paciscì, & convenire cum Mutuatario, & quatenus lucrum superet expensas, debet in sortem computari; aliàs esset Usura. Navar. *in Man. cap.* 17. *num.* 204. Secundo modo, si equus non est actus laborare, & lucrari, alendus est à mutuatario; & ego eo uti non debeo absque licentia mutuatarii, nisi fortè pro incolumitate equi, ne nimis otietur in stabulo. Ita, in terminis equi pignori dati, Tamburin. *de Tripl. Jur. dict. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 6. §. 1. *num.* 5. Bonacina *dict. tom.* 2. *De Contr. disput.* 3. *quæst.* 10. *punct.* 1. *num.* 10. *&* 11. & Azor. 3. *part. lib.* 7. *cap.* 7. Reginald. *lib.* 25. *num.* 589. & Cardinal. de Lugo *d. disp.* 25. *num.* 130. 131. *&* 132. ubi advertit, ad vitandam usuram circa fructus pignoris optimum remedium esse, si id quod datur mutuanti, non detur in pignus, sed vendatur pro debito, cum pacto retrovendendi, quando idem pretium sibi reddatur; tunc enim per
12 venditionem mutuator factus est dominus, & fructus intermedii temporis ad eum pertinebunt, dum tamen vendatur pretio justo saltem infimo, quod tale erit, etiam si sit infra pretium commune, propter pactum retrovendendi, quod facit rem minoris valere.

DECISIO XLVI.

ARGUMENTUM.

Triplici similitudine Magistri, Medici, ac Patris suadentur Parochi providere sibi de Confessario stabili, qui secum agat officium supradictorum trium.

SUMMARIUM.

1. *Confessarium unum, & eundem an expediat semper habere?*
2. *Confessarius gerit officium Magistri, Medici, ac Patris.*
3. *Homines instruendi sunt ab aliis hominibus.*
4. *Exempla SS. Patrum, qui ab aliis hominibus sunt eruditi.*
5. *Nemo sibi ipsi fidere debet intelligentia rerum spiritualium.*
6. *Stultus est qui credit esse sapiens.*
7. *S. Augustini mira humilitas.*
8. *Medici sibi ipsis mederi non solent.*
9. *Infirmitates spirituales à Confessario curandæ.*
10. *Mortificatio cur nominetur Crux?*
11. *Patre spirituali quam ob causam quilibet indigeat?*
12. *S. Ambrosii documentum de utilitate Patris spiritualis.*

Quot, & quæ sint causæ, quibus expedit uniculque Parocho habere Confessarium suum determinatum, cui conscientiam suam aperiat, & omnium operationum suarum rationem reddat? 1

Ad hunc casum dictum fuit, tres esse principales causas; scilicet, quia Confessarius vicem gerit *Magistri, Medici, & Patris.* Porrò omnis Parochus ut in suo munere rectè procedat, (prout etiam quilque mortalium) eget *Magistro*, qui eum instruat; *Medico*, qui ei medeatur; & *Patre*, qui illum in via spiritus fovere, & solari valeat. 2

Magistro eget Parochus ad sui ipsius instructionem; siquidem hæc est provida ordinatio Dei, ut homines instruantur non ministerio Angelorum, nec tantùm inspirationibus cœlestib us, (quod si vellet, Deus efficere posset) sed alterius hominis, Confessarii scilicet, documentis. Hinc Moyses (etsi familiaris esset cum Deo) à Jetro audivit optimum consilium deputandi Judices in sui levamen. *Exod.* 13. Samuel ter vocatus à Deo voce simili, qua vocabatur ab Heli, ad eum currere priùs fecit, quàm sibi Deus loqueretur, ut sciremus ad Sacerdotem Confessarium nostrum recurrendum esse, ut in rebus dubiis intelligamus voluntatem Dei. 1. *Reg.* 3. 4. Josue profecit submissus Moysi, 3
Elisæus Eliæ, Paulus Ananiæ, deinde Petro, & 4
aliis Apostolis; paucique fuerunt, quos immediatè Deus erudierit in rebus spiritualibus, ut auctoritate *S. Gregorii Papæ* ostendit P. Ludovicus à Ponte S. Jesu in opere inscripto *Guida spirituale part. secunda. tract.* 4. *cap.* 2. *per totum.* B. Joannes à Cruce in Ascensu Montis Carmeli *lib.* 2. *cap.* 22. & Rodriquez *In Exercit. Perfect. p.* 3. *tract.* 7. *à cap.* 1. *& seqq.* Idcircò ait Dominus: *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth.* 18. 19. Non dixit *Unus*, 5
sed *duo*; quia ut considerat B. Joan. à Cruce *d. cap.* 2. neminem sibi ipsi soli fidere debet circa rerum spiritualium intelligentiam; sed Magistrum, Dei Ministrum, assumere oportet; aliàs, *Væ soli, quia cum ceciderit, non habet sublevantem se. Eccl.* 4. 10. & rationem manifestam reddit *S.* Bernard. *Epist.* 27. nam *Qui se sibi magistrum constituit, stultò se discipulum subdit.* Cum igitur in tot rebus dubiis Parochus indigeat consilio, & instructione aut pro se, aut pro ovibus suis, optimum est, ut proprium Confessarium sibi determinet, quem frequenter tanquam Magistrum consulat, & cujus ore Deus ei voluntatem suam sanctissimam notam faciat.

Nec objiciat quis, Parochum adeò sapientem 6
esse posse, ut nullius egeat consilio: quandoquidem talis assertio indicat stultitiam, non autem sapientiam, sicut scriptum est; *Via stulti recta in oculis ejus; qui autem sapiens est, audit consilia. Proverb.* 12. 5. Et observatu dignissimum est testimonium *S.* Augustini, qui de se sene, & tantis literis, & prudentia ornatissimo dixit; *Ego senex* 7
à juvene, ego Episcopus tot annorum à Collega nondum anniculo paratus sum doceri; ut habetur in *cap. Si habes.* 34. *quæst.* 3.

Medico pariter Parochus opus habet, ut propriis spiritualibus infirmitatibus, (passionibus scilicèt, fragilitatibus, & aliis animi ægritudinibus) medeatur, juxta illud: *Da locum Medico, etenim illum Dominus creavit; & non discedat à te, quia opera illius sunt necessaria. Eccl.* 38. 9. Circa

quem duo sunt notanda. Unum, quòd nullus, etsi medicinali arte pollens, solet, mederi
8 sibi ipsi. Alterum, quòd mutatio medicorum ægro nocet, salubris autem est unius, ac ejusdem Medici assistentia, quod cecinit etiam Poeta dicens:

Me centum tetigere manus Aquilone gelatæ;
Non habui febrim Symmache, nunc habeo.

9 Igitur opus est, ut quilibet Ecclesiasticus statuat sibi ordinarium Confessarium, quem tanquàm Medicum habeat, ut ab eo medicinales monitiones excipiat in suis spiritualibus infirmitatibus, neque ab eo recedat, credens sibi ipsi medendum; nam sicut Deus noluit, aliquem posse seipsum absolvere à peccatis, sivè Episcopum, sivè Papam; sed ut alteri se subjiciat Sacerdoti, ordinavit; ita, ad remedia efficacia obtinenda, voluit, ut spiritualiter ægri ab alio ea peterent; exemplo Naamani Syri leprosi, quem non mundarunt aquæ Damasci, sed aquæ Jordanis, ut habetur. 4. *Reg.* 5. 10. quia jussu Elisæi Prophetæ ad illas accessit, ut notat Rodriquez *dict. part.* 3. *tract.* 7. *cap.* 4. *in fin.* Ratio autem hujus necessitatis est aperta, quia proprius amor impedit, ne quis sui ipsius infirmitatem agnoscat, teste D. Basilio *de Constitution. Monac. capitul.* 23. & eò minus eligere valeat antidota, & pharmaca convenientia ad mortificandas inordinatas passiones. Hinc factum est, ut à Redemptore Nostro mortificatio Crux fuerit appellata; nam sicut nemo aptus est seipsum
10 Cruci affigere, sed altero est opus, à quo crucifigatur, ut perbellè considerat P. Ludov. de Ponte *dict. Guida spirituale part.* 2. *tractat.* 4. *cap.* 2. *§.* 3. *num.* 2. ita nullus mortificationes sibi ipsi valet præscribere; sed prudentia, consilio, ac directione mystici Medici, nempe Confessarii sui, uti debet.

11 Patre tandem benigno, qui illum consoletur, eget quisque Ecclesiasticus; nam, ut ait *dict.* P. Ludov. de Ponte *dict. cap.* 2. §. 1. *num.* 3. *La strada della Virtu è aspra, e lunga; & assai contraria all' inclinazione, e gusto della nostra carne; onde nasce, che chi nuovamente la comincia, patisce gran tristezze, & afflizioni gravi tedii, e timori, e s' egli non hà compagnia, che le consoli, rallegri, & inanimi nel camino, segli suole fare intolerabile. Hor grandemente importa non voler pigliare solo sigram fatica, mà eleggersi un buon amico, per compartirla seco, e con la cui communicazione si renda facile, e tolerabile; poiche co-*
12 *me dice S. Ambrosio* lib. 2. de Offic. cap. 16. *gran consolatione di questa vita è avere qualche fedele amico, a cui possi scoprire l' animo tuo, con cui communichi i tuoi segreti, & in cui depositi l' intrinseco del tuo cuore; il quale ami, & in ogni cosa seguiti; il quale con viscere di padre compatisca le tue avversità, e nelle persecuzioni t' ajuti, e si rallegri teco nelle tue prosperità; felice tal compagnia, e tal amistà; poiche non è cosa nel mondo più dolce di quella.* Idem prosequitur S. Ambros. *dict. lib.* 2. *de Offic. cap.* 20. S. Bernard. *lib. de Ord. Vitæ.* S. Thom. 1. 2. *quæst.* 38. *art.* 2. S. Franciscus Salesius *in Introduct. ad Vit. devot. part.* 1. *capit.* 4. S. Theresia Rodriquez *d. p.* 3. *tract.* 7. *cap.* 2. & Marcantius *in Hort. Pastor. Virg.* Aaron. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 7. Quos authores si Parochi, aliique Ecclesiastici legere non detrectaverint, optimum, ac saluberrimum esse cognoverint, Confessarium pium, & prudentem sibi deligere; eique non solùm conscientiæ maculas, sed etiam quoscumque affectus, & propensiones humiliter aperire; ejusque monita servare.

DECISIO XLVII.

ARGUMENTUM.

Disputatur celebris Quæstio; An Usurarius acquirat dominium rei per usuram acceptæ? Rationes tùm pro affirmativa; tùm pro negativa, quæ amplectitur; etsi sub fœdere distinctionis utraque concilietur. Motiva tùm Parochis, tùm Concionatoribus invehendi contra Usuras, ac illicitos contractus.

SUMMARIUM.

1. *Usurarius an dominus fiat rei per usuram acquisitæ?*
2. *Traditione rei acquiritur dominium.*
3. *Voluntas solventis Usuras an sit libera?*
4. *Matrimonium habentis simplex votum castitatis valet.*
5. *Res uni promissa, & alteri tradita sit hujus, cui traditur.*
6. *Usurarii validè emunt alienas res cum pecunia usuraria.*
7. *Eleemosyna facta ab Usurario valet.*
8. *Donare censetur rem non debitam tradens.*
9. *Restitutio facienda ab Usurariis etiam re pereunte.*
10. *Lucrum ex negotiatione cum pecunia Usuraria sit ejusdem negotiantis.*
11. *Traditio rei sine justo titulo non transfert dominium.*
12. *Fructus rei usurariæ spectant ad mutuatarium.*
13. *Mutuatarius præfertur aliis creditoribus in re tradita Usurario.*
14. *Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur.*
15. *Consensus defectus causat nullitatem actus.*
16. *Pharmacum nullum legale contra defectum consensus.*
17. *Mutuatarius non præsumitur consentire in usuram.*
18. *Argumentum de parte ad totum valet.*
19. *Res per usuram accepta est omninò restituenda.*
20. *Usurarius est fur, & latro.*
21. *Simoniacus non acquirit dominium rei per Simoniam acceptæ.*
22. *Res per Usuram acceptæ quando transeant in dominium Usurarii?*
23. *Rei per Usuram solutæ dominium remanet apud mutuatarium.*
24. *Restitutio imponenda etiam iis, qui rem ab usurario acquisiverunt.*
25. *Usuræ, ac contractus illiciti quot motivis redarguendi?*
26. *Usurariorum infamis, ac odiosa conditio.*

Sudant tàm Theologi, quàm Jurisperiti in decidendo.

AN *Usurarius acquirat Dominium rei per Usuram acceptæ?* Alii affirmarunt, alii negarunt, alii distinxerunt. 1

Affirmantes adduxere sequentes rationes.

Primò. Traditio rei, ab ejus domino facta cum voluntate transferendi dominium, ipsius translationem operatur. §. *Per traditionem.* 40. *Instit. de rer. divis.* ubi Imperator ait; *Nihil enim* 2

tàm

tàm conveniens est naturali æquitati, quàm voluntate domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi. Sed mutuatarius quod tradit ultra sortem mutuanti; ea voluntate tradit; ut transeat in ejus dominium. Ergo Usurarius rei per Usuram acceptæ dominium acquirit.

3 Secundo. Si hoc non esset verum, ex eo diceretur procedere, quod mutuatarius non voluntate liberas, sed coacta traderet. Sed consequens est falsum; quia ex *Arist. 3. Ethic. 2.* voluntas illa est simpliciter voluntaria, prout illius, qui tempestate coactus merces suas projicit in mare. *l. Si mulier. in fin. ff. Quod met. caus. cap. Meritò. 15. quæst. 1.* vel aliquid dat alicui, metu cadente in constantem virum, *cap. Abbas. De his, quæ vi, metusvè caus. fiunt.* Card. de Lugo *de Justit. & Jur. disp. 22. de contract. in genere sect. 7. & disput. 25. num. 206.* Ergo.

4 Tertio. Si quid esset, quod translationem dominii in Usurarium impediret, oriretur ex re prohibita, & acceptione injusta. Sed hoc non sufficit, nam etiam qui votum habet castitatis, injustè uxorem accipit, & tamen matrimonium valet *cap. Rursus. 6. Qui Clerici, vel Voven.* Et qui rem uni promisit, etiam cum

5 juramento, & eam tradit alteri; in istum transfert dominium. Covaruv. *de Sponsi. part. 1. cap. 5. num. 9.* Salas *de Empt. & Vendit. dub. 46. num. 3.* & facit *text. in l. Quoties C. de Rei vendit. & l. Traditionibus C. de Pactis.* Ergo.

6 Quarto. Si Usurarius non compararet dominium pecuniæ per Usuram acquisitæ, irriti essent omnes contractus, quos cum eadem pecunia celebraret; atque adeo qui usurario panem, vinum, vel domum venderet pro pecunia usurariè ab eo habita, teneretur illam mutuatario restituere. Consequens est absurdum, quia confusio esset nimia in regimine politico. Ergo.

Quinto. Dominium est jus utendi re pro libito suo. Sed Usurarius potest eleemosynas facere de pecunia per Usuram accepta, ut do-

7 cet Gloss. *in cap. Ex transmissa. de Decim.* Altisiodor. *libr. 3. tit. 8. quæst. 5.* Ergo dominium ejus acquisivit.

8 Sexto. Qui rem non debitam scienter tradit, donare censetur. *l. Cujus per errorem. ff. de Reg. Jur. lib. 1. ff. de Contract. indeb. & l. Qui se debere C. de Cond. ob caus.* Sed mutuatarius, qui scit, usuras non deberi, eas solvendo, videtur donare. Gloss. *in cap. Debitores. 6. de Jurejur.* Ergo.

9 Septimo. Si Usurarius non acquisivisset dominium rei ultra sortem sibi solutæ, sequeretur, ut ea pereunte absque sua culpa non esses obnoxius restitutioni, siquidem res perit domino, & sic periret mutuatario. Sed consequens est falsum; nam etiam in suppositio casu Usurarius tenetur restituere tantumdem. Ergo factus erat dominus illius rei.

Octavo. Si Usurarius lucretur cum fœnebri pecunia, non est obligatus ex communi Doctorum calculo illud lucrum restituere. Mastrius in *Theolog. Moral. disp. 5. quæst. 2. art. 5. num. 85.* & Leotard. *de Usur. quæst. 82. num. 40.* Sed hoc esse non potest, nisi ex eo, quod sit

10 dominus pecuniæ fœnebris jam res, quæ fructificat, domino suo fructificat. Ergo dicendum venit, quod dominium acquirat. Hanc opinionem docet Glossa. *in cap. Si quis Usuram. 14. quæst. 4.* Summistæ *in Verb. Usura* infra notari, videlicèt Tabien. *6. in princip.* Armill. *numer. 59.* Pisan. *1. §. 14.* Rosell. *4. §. 14.* Item S. Antonin. *2. part. tit. 1. cap. 8. §. fin.* Navar. *in Manual. cap. 17. numer. 265.* & plures alii, quos allegat Salas *de Usur. dub. 38. num. 1.* Et noviſſimè Mastrius *in Theolog. Moral. dict. disput. 5. numer. 8.* quibus adstipulatur Eminentis. Cardinal de Lugo *de Justit. & Jur. tom. 2. dict. disp. 25. num. 206.*

His tamen non obstantibus alii plurimi ex Clero nostro negarunt, ab Usurario rei per Usuram acceptæ dominium acquiri ob sequentes rationes.

Primò. Ad transferendum dominium non sufficit nuda traditio, vel privata voluntas tradentis; sed requiritur justus titulus, & publi- 11
ca voluntas Superioris traditionem illam approbantis. *l. Numquam. ff. de Adquir. rer. dom. l. Nullo. 24. Cod. de Rei Vendic. l. Traditionibus. C. de Pactis.* Menoch. *dict. consil. 300. num. 1. & 2. ac numer. 10.* Et noviſſimè Mastrius *d. disp. 5. num 81.* ubi ex Scoto hanc dicit esse rationem fundamentalem. At in traditione mutuatarii deficit justus titulus, quinimò est iniquus, nempè fœneratitiùs; & publica Superiorum resistit voluntas, tùm Dei Optimi Maximi, cujus jure Divino prohibita est Usura, ut supra probatum est *Decis. XXV.* tùm Ecclesiasticorum, ac Temporalium Procerum, quorum pariter legibus fœnora damnantur. Rebell. *d. lib. 8. quæst. 14. num. 2. & 3.* Ugolin. *de Usur. cap. 12. num. 1.* Tamburin. *de Triplici Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. numer. 9. & 10.* Ergo Usurarius rei sibi per Usuram solutæ non acquirit dominium.

Secundò. Fructus rei spectant ad illum, qui ejusdem rei dominium habet, *l. Fructus 34. ff.* 12
d. Rei vendicat. l. Item ff. de acquir. rer. dom. & l. Si dominium de Pignorib. Sed fructus rei per Usuram acceptæ ab Usurario spectant ad Mutuatarium, cui per eumdem fœneratorem sunt restituendi. *cap. 1. de Usur.* S. Thomas *2. 2. quæst. 78. art. 3.* Sylvest. *Verb. Usur. 6. num. 2.* Jo. Calder. *in cap. Naviganti. quæst. 9. de Usur.* Salas *de Usur. d. dub. 38. num. 5. Vers. Secundo.* Rebell. *d. lib. 8. quæst. 14. numer. 4.* & Menoch. alios allegans *dict. Cons. 300. num. 4.* Ergo Usurarius non acquirit dominium rei fœnebris.

Tertio. Si mutuatarius non retinuisset in se dominium rei, Usurario per Usuram traditæ, non haberet prælationem contra quoscunque 13
alios creditores ejusdem Usurarii in illius rei consequutione; ea ratione, quia intraret inter eos regula: *Prior in tempore, potior in jure.* Ugolin. *de Usur. d. cap. 12. numer. 3.* Sed sic est, quod præfertur Mutuatarius quibuscunque creditoribus in repetenda re fœnebri, per eum Usurario tradita. Sotus *de Just. & Jur. lib. 6. quæst. 1. art. 4. colum. 6.* Sylvest. DD. allegans *Verb. Restitutio. 6 num. 5. ubi text. in l. Si Ventri. 8. §. In bonis ff. de Privil. creditor.* Molin. *de contractib. disp. 536. num. 30. & ibi l. Procuratoris. §. Plane ff. de Tribut. act. l. 1. Cum fundus. §. servum tuum ff. Si cert. pet.* Ergo dominium non fuit in Usurarium translatum.

Quarto. Actus agentium ultra eorum intentionem, & voluntatem non operantur; nam ubi non est intentio operandi, non est volun- 14

tas, & ubi non est voluntas non potest esse consensus, & deficiente consensu nihil agitur. *l. 1. §. 1. in fin. ff. de Pactis. l. Obligamur. ff. de act. & obligat.* Consensus enim est illud ens transcendentale; quod in omnibus dispositionibus humanis est o-
15 mnino necessarium; & actus gestus sine consensu est tanquam cymbalum tinniens, dans sine mente sonum; ut eruditè demonstrat Paul. Rubeus *in annotat. ad Rotam Roman. part. 8. dec. 1. numer. 1. & seqq. ubi numer. 8.* subdit, quod ex antris cavernosis nulliatum, non erumpit rabiosior ventus Australis, quàm iste nullitatis consensus, aptus ac valens ad omnia radicitùs subvertenda, ac prosternenda: *& in Annot. ad decis. 254. part. 9. recent. num. 48. & 49.* addit, defectum intentionis esse venenum inficiens omne compositum, adeo ut sicuti.

Contra vim mortis non est medicamen in hortis:

Ita contra vim defectus consensus, & intentionis non reperitur aliquod pharmacum legale; quod docuit etiam Cardin. Paris. *cons 54.*
16 *num. 41. & seq. lib. 1. & cons. 86. numer. 40. lib. 3.* & Rota *decis. 741. num. 3. in fin. part. 3. recent. & part. 12. decis. 296. num. 32.* Porro mutuatarius, qui solvit usuras fœneratori, eatenùs illas solvit, quàtenùs credit, eas esse de Jure
17 debitas, & ad illas solvendas ex Justitia teneri; itaut si sciret, nullam extare obligationem, nullam quoque haberet intentionem, seu voluntatem eas solvendi. Igitur solutio usurarum quæ non est de Jure debita (imò est de Jure prohibita) tanquam sine consensu, & voluntate solventis facta, effectum nullum operatur, & nihil valet ad transferendum dominium. Bonacina *d. tom. 2. de contract. disput. 3. quæst. 3. punct. 14. num. 1. vers. Secundo.*

Quintò. Valet argumentum de parte ad to-
18 tum. *l. Quæ de tota*, in princ. ubi Gloss. & Bart. *ff. de Rei Vindic.* nam ejusdem Juris censetur esse pars, & totum. Menoch. *consil. 854. num. 10.* Rota *dec. 174. numer. 5. part. 1. recent.* & coram Eminentiss. Cardinali Cerro *decis. 147. numer. 7.* Sed per solutionem rei usurariæ non transfertur in Usurarium Jus ad rem ipsam, quod est quædam pars dominii, Molin. *de contract. d. disp. 326. numer. 5. Vers. Tertio non minus.* nullus enim inficiari potest; mutuatarium retinere Jus ad rem illam petendam. Ergo multò minùs transfertur Jus in re, ideò totum dominium ejusdem rei.

Sextò. Si Usurarius acquireret dominium rei ob usuram sibi traditæ, non teneretur restitu-
19 ere eamdem omninò rem, sed valorem illius. Molin. *dict. disput. 326. numer. 5. Vers. Adde.* At consequens est falsum, quia rem ipsam tenetur restituere. Molin. *ibidem.* Salas *de Usur. d. dub. 38. sub. num. 5. Vers. Tertiò.* Ugolin. *d. tract. cap. 12. §. 1. num. 4.* & Tambur. *de Tripl. Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. num. 6.* Ergo.

Septimo. Usurarius in Jure vocatur fur, & raptor. *cap. Si quis usuram. 14. quæst. 4.* Sed per furtum, & rapinam dominium non acquiri-
20 tur furanti, vel raptori. *cap. Quid dicam. 14. quæst. 4. l. ult. ff. Usufructuar. quemadm. caveat.* Molin. *disput. 327. numer 8.* Ergo neque Usurario. Rebell. *d. lib. 8. quæst. 14. numer. 4.* & Salas de Usur. *d. dub. 38. numer. 5. Vers. Decimo.* Leotard. *eodem tract. quæst. 95. numer. 4.* & Scaccia *de Comerc. §. 1. quæst. 7. part. 2. ampl. 19. num. 64.*

Octavò. Valet argumentum à simili. *cap. In causis. De re jud. l. Non possunt. ff. de legibus.* Sed, 21
si quid detur Simoniaco, ut spiritualia conferat, non transfertur dominium. *cap. De hoc. cap. Veniens. De Simon. & Extravag. 2. eod.* Salas *de Usur. d. dub. 38. numer. 5. Vers. Septimo.* Sanchez *Cons. Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 112. 113. & 114.* Ergo.

His, & aliis argumentis amplexati sunt hanc opinionem Molina *d. disput. 326.* Layman, *lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 7.* Petr. Navarr. *de Restit. libr. 3. cap. 2. numer. 388.* Angel. & cum eo Ungarell. *Verb. Usura 2. numer. 18.* Sylvest. *Usura 6. quæst. 1.* aliique plurimi, quos cumulat, & sequitur Salas *de Usur. d. dub. 38. numer. 3.* Rebell. *d. lib. 8. quæst. 14.* Et novissimè Mastrius *in Theolog. Moral. d. disp. 5. num. 81.* Leotard. *d. quæst. 95. num. 4.* Ugolin. *de usur. dict. cap. 12.* Menoch. *d. cons. 300.* & Scaccia *de Commerc. §. 1. quæst. 1. num. 537. & quæst. 7. ampl. 19. num. 69.*

Alii tandem neque primæ, neque secundæ opinioni adhærentes tertiam elegerunt, quæ 22
ita distinguit. Vel usura soluta est in rebus functionem habentibus, & consumptibilibus, velùti pecunia, frumento, oleo, furgo, & similibus & tunc si Usurarius illas commiscuit cum aliis suis consimilibus rebus, ita ut nequeant amplius discerni, acquisivit earum dominium; cum obligatione tamen restituendi earumdem valorem. Vel discerni adhuc possunt, & nondum fuerunt immixtæ; & in hoc casu dominium non acquisivit, & multo minùs si res sint, quæ functionem non admittunt, neque consumi de facili possunt, puta vestis, equus, prædium. Ita *per text. in §. Si duorum. 27. & §. Quod si frumentum. 28. Instit. de Rer. divis. & l. Si alieni. 78. ff. de Solut.* docet Tamburin. *de Tripl. Jur. d. libr. 9. tract. 1. cap. 7. §. 1. num. 7.* Molin. *dict. disput. 326. numer. 6.* Lessius *dict. lib. 2. cap. 20. num. 156.* & Azor. *d. part. 3. lib. 5. cap. 11.*

Prima, & Tertia ex his opinionibus probabiles sunt; sed probabilior est secunda, quæ Curiæ nostræ magis arridet: si quidem de Jure sive res ob Usuram soluta sit commixta cum rebus ipsius fœneratoris, sivè non; semper remanet in dominio mutuatarii solventis, donec extet, & non sit consumpta; ea ratione, 23
quia per immixtionem rei meæ cum re alteri-us, etiam me inscio, vel invito factam, ego non perdo dominium ejusdem rei meæ; ut docet Imperator Justin. *in d. §. 27. & 28. De Rer. divis.* Neque obstat *text. in dict. l. Si alieni 78. ff. de Solut.* ubi dominium dicitur acquisitum ab eo, qui nummos alienos sibi solutos accepit, & immiscuit cum suis; si quidem illa dominii acquisitio non processit ex sola immixtione pecuniæ solutæ; sed ex bona fide, & justo titulo, quo fuit recepta solutio, ut eruditè declarant Julius Pacius, & Anton. Pichard. *ad d. §. 28. Inst. de Rer. divis.*

Et hinc est, quod plures Theologi, etsi non attigerint hanc legalem responsionem ad *d. l. Si alieni*; nihilominus dicunt, mutuatarium retinere jus in re, & pecunia permixta; ad effectum ut ex illo pecuniarum cumulo sibi sit satisfaciendum ante alios creditores. Lessius *d.*

cap.

cap. 20. *numer.* 157. Azor. *dict. cap.* 11. *in fin.* Trullench. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 19. *dub.* 17. *num.* 2. quod absque ulla hæsitatione scripserunt etiam Juris periti Leotardus *de Usur. d. quæst.* 95. *num.* 5. Ugolin. *d. cap.* 12, §. 1. *num.* 4. & Menoch. *d. cons.* 300. *num.* 31.

Resolutio argumentorum primæ opinionis, brevitatis causa, omittitur, quæ à volentibus legi poterit apud Molin. *d. disput.* 326. apud Salas *dict. dub.* 38. & apud Menoch. *dict. cons.* 300. Similiter responsiones ad agumenta secundæ opinionis extant apud Card. de Lugo *dict. disput.* 25. *à num.* 206. *& seqq.*

24 Cæterum ex huc usque dictis, notare animarum Rectores debent, quantum sit eis vigilandum in audiendis confessionibus tùm fœneratorum, tùm eorum, qui à fœneratoribus bona recipiunt; sivè oneroso titulo, sivè lucrativo, siquidem hi omnes tenentur ad restitutionem rei usurariæ. Leotard. *de Usur. dict. quæst.* 95. *num.* 32. *&* 35. & non solùm ipsius rei, sed etiam fructus ejusdem; etiam si fuerint bonæ fidei possessores in illa summa, in
25 qua facti sunt locupletiores; ut plenè demonstrat DD. de hac re agentes, & præcipuè Ugolin. *de Usuris d. cap.* 12. *per totum*, & Clerus noster. in *Decis.* 48. *prox. seq.* Et ex hac etiam annotatione desumere poterunt DD. Parochi argumenta ad objurgandos in suis concionibus contractus illicitos, usurarios, & fœneraticios, ex quibus præter lethalem culpam tantis obligationibus afficiuntur omnes, qui res usurarias attingunt: adeò ut non absque causa majores nostri scripserint, *Usurarios omnibus esse odio,*
26 *& apud cunctas nationes habitos viles, abjectos, & vituperabiles, ut universa eorum bona dicerentur bona diaboli, & abhorreret quilibet aspiciendo eorum domum vel agrum; nemo de eorum domo ignem sumeret, nemo ab eis in Ecclesia osculum pacis acciperet, & de occursu eorum pueri expavescerent;* Undè non mirum, si ut plurimum Usurarii velut animalia bruta moriuntur, imò quandoque terribili Dei judicio à dæmonibus rapiuntur; teste D. Antonin. *in tract. de Usur. in princip. num.* 30. *& seqq.* Peguera *decis.* 31. *num.* 19. Marian. Socin. *in rubr. de Usur. num.* 28. & novissimè Illustriss. Episcop. Sperellus *decisio.* 116. *numer.* 27. *&* 28.

DECISIO XLVIII.

ARGUMENTUM.

Quia ex re per Usuram acquisita sæpè nascuntur fructus; ideò disputatur an eorumdem Usurarius Dominus fiat.

SUMMARIUM.

1. *Fructuum quintuplex divisio. Et quæ?*
2. *Fructuum naturalium rei Usurariæ Usurarius non fit dominus.*
3. *Fructus, & fructuum fructus ab Usurario restituendi.*
4. *Expensæ in fructibus colligendis retinentur ab Usurario.*
5. *Tritico ex usura seminato Messis est seminantis.*
6. *Fructus Civiles Rei Usurariæ non fiunt Usurarii.*
7. *Fructus Industriales è re Usuraria cujus sint?*
8. *Fructus non percepti ob negligentiam è re Usuraria restituendi.*
9. *Fructus, quos mutuatarius non percepisset, an restituendi?*
10. *Radix qualis, rami tales.*
11. *Commodum ex sua iniquitate nemo debet reportare.*
12. *Res empta sequitur naturam pecuniæ, quæ emitur.*
13. *Possessiones Usurariorum vendendæ pro restitutione Usurarum.*
14. *Res empta cum aliena pecunia est emptoris.*
15. *Res sterilis eam laboranti fructificat.*
16. *Usurario veniunt fructus rei emptæ cum pecunia Usuraria, sed restituere debet ipsam pecuniam cum damno emergente, ac lucro cessante.*

Quæritur itaque, *An Usurarius acquirat Dominium fructuum ejusdem rei Usurariæ?*

REstringendo, quæ sparsim pro resolutione 1
hujus Quæsiti scripta fuere per Clerum nostrum; cum in quintuplici differentia sint fructus, de quibus quæritur, videlicèt, Naturales, Civiles, Industriales, Neglecti ab ipso Fœneratore, & Neglecti à Mutuatario; ideò notandæ sunt quinque conclusiones.

Prima conclusio. Fructuum naturalium (illorum scilicèt, qui à natura proveniunt, ut planta, poma, glandes, nuces, herba, fœnum, partus animalium, & similia. *leg. Fructus* 45. *ff.* 2
de Usuris. Sanchez *in decal. lib.* 2. *cap.* 23. *à num.* 48.) è re Usuraria collectorum Usurarius non acquirit dominium; sed sunt mutuatarii, à quo rem illos producentem accepit; & ideò eidem mutuatario debet eos restituere. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 3. Molin. *disput.* 327. *num.* 4. Salas de Usur. *dict. dub.* 39. *num.* 2. Jo. Baptista Lupus *eod. tract. Comment* 4. §. 3. *num.* 57. & Leotard. *dict. quæst.* 95. *num.* 12. ubi plures *text.* allegat, *& num.* 13. subdit, non 3
solùm fructus, sed etiam fructuum fructus esse à fœneratore restituendos; puta, si fortè pecora, vel vaccas, aut animalia, quæ pariunt, & faciunt fructus per fœnus extorserit; exemplo ejus, qui alienam hæreditatem invasit, & possidet, quem partus partuum restituere debere constat ex *l. Quod si oves* 29. *ff. de Petit. hæred* & ex *l. Illud* 43. §. *Prædo. eod. tit.* quod docent etiam Garz. *de expens. cap.* 23. *num.* 47. & Munoz *de Ratiocin. cap.* 18. *num.* 3. Cum enim primi partus sint mutuatarii, consequens est, ut ejus etiam sint partus, & fœtus alii ex primis provenientes.

Cæterum hic tria notanda sunt. 1. Quod Usurarius potest sibi retinere sumptus, quos fecit in his fructibus colligendis; hoc enim etiam furi, & prædoni conceditur ob naturalem æquitatem *l. Fundus,* 52. *ff. Famil. herciscundæ. leg. Fructus* 7. *ff. Solut. matrim. d. l. Si à patre* 39. *in fine ff. de Petit. hæred.* Beroius *in cap. Naviganti. num.* 76. *de Usur.* Salas *dict. dub.* 39. *num.* 2. Rebellius *dict. lib.* 8. *quæst.* 15. *numer.* 2. & Abb. *in cap. Ad nostram n.* 8. *in fin. De rebus Eccles. non alien.* 2. Quod si fœnerator coluisset agros per fœnus extortos, & in restitutione eorumdem, ac fructuum perceptorum prætenderet partem colonicam, id est dimidiam partem fructuum pro cultura, & sumptibus, non esset audiendus, non enim haberi debet tanquàm colonus partiarius, cui cum domino quædam quasi societas est. *l. Si merces* 28 §. *Vis major. ff. Locat.* Sed tractari debet tanquàm malæ fi-

dei

dei possessor, ei dumtaxat sumptus, & pretium sui laboris concedendo ex doctrina Baldi, & Saliceti *in l. Si quis sciens* 11. *numer.* 1. *C. de rei vindic.* quos refert, & sequitur Leotard. *de Vsur. d. quæst.* 95. *numer.* 31. 3. Quod si fœnerator triticum ex usura extortum seminasset in agro suo; fructus, & messis ex hoc semine extorta non esset restituenda; sed sola quantitas tritici extorti per usuram; talis namque messis non est fructus præditi tritici, sed fructus agri sui juxta textum in *l. Qui scit* 25. *in princip. ff. de Vsur.* ut notat idem Leotard. *d. quæst.* 95. *num.* 15. & Salas *de Vsur. d. dub.* 39. *num.* 4. & 5. ubi tamen advertit, quòd si interim tritici usurariè acquisiti pretium creverit, incrementum cedit mutuatario, licèt in illud tempus non fuisset ipsum servaturum, nam dominus est, & incrementum valoris rei pertinet ad dominum. 5

6 *Secunda Conclusio.* Civilium fructuum è re Usuraria provenientium Fœnerator dominium non acquirit. Tales sunt, qui non industria hominis, aut beneficio naturæ proveniunt; sed vigore juris, nempè pensiones domorum, livelli, vecturæ equorum, navium, & similium *l. De fructibus.* 18. *ff. de Donation. inter Vir. & Vxor. l. Divortio.* 8. §. *De pensionibus. ff. Solut. Matrim.* Ant. Pichard. *lib.* 2. *Instit. tit.* 1. §. *si quis à non domino* 34. *num.* 7.

7 *Tertia Concluſio.* Fructuum verò, quos è re usuraria Fœnerator per industriam suam percipit, dominium acquirit: cum hac tamen obligatione, ut præter restitutionem ejusdem rei usurariæ, teneantur restituere Mutuatario totum lucrum cessans, vel damnum emergens ex eo, quod res illa restituta non fuerit. S. Thom. 2. 2. *dict. quæst.* 78. *artic.* 3. Angel. *Verb. Vsura* 1. *num.* 55. Sylvestr. *eod. Verb.* 6. *quæst.* 2. Rebell. *dict. lib.* 8. *quæst.* 15. *num.* 4. qui exemplificant de pecunia fœnebri, quam negotiando Usurarius industria sua reddit sibi fructiferam; & Mastrius *in Theol. moral. d. disput.* 5. *num.* 85. ubi dat exemplum de Instrumento artificis, cum quo quis alius laborando lucrum perciperet, nam tenetur quidem ad restitutionem Instrumenti, lucrivè cessantis, aut damni emergentis vero domino; non etiam utilitatis ex suo labore perceptæ. *l. Si ex ea pecunia* 6. *C. de Rei Vindic. & l.* 1. *C. Si quis alteri*, vel *sibi.*

Quarta conclusio. Ulterius fœnerator tenetur restituere etiam fructus, quos ex re Usuraria neglexit percipere; si dominus eos percepturus fuisset; quod omnes DD. notant per *l. Præterea* 20. *ff. de Rei vindic. & l. Si navis* 62. *& Generaliter eod. tit.* Rebellius *dict. lib.* 8. *quæst.* 15.
8 *num.* 3. Reginald. *lib.* 10. *num.* 396. Molin. 327. *num.* 4. Salas *d. dub.* 39. *num.* 2. *in fin.* Leotard. *d. quæst.* 95. & Ugolinus *de Vsur. capit.* 16. *num.* 4.

Quinta Concluſio. Tandem fœnerator debet restituere etiam fructus, quos mutuatarius non fuisset percepturus è re sua, si ex eadem re per usuram extorta fœnerator ipse poterat percipere, & non percepit. Leotard. *dict. quæst.* 95. *à num.* 24. *& seqq.* ubi hanc conclusionem
9 firmat juribus, & rationibus; & quamvis Theologi communiter contrarium teneant, eò quia in tali casu fœnerator non videtur obligatus ratione rei acceptæ, nam ex ea fructus non habuit, damni illati, cum mutuatarius nihil esset ex eadem percepturus. Rebell. *dict. libr.* 8. *quæst.* 15. & Salas *dict. dub.* 39. *numer.* 2. Nihilominùs à nostra conclusione non est recedendum; siquidem in possessore malæ fidei exiguntur etiam fructus, quos Dominus neglexisset; id enim domino licebat. *l. in re mandata* 21. *C. Mandati.* Sed ipsi malæ fidei possessori hoc non licet, *l. Si quid* 34. §. *sicut. ff. de Petit hæredit.* & tenetur de culpa, & negligentia. §. 2. *Instit. De offic. Judic. l. Sed etsi* 28. §. 4. *de Pet. hæred. l. Domum* 5. *C. de Rei vindic. l. Si pupilli* 6. *in fin. ff. de Negot. gest. l. Ea igitur* 13. *de Pignor. act.* Bart. & Bald. *in l. Domum. C. de Rei Vindic.* Boer. *decis.* 268. Garzias *de expens. cap.* 23. *numer.* 50. Leotard. *d. quæst.* 95. *numer.* 24. 25. & 26. & Anton. Pichar. *Institut. lib.* 4. *tit.* 17. §. 1. & 2. *n.* 66. & 67.

Sed quid dicendum ad sequens quæsitum? Scilicèt. *An Vsurarius dominium acquirat fructum rei emptæ pecunia Vsuraria?*

Aliqui negarunt.

Primò. Quia *si radix sancta, & rami. Rom.* 11. Ergo. Si radix infecta, & rami. Sed pecu- 10
nia Usuraria est injustè acquisita, & obnoxia restitutioni. Ergo & res empta ex illa.

Secundò. Nullus debet commodum reportare ex iniquitate sua. *l.* 1. *ff. de Dolo l. Non* 11
fraudantur. De Reg. Jur. sed Usurarius reportaret commodum ex iniquitate sua. Ergo.

Tertiò. Res empta per pecuniam Usurariam, succedit in locum illius pecuniæ. *l. Si & rem.* 12
25. *ff. de Pet. hæred.* Sed ejus pecuniæ Usurarius non erat dominus, ut firmavimus supra ad primum Quæsitum. Ergo nec rei emptæ cum illa, Et hanc opinionem tenent, Altisiodor. & Hostien. *in cap. Tua nos. De Vsur.* Bald. *in l.* 1. *C. Pro socio*, & Dec. *in l. Certa conditio. §. ult. n.* 3. *ff. Si cert. pet.* nec non Molin. *disput.* 327. *numer.* 1. & Salas *de Vsur. dict. dub.* 39. *numer.* 1.

Alii affirmarunt.

Primò. Per *text in cap. Cum. tu,* 5. *De Vsuris,* ubi Alex. III. præcipit, quando non sunt alia 13
bona, undè Usuræ restituantur, vendi possessiones ab usurario emptas per pecuniam usurariam, ut restituantur usuræ. Ergo re vera possessiones illæ erant usurarii, & non venditoris aut mutuatarii. Salas *de Vsur. d. dub.* 39. *sub. num.* 3.

Secundò. Per *text. in l.* 1. *& in l. ultim. C.* 14
Si quis alteri, vel sibi. in l. Quamvis. 17. *C. de Pignorat. act. in l. Ad probationem* 21. *C. de Probat. in l. Si ex pecunia.* 6. *Cod. de Rei vendicat.* In quibus juribus habetur, rem emptam, etiam mala fide emptoris ex pecunia mea, non esse meam, sed esse ementis. Ergo rem emptam pecunia usuraria erit usurarii.

Tertiò. Res, quæ de sui natura est sterilis, 15
sed ex industria alicujus fructificat, hæc non domino, sed operanti fructificat. Salas *dict. dub.* 39. *numer* 3. Molin. *dict. disputat.* 327. *num.* 5. 6. 7. Sed pecunia est de se sterilis. Ergo si quem fructum reddit ex industria usurarii cum ea aliquid ementis, ipse rei emptæ habet dominium.

Hanc affirmativam opinionem recipit Curia 16
nostra; est enim communis apud DD. Molin. & Salam ubi proximè; Rebell. *d. lib.* 8. *quæst.* 15.

15. *num.* 4. Sylveſt. *Verb. Uſura* 6. *quæſt.* 2. Covar. 3. *Reſol. cap.* 3. *num.* 6. & Tamburin. *de Tripl. Jur. d. lib.* 9. *tract.* 1. *cap.* 7. §. 1. *num.* 13. & Maſtrium *in Theolog. Moral. d. diſput.* 5. *num.* 86. Qui omnes tamen advertunt, fœneratorem obligatum eſſe non ſolùm pecuniam uſurariam reſtituere mutuatario, ſed etiam damnum emergens eidem, vel lucrum ceſſans, ob dictæ pecuniæ detentionem.

Neque obſtant argumenta contraria.

Non Primum. Quia pecunia uſuraria non eſt radix, ſed materia, per quam induſtria operantis rem acquirit, & argumentum procedit in radice naturali, ſecùs autem in metaphorica, ut ait Salas *d. dub.* 39. *num.* 4.

Non Secundùm. Quia licèt principaliter quis non debeat ex dolo ſuo commodum reportare, ex accidenti contrarium permittitur, prout eſt lucrum ex meretricio actu. Salas, Rebell. & Molin. *ubi ſup.*

Non Tertium. Quia procedit in Juribus univerſalibus, ut hæreditatibus, vel fideicommiſſis. Molina *d. diſput.* 327. *in fin.* & Rebell. *d. lib.* 8. *quæſt.* 15. *num.* 5. vel axioma illud eſſe intelligendum non reſpectu unius, & ejuſdem domini, ſed diverſorum juxta legum diſpoſitionem. Salas *d. dub.* 39. *num.* 4. *Verſ. Facilius tamen reſpondetur.*

DECISIO XLIX.

ARGUMENTUM.

Diſquiritur, An lucrum majus, ſed incertum, poſſit emi minori lucro, ſed certo? Item an credita difficilia vendi poſſint minori pretio?

SUMMARIUM.

1. *Aſſecuratio lucri incerti per minus lucrum certum an licita?* & num. 7.
2. *Societatis natura quænam ſit?*
3. *Sixti V. Bulla contra pacta illicita in Societatibus.*
4. *Contractus trium contractuum an licitus? Rationes, quòd ſit.*
5. *Periculum rei in quocunque contractu poteſt ex pacto pertinere ad accipientem illam.*
6. *Socius unus an poſſit nolle ſentire partem damni?*
7. *Conditiones duæ ſervandæ in contractu trium contractuum aſſecurationis.*
8. *Credita difficilis exactionis an vendi poſſint minori ſumma?*
9. *Affirmativæ opinionis rationes. Negativæ* num. 10.
11. *Difficile ſi non ſit emptori, quamvis venditori, an licitum?*
12. *Equus ferox an vili pretio emi poſſit ab eo, qui ſcit illum domare?*
13. *Minori pretio poteſt creditum emi propter pericula litium.*
14. *Divites, ac potentes, qui defatigant creditores ſuos, peccant.*

MErcator petit à te Ducatos mille ad mercaturam proſequendam; aſſerens, & offerens tibi ex ea ſexdecim Ducatos lucri pro centenario poſſe obvenire. Tu Ducatos octo pro centenario, ſed certos, cum Mercatore prædicto habere paciſceris. Quæritur, An absque labe fœneratitia?

Quia de juſtitia hujus Caſus magna eſt controverſia, & variæ Doctorum Sententiæ, ideò diſcordantia fuerunt reſponſa ſtudentium; alii enim in eo agnoverunt labem fœneratitiam, alii illum tanquam immunem ab ipſa patrocinati ſunt.

Labem fœneratitiam eſſe in hoc caſu pluribus viſum fuit. Quia 1

Primò. Ibi eſt fœnus, ubi eſt mutuum cum lucro. Sed hic caſus continet mutuum cum lucro. Ergo in eo eſt fœnus. Minorem probat Sotus *de Juſtit. & Jur. lib.* 6. *quæſt.* 6. *art.* 2. ex eo, quòd per aſſecurationem pecuniæ à mercatore recipiente factam, cenſetur in eum translatum pecuniæ dominium, ſaltem virtualiter; ita ut pro ſuo libito de ea diſponere poſſit, ac ſi mutuò eam recepiſſet.

Secundò. Tunc fœneratitia labes in hoc caſu non eſſet, ſi ſocietas contracta fuiſſet. Sed conſequens dici non poteſt; ſiquidem formalis ratio ſocietatis eſt, ut æquale ſit damnum, & lucrum inter ſocios. §. *De illa. Inſt. De Societ. l. Verum* 63. *ff. Pro ſocio.* Ergo neque antecedens. 2

Tertiò. Si licitus appellaretur hic caſus, magnum aperiretur oſtium uſuris; nemo enim mutuare amplius vellet, ſed ſub colore negotiationis lucrum ultra ſortem paciſci. Rebell. *de oblig. Juſt. lib.* 15. *quæſt.* 4. Ergo.

Quartò. In Bulla Papæ Sixti Quinti, Incipien. *Deteſtabilis Avaritiæ,* (quæ eſt 45. *in* 2. *tom. Bullar.*) illicitum declaratur pactum, quo ab uno ſocio conferente capitale exigitur lucrum certum etiam in caſu, quo nihil lucri haberetur. Sed tale eſt pactum in noſtro caſu. Ergo. Ideò ita ſentiunt Abb. *in cap. Per veſtras num.* 11. *de Donat.* Sotus *ubi ſupra.* Azor. 3. *part. lib.* 9. *cap.* 3. *quæſt.* 9. Rebell. alios allegans *d. lib.* 5. *quæſt.* 4. Reginald. *cap.* 29. *num.* 398. Lopez, Parladorius, Malder. & alii apud Leotardum *de Uſur. quæſt.* 31. *num.* 12. 3

Nihilominùs nullam eſſe fœnoris labem in ſupradicto caſu alii plurimi ſcripſerunt, ſuppoſitis in eo illis tribus contractibus, quos fieri debere docet Navar. *in Man. cap.* 17. *à num* 254. Primum ſcilicèt ſocietatis, ſecundum aſſecurationis capitalis, & tertium certi lucri ad tollendas moleſtias, & ſuſpiciones computorum; relinquendo pro his duobus ultimis contractibus aliquam lucri portionem mercatori aſſecuranti pro compenſando ſuſcepto periculo: Nam. 4

Primò. Hi tres contractus ita ſecundùm ſe liciti ſunt, ut ſi cum diverſis perſonis fiant, reprehendi non poſſint. Cardinal. de Lugo *de Juſtit. & Jur. diſput.* 30. *num.* 4. Ergo à reprehenſione immunes quoque eſſe debent, ſi ſpontè, & abſque malitia inter eoſdem ſocios firmentur.

Secundò. Omnes contractus ſunt liciti, in quibus ſervatur æqualitas inter contrahentes, & ſi alicui majus periculum detur, eidem per majus lucrum compenſatio concedatur. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 26. Molina *diſput.* 417. & eſt *text. in l. Mutius. ff. pro ſocio.* Sed ita fit in caſu iſto. Ergo licitus eſt cenſendus.

Tertiò. De natura commodati, locati, & depoſiti eſt, ut periculum rei traditæ ſpectet ad dominum ejuſdem rei; & tamen fas eſt paciſci ſub juſta mercede, ut totum periculum ad recipientem pertineat. Ergo ſimiliter in ſocietate. Ita Molin. *d. diſput.* 317. *num.* 2. 5

Quartò. Allegant DD. *cap. Per veſtras. de Donat. inter Vir. & Uxor.* ubi præcipitur, dotem uxoris tradi mercatori ad ſecuram negotiationem. Sed non convincit hic textus, quia poteſt intel- 6

ligi de morali securitate tantùm. Ideò meliùs facit tex. *in l. Si non fuerint. 29. ff. Pro socio*, ubi dicitur, *ita coiri societatem posse, ut nullam partem damni alter sentiat*, quod aliter fieri non potest, nisi contractui societatis addatur contractus assecurationis. Ergo est licitus.

Hanc opinionem tanquàm communiorem dicimus amplectendam, prout eam communiter amplectuntur Theologi, quos allegat, & eorum verba refert Lessius *d. lib. 2. cap. 25. num. 23.* Cardin. Tolet. *lib. 5. cap. 41.* Bonacin. *de Contr. d. tom. 2. disp. 3. quæst. 3. punct. 11.* Cardin. de Lugo *d. disp. 30. num. 40.* Diana *part. 1. tract. 8. resol. 30.* Quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 49.* Nec non Canonistæ, & Jurisperiti citati per Leotard. *d. quæst. 31. num. 13.* inter quos Covaruv. *Var. resol. libr. 3. cap. 2. num. 4.* Ugolin. *de Usur. capit. 55. §. 1.* Scaccia *de Commerc. §. 3. gloss. 3. num. 37.* Marescot. *Var. lib. 2. cap. 133. num. 21.* Gratian. *discept. forens. cap. 360. num. 10.*
7 *& 11.* duobus tamen servatis requisitis. Uno, quod mercator iste verus sit Mercator, & mercaturam ex hac pecunia exercere velit. Altero, quod non cogatur assecurare capitale, & lucrum socii, sed ultroneus sit in hac assecuratione facienda. Vide infra *Decis. LXXVIII.*

Non obstant argumenta contraria. Non *Primum:* quia expressè negatur, in hoc casu inesse mutuum; & eo minùs transferri dominium pecuniæ; id enim non operatur Assecuratio, prout de locato, commodato, & depósito notum est; & si mercator moreretur, extante ea pecunia, vindicari posset à te, cum prælatione respectu aliorum creditorum, ut probat Cardin. de Lugo *d. disp. 30. num. 43.* Non *Secundum*, quia æqualitas inter utrumque contrahentem servatur, attenta compensatione periculi, & incertitudinis lucri, quæ fit concedendo Mercatori operam contribuenti medietatem lucri, quæ moraliter proveniret tibi danti ducatos mille. Et quamvis hæsitandum esset de justitia compensationis in proposito casu; eò quia lucrum certum octo ducatorum pro centenario videtur magnum; & remissio aliorum octo ducatorum pro assecuratione sortis, & certitudine lucri videatur parvum; nihilominùs (attenta doctrina Cardinal. de Lugo *d. disp. 30. num. 40.* concedentis octo pro securitate capitalis, & lucri; & Lessii *d. lib. 2. cap. 25. num. 26. & 27.* id judicio peritorum remittentis) non est arguendus de injustitia casus noster; mercator enim, si moraliter cognoscit, tibi sexdecim ducatos lucri pro centenario posse obvenire; & de periculo capitalis parvam, aut nullam suspicionem habet, justam compensationem suæ promissionis, & securitatis reputat, recipiendo à te medietatem lucri tui, dando tibi pro centenario aliam medietatem. Non *Tertium*; quia ubi pecunia detur Mercatori verè, & realiter mercaturam facienti, non est dicendum, aperiri ostium usuris, quod procederet, si passim cuicumque etiam non mercatori traderentur nummi (quod in praxi est semper cavendum) aliàs neque census, neque livelli redimibiles fieri possent; cum etiam in eis, nisi fundus verè venderetur, usura esset, ut notat idem Cardinal. de Lugo *d. disp. 30. num. 55.* Non *Ultimum* de Bulla *Papæ Sixti V.* quia per ipsam non prohibentur pacta licita in societatibus, sed illicita tantùm; ut testantur Cardinal. de Lugo, & Lessius, *ubi supra*, ac Leotard. *d. quæst. 31. num. 13.*

Quare concludendum est, nullam labem fœneratitiam extare in casu nostro; supposita tamen ea necessaria observatione, de qua diximus supra; nimirùm, quòd Mercator non adstringatur invitus ad assecurationis contractum, sed ipse sponte, & liberè velit, assecurator esse. Cardinal. Tolet. *d. lib. 5. cap. 41. Vers. Adverte tamen.*

Porrò alter casus est examinandus, qui in praxi est frequentissimus.

TU creditor es Ducatorum mille, quos tamen, nisi difficillimè potes exigere. Antonius dat tibi octingentos cum pacto, ut ei cedas creditum tuum Ducatorum mille. Quæritur, An sit Usura? 8

Pro facili hujus Casus resolutione, duo alii casus à doctioribus examinati sunt.

Primus fuit: quando creditum est difficile ex eo, quia in ejus exactione necessariæ sint expensæ, molestiæ, pericula, & immineant damna.

Secundus, si prædictæ expensæ, molestiæ, pericula, & damna, quamvis cuicunque exactori immineant; non tamen ipsi Antonio, ob ejus vel amicitias, vel industriam.

Circa Primum suppositum casum, concorditer omnes Doctores docent, licitum esse emere 9
creditum exigendum minori summa, quàm sit; siquidem ratione expensarum, molestiarum, periculorum, & damnorum, tantum potest detrahi de summa debiti in pretio, quanti hæc omnia æstimari poterunt. Molina *disp. 361.* Salas *de Usur. dub. 27. num. 4. & de Empt. & Vend. dub. 39.* Lessius *d. lib. 2. cap. 21. dub. 8. & 9*, ubi ait, tantam esse posse difficultatem, vel incertitudinem solutionis, ut possit dimidio valore emi; quod approbat Cardinal. de Lugo *disp. 26. num. 93. & seqq.* ubi ex hoc deducit, illicitam esse hanc emptionem crediti minori summa, quando nullæ forent molestiæ, aut expensæ, seu pericula, vel damna; quamvis enim eam admittant Cajetan. *Verb. Usura, c. ultim.* Sà *Verb. Debitum, num. 20. &* 21. & Sanchez. *lib. 1. consil. cap. 7. dub. 17.* ubi alios allegat; ea ratione, quia non videtur in 10
hoc casu esse mutuum neque reale, neque virtuale, sed simplex venditio crediti, & juris exigendi illud; attamen non servatur æqualitas pretii cum re empta, dando scilicèt ducatos mille in pretium octingentorum, & sic resultat injustitia, & cum nullum aliud subsit periculum, vel incommodum, quàm dilatio exactionis, insurgit mutuum virtuale, in quo ratione temporis lucrum exigitur, undè omnes contractus usurarii excusari possent sub hoc prætextu; & ideò omninò illicitum esse hunc casum, sivè ob injustitiam, sivè ob usuram firmat Cardin. de Lugo *d. disp. 26. num. 96. & 97.* Molin. *disp. 361.* & plurimi congesti à Salas *de Usur. d. dub. 27.* nec non à Diana *d. par. 1. tract. 8. resol. 49.* Quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 80.* in qua tamen contrarium probabile etiam ferè affirmat.

Circa verò secundum suppositum casum; non esse licitum Antonio emere minori pretio creditum difficile, & periculosum quoad alios, sed non quoad se ipsum ob suam industriam, vel amicitias (eo quia respectu Antonii idem est, ac si nullum esset periculum, vel incommodum) voluerunt Salas *de Usur. d. dub. 27. num. 8.* Mald. Molfes, & alii apud eundem Cardinal. de Lugo 11
ubi suprà num. 94. Contrarium tamen est verius; & ratio est, quia valor rei non debet sumi ex utilitate privata Antonii, sed ex communi æstimatione, qua communiter æstimaretur, si

propo-

proponeretur venalis; undè cum in communi æstimatione creditum illud minoris æstimetur, quàm sit, fortunæ Antonii imputandum est, quòd ei commoda sit ejus exactio. Sicut, si equum indomitum, & ferocem, quem ea de causa alii emere recusant, Antonius vili pretio emat, sciens peculiarem modum illum domandi, justè emit; quia in communi æstimatione non plus valebat, sed ejus industriæ imputa-
12 tur, quòd mansuescat, ut exemplificat Cardin. de Lugo *d. disput. 26. num. 94.* & docuerunt Molina *d. disput. 361.* Lessius *lib. 2. cap. 21. num. 76.* Bonacin. *dict. tom. 2. disput. 3. de Contract. quæst. 3. punct. 10.* & ipse Salas sibi contrarius *de Empt. & Vend. dub. 40.*

13 His ita constitutis facilis est resolutio propositi Casus; videlicèt, esse Usuram, si difficultas exigendi Ducatos mille consistat in solo tempore, neque opus sit alio, quàm dilationem temporis: nullam autem esse Usuram, vel injustitiam, si insint pericula, lites, molestiæ, aliævè difficultates damnum, vel lucrum cessans, causantes; ut tenent, præter Doctores supra allegatos, novissimè Nicolius *in Instit. Civil. lib. 3. tit. 15. sub num. 12. limitatione sed;* & Cæsar. de Panimoll. *in Idea sedandi Jurgia Constitut. 5. num. 24.* ubi observat, secùs esse dicendum, si emptor esset principalis debitor, & ipse causaret difficultates, ut in praxi sæpè evenit cum potentiori-
14 bus, qui defatigant creditores suos, potissimùm religiosos, & pia loca, ut eos obligent acceptare debitum in minori summa, vel deteriori qualitate; hi enim iniquè operantur, & à Confessariis sunt acriter reprehendendi, & admonendi, ut meliùs consulant animabus suis, aliàs in peccatis vivunt, & in eis morientur, ac Dei justum judicium non effugient. Tamburin. *in Decalog. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 8. num. 6. & 7.* & eorum filii, ac hæredes ad summam egestatem redigentur, ut latè probat Cornel. à Lapide in *Prov. cap. 28. Vers. 8.*

DECISIO L.

ARGUMENTUM.

Docet præsens Decisio, quando sit licitum dare in Societatem animalia æstimata ad caput Salvum, & cum obligatione, ut post quinquennium reddantur ad eamdem æstimationem.

SUMMARIUM.

1. *Juvencas æstimatas dare in Societatem, & ad caput salvum, an sit licitum?*
2. *Mutuum præsumitur, ubi pretium animalium in socidam datorum est restituendum.*
3. *Periculum animalium in socidam datorum spectare debet ad eum, qui dedit illa.*
4. *Sixtus V. in sua Constit. 45. damnat Societates animalium ad caput salvum.*
5. *Animalia dari possunt in socidam ad caput salvum, si relinquantur sociis tot fructus, qui compensent eorum periculum.*
6. *Fructuum tertia parte dominus contentus esse debet, qui transfert periculum in socios.*
7. *Præsumptio mutui cessat ex evidenti veritate alterius contractus.*
8. *Animalia dare in socidam ad caput salvum sine compensatione periculi non licet.*
9. *Sixti V. Const. 45. non improbat pacta, quæ à DD. censentur licita.*

HIC autem resolvendum venit an sit usurarius sequens Casus, qui frequentatur in his regionibus, & præcipuè in Diœcesi Cenetensi; undè Vir nobilissimus, ac sapientissimus dignatus est meipsum consulere. Casus est hujusmodi.

Cum sit in usu sequens Societatis contractus, videlicèt: Herus dat colonis suis decem juvencas æstimatas justo pretio, quo eas emit; cum obligatione, ut prædicti coloni eas teneant per quinqennium titulo Societatis; & eidem Hero contribuant medietatem butyri, casei, & 1
lactis, quod reddunt ipsæ juvencæ tempore, quo incolunt montes, id est per quatuor menses annuatim, à Kalendis Junii usque ad finem Septembris. Partus autem earumdem juvencarum, & lac in aliis octo mensibus sunt colonorum; qui completo quinquennio vel solvunt Hero in pecunia pretium antedictum juvencarum, vel assignant in solutum tot vitulos justo pretio æstimatos, quot sufficiant pro supplemento valoris earumdem juvencarum.

Quæritur, An talis contractus sit licitus, & immunis à quacunque labe usuraria?

Prima fronte videtur respondendum, non 2
esse licitum contractum, sed usurarium. Primò, quia cum Herus dat juvencas æstimatas, & vult pretium earum sibi esse restituendum juxta eamdem æstimationem, censetur potiùs contrahere mutuum, quàm Societatem; mutuat enim pecuniam colonis, cupientibus habere juvencas, ut eadem pecunia illas emant. Bartol. *in l. Si ut certo. §. Nunc videndum. ff. Commodati* Carocius *de Locato quæst. 9.* At ex mutuo illicitum est lucrum accipere. *cap. Usura 14. quæst. 3.* Ergo talis contractus est usurarius.

Secundò, Quia præcipua contractus Societa- 3
tis conditio est, ut animalia in Societatem data stent periculo ejus, qui dat illa; quoniam in contractu Societatis Herus, qui illa consignat 4
colonis, retinet earumdem juvencarum dominium; undè fit, ut juvencæ pereuntes, vel in valore, seu pretio decrescentes, debeant Hero tanquàm domino perire, vel decrescere. S. Antoninus *in summa 2. part. tit. 1. cap. 7. §. 39.* Reginaldus *in Praxi lib. 25. num. 402.*

Tertiò, quia Sixtus Papa V. *in sua Constitut. 45.* 5
Incipien. *Detestabilis Avaritiæ.* damnat Societates animalium, in quibus fit pactum, ut capita remaneant salva; ita ut si animalium pereant, damnum sit colonorum, non autem dominorum, à quibus data fuerunt; prout Herus prætendit in proposito casu. Ergo contractus iste est illicitus, ac Usurarius.

His tamen non obstantibus, respondi supradictum contractum esse licitum. Ratio responsionis est, quia ex communi Theologorum, & Canonistarum consensu consideratur in prædicto Societatis contractu alter contractus assecurationis capitum juvencarum, & valoris earumdem per cessionem, ac dimissionem tùm omnium vitulorum nascentium, tùm totius lacticinii, quod colligitur in octo mensibus anni; quæ quidem cessio, & dimissio facta per Herum ipsis colonis, compensat iisdem periculum, quod assumunt vel mortis, vel deteriorationis pretii, seu valoris juvencarum; & sic contractus remanet licitus, tanquàm continens æqualitatem, & compensationem, ut docent ex Moralistis Lessius *libr. 2. de Justit. & Jur. cap. 25.*

dub. 3. Azorius *tom.* 3. *lib.* 9. *cap.* 3. *quæst.* 5. Filliucius *tract.* 38. *cap.* 3. *num.* 57. Bonacina *tom.* 2. *de contractib. disput.* 3. *quæst.* 6. *punct.* 3. *num.* 10. *& punct.* 5. *num.* 9. Ex Theologis Emin. Cardinal. de Lugo *de Justit. & Jur. disput.* 30. *sect.* 4. *num.* 40. Mastrius *in Theolog. Moral. disput.* 5. *num.* 136. Et ex forensibus, Canonistis, ac Juristis Ugolinus *d. Usuris cap.* 55. *§.* 1. *num.* 1. Scaccia *de Commerc. §.* 3. *glos.* 3. *num.* 37. Marescottus *Var. resol. lib.* 2. *cap.* 133. *num.* 21. Novarius *in summa Bullar. p.* 1. *Commentar.* 126. Leotardus *de Usuris quæst.* 31. *num.* 13. Et novissimè Emin. Cardinal. de Luca in suo Theatro Veritatis *in tractat. de Usuris, & interesse disc.* 2. in quo etsi discurrat de locatione animalium æstimatorum cum pacto ut capita sint salva, & cum onere restituendi illa juxta eamdem æstimationem, non autem de Societate; nihilominùs benè infert ad justitiam tùm illius, tùm nostri casus, ex compensatione periculi, & deteriorationis valoris animalium, quæ resultat, quando dominus animalium eorumdem est contentus tertia parte lucri provenientis ex illis; & cedit, ac relinquit alias duas tertias partes conductori, vel socio, ut fit in proposito mihi themate Societatis juvencarum;

6 nam Herus habet butyri, casei, & lactis medietatem pro tertia anni parte, id est in quatuor mensibus tantùm; coloni verò ultra aliam medietatem dictorum lacticiniorum, in iisdem quatuor mensibus; gaudent integris fructibus, scilicèt omnibus lacticiniis in aliis octo mensibus, & quod magis est, retinent sibi omnes vitulos, nascentes ex illis juvencis toto quinquennio.

His stantibus non obstant rationes in contrarium consideratæ. Non prima, quòd in præsenti contractu præsumatur esse mutuum. Quia talis præsumptio cessat, cum ipsi coloni non petant pecuniam consumendam in aliis usibus sub ficto prætextu emendarum juvencarum; sed dominus eorum emat juvencas, & eas realiter tradat custodiendas per quinquennium iisdem colonis cum supradictis conditionibus, & utilitatibus; quas quidem juvencas verè, & realiter coloni custodiunt, & servant toto quinquennio; & sic ex veritate, & evidentia contractus Societatis cessat præsumptio

7 contractus mutui, & per consequens suspicio usurariæ pravitatis. *l. Ille, aut ille ff. de legat.* 3. Rota *part.* 11. *recent. decis.* 44. *num.* 14. & Emin. Cardinal. de Luca *in d. tractat. de Usuris disc.* 8. *num.* 5.

8 Secunda ratio contraria pariter cessat, quia ipsa procedit. quando dominus animalium dat ea ad caput salvum, & obligat accipientes ad periculum absque legitima compensatione, exigendo integram medietatem omnium fructuum; ut advertimus supra in hac materia de Usuris *Decis. xxx. num.* 17. *Vers. Tertia tandem*, ex auctoritate *text. in cap. Consuluit. de Usuris*, & ex dispositione *text. lib.* 29. *§. Aristo. ff. Pro socio*, quibus inhærent omnes DD. quos congerit Leotardus *de Usuris dict. quæst.* 31. *num.* 2. *&* 3.

9 Ultima tandem Ratio contraria eliditur, quia Constitutio Sixti V. non prohibet pacta licita, quibus de jure, vel de approbata Theologorum doctrina contractus Societatis iniri possunt; ut declaratum fuisse ab eodem Summo Pontifice Sixto V. testantur Comitolus *Respons. Moral. lib.* 3. *quæst.* 12. *num.* 3. Emin. Cardinal. de Lugo *d. disp.* 30. *num.* 37. Carleval. *de Judic. tom.* 2. *disput.* 7. *num.* 22. & Emin. Cardinal. de Luca *d. disc.* 2. *de Usuris num.* 10. Tradere autem in Societatem animalia æstimata cum onere restituendi ipsa in eadem æstimatione, & capita sint semper salva, licitum esse sustinet idem Emin. Cardinal. de Luca *d. disc. de Usuris*, si, & quando dominus animalium contentus sit tertia tantum parte fructuum annuatim provenientium ex iisdem animalibus. Ergo multò magis, si Herus contentus sit minori parte, quàm tertia; & relinquat utilitatem fructuum ultra duas tertias partes iisdem sociis, ac colonis, prout in suppositа mihi Praxi casus Cenetensis Diœcesis.

DECISIO LI.

ARGUMENTUM.

Rationes decem ad suadendos homines, ne ad Ecclesiam accedant cum Sclopis, aut aliis armis.

SUMMARIUM.

1. *Reverentiam in Ecclesiis quibus argumentis suadendam; & in quo libro reperienda?*
2. *Templi profanatores cur Christus propriis manibus foras ejecit?*
3. *Christianorum antiquorum reverentia in Templis.*
4. *Sclopos breves, vulgò* Pistole, *deferre absque licentia Principis mortale est peccatum.*
5. *Excommunicatio ex Synodo Patavina in Stringentes arma in Ecclesia.*
6. *Imperatoriæ leges prohibentes delationem armorum in Templis sacris.*
7. *Sapientia potentior est armis.*
8. *Templum Judæorum cur fabricatum à Salomone, non à David?*
9. *Violatio Templi Dei quàm grave piaculum.*
10. *Missam non tenentur audire habentes inimicitias capitales.*

Quia frequens est abusus in Villis deferendi arma in Ecclesiis tempore Sacrificii, requiritur:

QUibus rationibus Parochi suadebunt populis, ne in Ecclesiam deferant sclopos: seu, ut vulgò dicitur, Arme da fuoco?

Ex pluribus plures sequentes rationrs collegi.

Primam. Si Parochi frequenter, & appositè 1
prædicaverint, quanta reverentia sit Ecclesiis per fideles præstanda; & quanta veneratione, & obsequio sit in eis immorandum; In cujus primæ, ac principalis rationis comprobationem, eximia argumenta reperient animarum Rectores (præter alios libros) in concionibus quadragesimalibus adm. Rev. Pauli Segneri Soc. Jesu impressis tùm Florentinæ, tùm Venetiis, *Concione XXIII.* in qua demonstrat plano, sed erudito stylo, irreverentiam in Ecclesiis adeò gravem esse Dei injuriam, ut Deus, qui quas- 2
cumque alias offensas sibi factas puniri mandaverit per Angelos, aut homines, aut alias creaturas, tamen profanatores Templi suis ipse manibus flagellis ejecerit foras: plurimisque solidissimis argumentis, ac rationibus necessitatem obsequii, ac cultus servandi in Templis

plis sacris confirmat; quem librum sæpè legisse Parochos magnoperè juvabit.

Secundam, Ab inductione illa, quod nulli hominum petenti audientiam, vel preces oblaturo Magistratibus, aut Principibus, licitum est accedere sclopis stipato, vel armis offensivis induto.

3 Tertiam. Ab exemplo majorum, nam Christiani antiquis temporibus tanto obsequio stabant in Templis, ut neque filios, aut cognatos ab exteris regionibus revertentes ibidem salutarent. *Romul. Marchell. Concion. Quadr. 23. numer. 2.* & Theodosius Imperator depositis diademate, & armis in Ecclesiam semper introiret.

4 Quartam. Quia sclopos, præcipuè breviores, à legibus vetitos deferre, mortale peccatum est, secundùm veriorem DD. opinionem, de qua testantur Salas *de legib. disp. 10. sect. 9. num. 67.* Sanchez *in Summ. tom. 2. lib. 6. cap. 4. num. 64.* & Comitol. *in Resp. Moral. lib. 4. quæst. 17. num. 8.* & ratio manifesta est, quia procedentes cum bellicis tormentis, & igneis armis sclopis, sclopetisvè dicitur esse in causa proxima graviter delinquendi, ac etiam committendi homicidia. Farinac. *quæst. 130. numer. 40.* Gomez. *de Delict. cap. 3. Rubr. de homicid. numer. 48. 49.*

Quintam. Pœnam enim gravissimam excommunicationis latæ sententiæ Synodus Patavina infligit in eos, qui in Ecclesiis *Arma strinxerint,*
5 *alterius lædendi, & vulnerandi gratia.* Ideòque vetat sub pœna interdicti, ne quis, dum. Missæ sacrificium offertur, *hastam, ballistam, tormentaria manuaria in domum Dei, & orationis inferat. Part. 1. cap. 12. pag. 26.*

6 Sextam. Hinc Imperatorias leges prohibentes delationem armorum in Ecclesiis refert Jo. Bapt. Matth. *in Sylva Hist. part. 1. lib. 3. cap. 1. tit. 25.* & Serenissimi, Piissimique Principis Nostri proclamata pro hujusmodi sacri cultus tutamine crebrò videmus.

7 Septimam. Declarandam proindè esse sententiam illam *Ecclesiast. 9. 18. Melior est sapientia, quàm arma bellica*, cujus quidem *Initium sapientiæ est timor Domini. Psalm. 110. 9.* Accedendum igitur ad Ecclesiam, ut in ea Deum Optimum Maximum adorent in timore, juxta illud. *Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum sanctum tuum in timore tuo. Psalm. 5. 8.* Non autem cum superbia armorum, & instrumentis bellicis vallati.

8 Octavam. Et hac de causa voluit Deus Templum sibi fabricari, non à David Rege belligero, sed à Salomone Rege pacifico, qui etiam fecit Templi *Ostia de lignis Olivarum 3. Reg. 6. 32.* ad notandum, Dei beneplacitum esse, ut in spiritu humilitatis, & corde pacifico adorent homines Majestatem Divinam in sacris Templis; quod notat Pier. Valer. *Hierogl. 53.*

Nonam. Nec omittenda lugubria exempla rixarum, sacrilegiorum, & homicidiorum, quæ in Ecclesiis patrata olim fuerunt, cum familiarum, facultatum, corporum, ac animarum excidio; non alia de causa, quàm illa, quam tenebrarum princeps suggessit ex delatione scloporum, & armorum.

9 Decimam. Propterea incessanter repetendam, declarandam, ac inculcandam fore Divi Apostoli Pauli terribilem illam sententiam. *1. Cor. 3. 17. Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.*

Quòd si qui sint, à quibus in excusationem 10
adducantur graves inimicitiæ, quarum causa sclopos, igneaque arma secum habere eos oporteat; respondeat Parochus, illosque moneat, ut domi stent, nec ad Ecclesiam accedant; non enim obligantur audire Sacrum cum vitæ periculo. Bonacin. *tom. 1. de Sacr. Eucharist. disput. 4. quæst. ultim. punct. ultim. numer. 9. pag. 129.*

DECISIO LII.

ARGUMENTUM.

Quia tardatio solutionis debiti causat plura peccata; ideò in præsenti decisione declaratur pernicies tardæ solutionis, quæ vocatur Mora.

SUMMARIUM.

1. *Mora debitoris quid sit? Et quotuplex* numer 2.
3. *Dies interpellat pro homine, quid significet?*
4. *Mora ex Re undè nascatur?*
5. *Privilegiatus non utitur privilegio contra pariter privilegiatum.*
6. *Possessores malæ fidei semper sunt in mora.*
7. *Uno ex contrahentibus partem suam adimplente alter constituitur in mora.*
8. *Mora alia culpabilis, alia inculpabilis.*
9. *Morosus debitor, & fur æquiparantur.*
10. *Morosi debitores redarguendi in concionibus, & confessionibus.*
11. *Mora quibus ex causis sit excusabilis.*

Igitur quæritur primo. *Quid sit Mora?*

AD hoc Quæsitum alii dixerunt, *Moram esse* 1
culpabilem dilationem circa debitum solvendum, vel recipiendum creditum, ut scribit Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. lib. 21. cap. 14. num. 1.* & Mascard. *de Probat. conclus. 1070.*

Alii: nihil aliud esse Moram, nisi *Culpam prætermittendi officii in solvendo, recipiendove debito, quæ alteri damnosa est.* Ita pluribus factis præmissis Anton. Pichardus *disp. de Mora num. 23.* post *Quartum lib. Civil. Instit.*

Alii: *Moram esse solvendi debiti injustam, & frustratoriam dilationem*; quam statuerunt Cuiac. *in l. 23. de Verb. oblig.* & Leotardus *de Usur. quæst. 81. num. 3.*

Secundò pariter quæritur. *Quotuplex sit Mora?* Et ad hoc quæsitum.

DUæ allatæ fuerunt divisiones. *Una* secundum Jurisperitos. *Altera* secundùm Theologos.

Jurisperitorum divisio est, Moram aliam esse ex persona, quæ etiam Regularis dicitur: Aliam esse è Re, quæ irregularis appellatur. Menoch. *de Arbitr. Jud. cas. 220. num. 5.* & Leotard. *de Usur. dict. quæst. 81. num. 5. ubi DD.* Mora ex persona, seu Regularis illa est, quæ resultat ex interpellatione facta debitori per creditorem petentem quod sibi debetur. *l. Mora 32. ff. de Usur.* Leotard. *d. quæst. 81. num. 7.* 2
quæ quidem interpellatio fieri sufficit non solùm in Judicio, sed etiam extrajudicialiter, aut viva voce, aut per epistolam, aut per nuncium; dummodò tamen debito modo fiat, videlicet vel personaliter, vel bis ad domum de-

bitoris, verbis apertis, & claris, non obscuris, aut ambiguis, seu sub involucro cæremoniarum obtectis; & ubi per procuratorem creditum postulatur, constet de mandato procuræ, & ejus copia authentica exhibeatur debitori. Illustriss. Sperell. *decis.* 130. *num.* 15. quibus servatis debitor ex unica tantùm interpellatione constituitur in mora. Menoch. *dict. casu* 220. *num.* 29. Roderic. *de annuis redditib. lib.* 2. *quæst.* 15. *num.* 40. & Leotard. *dict. quæst.* 81. *n.* 20. ubi notant, dictam debitoris moram sic contractam transmitti etiam ad hæredes tàm activè, quàm passivè; & non solum constituitur morosus debitor per interpellationem, sed etiam sine illa, quando dies est præfixus, & determinatus in contractu ad solutionem faci-
3 endam, juxta illud axioma, *Dies interpellat pro homine:* ut ex doctrina Cuiacii comprobat Leotard. *d. quæst.* 81. *num.* 29. & docent. Donell. *lib.* 16. *cap.* 2. *Vers. Quod. valet*, & Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. d. libr.* 21. *cap.* 15. *num.* 3.

4 Porrò debitorem in Mora constitui absque interpellatione, multò magis procedit in altera specie Moræ, quæ ex Re, seu irregularis nuncupatur; & est illa, quam Jurisperiti dicunt procedere legum vigore: quibus statutum est de Jure, debitorem non solventem, morosum censeri in pluribus casibus, quos numerat Menochius *de Arbitr. Jud. d. casu* 220. *à num.* 8. *& seqq.* Qui quidem casus ad tria genera reduguntur, videlicèt.

1. Ad favorem personarum; quæ sunt pupilli, minores, Ecclesiæ, pia loca, fiscus, & Respublica; harum enim personarum debitores absque interpellatione constituuntur in mora si statim ac debent, non solvant. Gratian. *discept. forens. cap.* 241. *num.* 1. *&* 50. Leotard.
5 *de Usur. quæst.* 82. *à num.* 3. *& seqq.* nisi & ipse debitor esset pupillus, minor, locus pius, aut Ecclesia, tunc enim intraret regula, quod privilegiatus non utitur privilegio contra pariter privilegiatum. Vinc. de Franch. *decis.* 16. *num.* 13. Peregrin. *de Fidecom. art.* 49. *num.* 87. Card. Mantica *de Conjectur. ultim. Vol. lib.* 7. *tit.* 10. *numer.* 28. & Gratian. *d. cap.* 241. *num.* 51.

6 2. Ad odium detinentium res alienas mala fide; quales sunt fures, raptores, mali administratores, injusti negotiorum gestores, ac iniqui usurarii, & fœneratores. Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 2. *ampl.* 8. *numer.* 114. Leotard. *quæst.* 46. *num.* 13. *&* 15. *& d. quæst.* 82. *num.* 27. & ex Theolog. Salas *de Usur. dub.* 39. *num.* 3. Reginald. *lib.* 10. *cap.* 26. *num.* 396. & Rebell. *lib.* 11. *quæst.* 10. *numer.* 4. Et

3. Ob naturalem æquitatem in contractibus ultro citroque obligatoriis, in quibus una ex partibus contrahentibus adimplevit quod de-
7 bebat; nam altera non adimplens constituitur in mora ipso jure, & absque alia interpellatione tenetur ad id, quod interest. *l. Julianus §. ex vendito ff. de Actor. Empt. l. Curabit. Cod. eod. tit.* Menoch. *dict. Casu* 220. *num.* 22. & Leotard. *d. quæst.* 82. *num.* 47.

Et hæc dicta fuerunt circa divisionem, seu species Moræ secundum Jurisperitos; quorum ingenti numero condecoratur Clerus noster; & ne eorum litterarii labores sub latebra viderentur neglecti, non me piguit (etsi plurifariam sarcinatum) eosdem in medium afferre.

8 Cæterùm Theologi duas alias species Moræ solent considerare, nempè Culpabilem, & Inculpabilem. Mora culpabilis est, quando dies solutionis advenit, & debitor negligit solvere; talis enim negligentia constituit debitorem in peccato. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 4. ubi ait, quod sicut accipere rem alienam est contra justitiam, ita & detinere; quia propter talem detentionem invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & facit ei injuriam, ideòque peccat, ; nam debitor morosus, & fur æquiparantur. Rebell. *d. oblig. Just. lib.* 8. *quæst.* 7. *num.* 1. & ex Canonistis Abb. *in cap. fin. numer* 2. *de Præscript.* Afflict. *decis.* 150. *num.* 4. & Illustris. Sperellus *d. decis.* 130. *num* 30. ubi *Quod Viinam,* 9
(ait) *veri Christiani adverterent, cum innumeri sint, qui etiam spreto juramento, solutionem differunt, & nec ullum de hoc scrupulum habent, adeò ut neque confessario id aperiant.* Et quod, Utinam, (adjungit Curia nostra) veri animarum Pastores, & Apostolici Concionatores observarent, ut in concionibus acriter morosos debitores redargue- 10
rent, & eosdem de peccato monerent, quod retardando solutiones committunt; & præcipuè qui legata pia, & onera Missarum habentia non solvunt; piaculum sanè enorme, quod in hac Diœcesi casus reservatus est, ob ejus immanitatem contra cognatos defunctos; undè & animarum perditio, & familiarum ruina, bonorumque jactura procedit.

Mora autem inculpabilis est, si aliqua justa 11
causa retardandæ solutionis subsit. Menoch. *d. Casu* 220. *à num.* 50. *usque in fin.* ubi septem causas refert, quarum præcipuè sunt, si debitor aliqua exceptione seipsum tueri possit; vel si ex inculpabili accidenti impotens ad solvendum sit effectus. Rebell. *dict. lib.* 8. *quæst.* 7. *n.* 6. tunc etenim mora illa materialiter tantùm mora dicitur, & in animæ judicio non obligat sub culpa ad interesse creditoris.

DECISIO LIII.

ARGUMENTUM.

Quia ob moram Mutuatarii in restituendo mutuo Doctores videntur concedere exactionem pœnæ; demonstratur, quibus conditionibus pœna in mutuo sit imponenda, & exigenda? Item an pecora possint dari in societate salvis capitibus?

SUMMARIUM.

1. *Pœnam à mutuatario non restituente mutuum an liceat exigere?*
2. *Pœna in mutuo ut sit licita, tres conditiones servandæ.*
3. *Signum cognoscendi Usuram in mutuo.*
4. *Pecora æstimata dare in Societatem, ut reddantur cum eadem æstimatione, & fructus æqualiter dividantur, est Usura.*

BErnardus mutuat tibi Ducatos centum cum pacto, ut statim eos restituere debeas anno transacto: quod si non feciris, solvere tenearis sex supra sortem singulis annis usque ad ejusdem sortis restitutionem. Quæritur, An sit Usura?

Concorditer responsum fuit à studiosis nostris, esse Usuram. Quandoquidem, etsi Theologi concedant, fas esse exigere à Mutuatario pœnam impositam ultra sortem, nisi præfixo termino solverit, ut probant Rebell. *de oblig. Just. lib.* 8. *quæst.* 9. Bonacina *de Contract.*

tract. dict. tom. 2. disput. 3. quæst. 3. punct. 7. & Salas *de Usur. dub. 21. num. 2.* ubi id esse licitum affirmat, etiamsi nullum damnum emergens, aut lucrum cessans mutuator sentiat, ex auctoritate plurimorum DD. quos ibidem allegat; quibus adstipulatur Cardinal. de Lugo *de Justit. & Jur. disput. 22. num. 397. & disput. 25. num. 110.* & Thom. Tamburin. *de Triplici Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 5.* ea ratione, quia mutuatarius existens in mora peccat contra justitiam, & propter peccatum dignus est aliqua pœna, quam etiam ipsi contrahentes possunt in exordio contractus statuere: Nihilominùs hanc doctrinam
2 arctant sub tribus necessariis conditionibus, videlicèt quòd mora mutuatarii sit culpabilis, quòd pœna non sit excessiva, & quòd non sit imposita in fraudem Usuræ. Rebellius, Bonacin. & Cardinal. de Lugo ubi supra; & novissimè Mastrius *in Theolog Morali dict. disputat. 5. num. 57.* At in casu proposito, Bernardus inficiari non potest, pœnam sex ducatorum exigendam supra sortem singulis annis usque ad ejusdem sortis restitutionem, ab eo impositam fuisse in usuræ fraudem, & ad habendum lucrum hoc usurarium; licèt enim varii sunt Doctores in indicandis signis, quibus cognoscatur animus usuræ committendæ in appositione pœnæ; ita ut plures plura dixerint, (ut videre est apud supracitatos Theologos, nec non apud Lessium *dict. lib. 2. capit. 20. numer. 129.*) tamen Bonacina cæteris clarior *dict. tom. 2. de*
3 *contractibus disputat. 3. quæst. 3. punct. 7. num. 2.* ex Salon. & Navar. notat, *pœnam censeri in fraudem usuræ appositam, quando adjectum fuit onus solvendi certam pecuniæ summam singulis annis*; prout Bernardus Mutuator stipulatus est in casu nostro; & per consequens judicari debet usurarius.

Hæc decisio non solùm hac valida ratione firmatur, sed subsistere debet fortissimis argumentis per Curiam nostram adductis supra in *Decis. XXXVIII. à num. 4. & seqq.* ubi ex communi Canonistarum, & Jurisperitorum calculo probavimus, pœnam conventionalem adjectam quantitati semper præsumi usurariam; cum nihil sit aliud, quàm mutare nomen usuræ in nomen pœnæ, & eam exigere ob mutuum palliatum, ut docent Genuens. *in Practicabili. Eccles. cap. 686.* Afflict. *decis. 135.* Rota *part. 2. divers. decis. 90. num. 4.* & Illustris. Episcopus Sperell. *decis. 131. per totam,* & præcipuè *num. 29. & 35.* ubi plurimis rationibus, & doctoribus allegatis firmat, hujusmodi pœnas conventionales adjectas quantitati usurarias censeri, etiamsi dicerentur appositæ ad taxandum interesse creditoris; quia id ab initio contractus fieri non potest; sed si mutuantis interest, sortem sibi in præfixo termino restitui, contra mutuatarium agat via Juris, cum protestatione consequendi quod sua interest; factis tamen probationibus, & sententia Judicis obtenta super prætenso interesse; ut latiùs dictum est in eadem *Decis. XXXVIII.*

Fuit etiam propositus sequens Casus: & Quæsitum an sit Usurarius? Nempè.

4 PEtrus tradit rustico pecora centum æstimata, cum pacto, ut quandocumque illa restituerit, ad eandem æstimationem restituat; & interim earum fructus, ac lanæ æqualiter dividantur. *Quæritur, An intret Usura labes?*

Concorditer dictum fuit, labem usurariam intrare, & contractum hunc illicitum esse per ea quæ à nobis dicta sunt supra in *Decis. L.* etsi pacta de Juvencis essent diversa. Hunc autem casum in his præcisis terminis usurarium appellant Rebell. *lib. 15. quæst. 6. num. 4.* Azor. *part. 3. lib. 9. cap. 7. quæst. 6.* Reginald. *in Praxi lib. 25. num. 405.* Bonacina *de Contractib. dict. disputat. 5. quæst. 6. punct. 5. num. 6.* Trullench. *in Decal. lib. 7. cap. 23. dub. 5. num. 11.* Layman. *lib. 3 tract. 4. cap. 20. num. 4.* Tamburin. *de Tripl. Jur. lib. 9. tract. 8. cap. 11.* Leotard. *de Usuris quæst. 31. num. 7.* ubi alios cumulat.

Ratio est; quia, vel pecora dicuntur vendita rustico per Petrum, ob æstimationem, cujus hæc est virtus. *l. Si pro mutua 8. C. Si cert. petatur,* & non potest Petrus recipere lucrum absque usura, cùm insit mutuum palliatum in expectatione pretii, & valoris pecorum: Vel dicuntur data in Societatem; & tunc injustitia est, & usura; cum Petrus velit capita esse salva, & nolit subire periculum mortis, seu casuum fortuitorum illius gregis, & interim habere medietatem omnium fructuum.

Neque prodesset Petro, si assereret, licitè contraxisse ob implicitum contractum Assecurationis; quem fieri posse ex Navarro, & aliis dictum est supra in *Decis. XXX.* & videtur concedere Cardinal. de Lugo *de Justit. & Jur. disput. 30. num. 49.* Quia ex magis approbata DD. sententia per Bullam Sixti Quinti; (quæ incipit *Detestabilis &c.*) relatam *Decis. XLIX. num. 3.* reprobatus censetur contractus societatis cum assecuratione capitalis, & certi lucri cum socio, ut ex Philiar. Binsfeld. & Maldero notat Leotardus *dict. quæst. 31. numer. decimo secundo.* Sed standō etiam in doctrina, & opinione Cardin. Lugo, constat de injustitia, & usura ob medietatem omnium fructuum à Petro sibi reservatam; cum enim rusticus expensas victus, custodiam gregis, & labores in fructibus colligendis præstare debeat; majori lucro, & ampliori parte eorundem fructuum dignus reputatur, ut capitale tantis periculis subjectum securum servet, ut latè diximus in cit. *Decis. L.* & ibi Eminent. Cardinal. de Luca.

DECISIO LIV.

ARGUMENTUM.

Fortissimis motivis demonstratur, parcendum esse inimicis: Ac jucundis sed veris rationibus ostenditur, abstinendum esse à litibus.

SUMMARIUM.

1. *Inimicitiæ extinguendæ, ac sedandæ ob decem rationes.*
2. *Cani assimilatus vindicativus.*
3. *Servus non à se, sed à Domino vindicandus.*
4. *Peccata dimittuntur ignoscentibus injurias.*
5. *Exempla Sanctorum pro inimicis orantium.*
6. *Inimicis ignoscere difficultas ex duobus. Horum resolutio.*
7. *Natura operatur contra seipsam, ut Deo obediat Auctori suo. Exempla diversa de hoc.*
8. *Mundus vili pendit non se vindicantes. Confutatio hujus dicti.*
9. *Glorioſum est parcere inimicis.*
10. *Dilemma contra vindicativos.*

11. *Li-*

11. *Lites civiles privant hominem bono utili, honesto, ac delectabili.*
12. *Lites ignis devorans substantiam litigantis.*
13. *Lites civiles terminant in criminales.*
14. *Tortura animorum sunt lites.*
15. *Pii Papæ II.* dictum notabile *contra litigantes.*
16. *Advocati non litigant. Medici non sumunt pharmaca.*
17. *Litigare an sit delectabile?*
18. *Senecæ dictum, ne litigetur.*

QUibus rationibus possint Parochi eliminare inimicitias de suis Parochiis, & pacem ponere inter proximos rixas, seu lites ad invicem habentes?

Distinxerunt odia à litibus, & lites ab odiis; seu lites criminales à litibus civilibus, & è contra.

Quoad odia, & lites criminales; ut per Parochos eliminari possint de suis Parochiis, & pax fieri inter Parochianos inimicitias adinvicem habentes, plurimæ relatæ sunt rationes, quas in duas classes juvat subdividere; eò quia prima classis continet rationes optimas, sed faciles: secunda classis solvit objecta perdifficillima.

1 Primæ classis rationes sunt, parcendum esse inimicis, odia extinguenda, pacem firmandam:

1. Quia rixantes brevi vita fruuntur. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos. Psalm.* 54. 24.

2. Quia ira, & vindicta non conveniunt homini ratione prædito, Unde cum dixisset Apostolus, *Sol non occidat super iracundiam vestram. Eph.* 4. 26. S. Th. *ibid. lect.* 8. sic interpretatur; *Sol non occidat,* idest *non obtenebretur dictamen rationis.*

2 Hinc Aristoteles assimilat vindicativum cani, absque consilio quoscumque accedentes ad ostium mordere volenti; à quibus sæpè sæpiùs repercutitur baculo, *Ethic. lib.* 7. *cap.* 6.

3. Quia ex discordiis, & vindictis innumerabilia mala procedunt, expensæ, timores, insidiæ, privatio libertatis, consumptio facultatum, & pericula inevitabilia, quò circa Salomon. *Prov.* 16. 19. ait, *Melius est humiliari cum mitibus, quàm dividere spolia cum superbis.*

4. Quia remittendo injurias, & amplectendo pacem; cultus, & obsequium præstatur Deo, cui tanquam Patri convenit, punire filios malè agentes. *Mea est ultio,* ipse testatus est, *& ego retribuam in tempore. Deut.* 32. 35.

3 5. Imò ad ipsum Deum tanquàm Regem, ac supremum Dominum spectat punire offensores nostros; quia injuria in percussione, vel offensione servi habentis vestem Domini sui, non fit servo, sed Domino; & nos omnes servi sumus Dei, vestiti veste sua. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Galat.* 3. 27.

6. Quia decet filios Patrem suum imitari: & Deus Pater noster misericors *Solem suum oriri facit super bonos, & malos, Matth.* 5. 45.

4 7. Quia pacem facientibus, & injurias condonantibus promissa est remissio peccatorum. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum; dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra. Matth.* 6. 14.

8. Et econtra nutrientibus odia, & pacem recusantibus imminet exterminium corporis, & animæ. *Et dispereat de terra memoria ejus, pro eo, quòd non est recordatus facere misericordiam. Cum judicatur exeat condemnatus.* Psal. 108. 7. & 15. *Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Jac. 2. 13.

9. His addenda sunt exempla Sanctorum, qui charitate prosequuti hostes suos, eos amaverunt, beneficarunt, & pro eis orarunt; inter quos Protomartyr, qui *Positis genibus clamavit voce magna dicens, Domine ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. 60. imò Martyrum, ac Sanctorum omnium Rex, & Redemptor Noster Christus JESUS, qui Judæ pedes lavit, & pro crucifixoribus Patrem exoravit dicens: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Lucæ 23. 34. 5

10. Tandem aliæ rationes inquirendæ, & allegandæ per Parochos reperientur tùm apud SS. Patres, tùm apud Cathechis. Roman. *part.* 3. *de Quinto Præc. Sess.* 20. *usque in finem;* tùm etiam apud Tuillium super *Embl.* 79. *Alciati ex Pace ubertas;* & Fabium Albergatum in libro *De modo reducendi ad pacem inimicitias privatas.*

Secundæ classis rationes sunt, quæ versantur in resolvendis duobus objectis difficillimis, quorum prætextu inimicitiæ fiunt inextinguibiles. Primum objectum, est. *Asperum nimis, ac durum esse naturæ humanæ parcere, ac benefacere inimicis.* 6 Alterum *Ignominiosum, ac contemptu dignum absque vindicta injurias condonare.* Sanè hæc duo objecta remorantur pedes Evangelizantium pacem, evangelizantium bona. Porrò concedendum, grave videri humanitati nostræ non vindicari, ac malefactoribus bona retribuere; sed hac invincibili ratione evacuandum objectum est; scilicèt, extare Præceptum Divinum; & Redemptorem nostrum Christum JESUM, Regem Regum, & Dominum dominantium (cui data est omnis potestas in cœlo, & in terra) illum esse, qui præcipiendo nobis dixit: *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Matth.* 5. 44. 7 Ad præceptum Domini etiam inanimata, & irrationabilia operantur contra naturam suam; ut de igne non comburente tres pueros in fornace; de aqua non opprimente hebræos in transitu maris rubri, & sustinente Petrum Apostolorum Principem ambulantem super mare; de ventis cessantibus, & de mare tranquillitatem (quamvis procelloso) extemplam profitente; de aquila corpus S. Stanislai membratim concisum, & per agros projectum à feris defendente; de nive pendula super S. Petro de Alcantara, & aliis innumeris mirabilibus, quæ præ oculis habentur in vitis Sanctorum, & collecta leguntur à Patre Aloysio Novatino *in libro Mirab. Orb. Christ.* manifestè patet.

Ex his enim omnibus non minùs, quàm in creatione mundi conspicitur obedientia plena præcepto Domini; siquidem statim ac *Ipse dixit; & facta sunt. Psal.* 148. & sine cunctatione *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum faciunt verbum ejus. ibid.* Igitur ita convincendi, qui naturam repugnare astruunt in dimittendis offensis, Quæcunque creata sunt, ut Deo obediant, contra naturam operantur: solus homo naturam suam repugnantem, ut Dei sui præcepto pareat, non evincet? Homo domat leonem, ut ajebat S. Augustinus: Deus non domabit hominem, quem fecit? *Me ergo non timebitis, dicit Dominus? Jer.* 5. 22.

Alterum objectum per quod rixantes asserunt ignominiam, & dedecus esse apud mundum,

8 dum, vindictam non facere, diluendum est hoc pacto. Videlicèt: Appellatione mundi quinam intelligendi? Non Pontifices, non Reges, aut Principes: quia hi omnes Legibus suis insurgunt contra vindictas privatas facientes, eosque gravissimis pœnis, etiam capitalibus castigant. Non Sacerdotes, aut Religiosi: hi etenim, & orationibus, & concionibus mites & mansuetos commendant. Non nobiles pietate, ac virtute pollentes: nam & hi rixas, & inimicitias detestantur. Non plebeji, artifices, aut mendici: quia hi victum quæritant, & de quæstionibus non cogitant. Igitur mundus ille, cujus respectu ignominia, & dedecus timetur, ad paucos ignaros, vitiososvè homines restringitur, quos audire, vel eorum opinionem sequi minimè decet, imò dedecet, & pudet. Idcircò suadendi sunt à Parocho quicunque offensionem receperunt, ut generoso animo offensoribus parcant; siquidem gloriosa res est par-
9 cere inimicis tùm apud mundum, dicente Seneca: *Magni animi est injurias despicere, lib. 3. de ira cap. 15.* tùm apud Deum, & fideles; testante Spiritu Sancto *Prov. 20. 3. Honor est homini, qui separat se à contentionibus.* Neque attendenda est opinio malorum christianorum, qui indigni sunt hoc venerabili nomine, cum *Aliter doceant, & non acquiescant sanis sermonibus Domini nostri JESU CHRISTI, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, 1. Tim. 6. 3.* quæ Apostolica verba piè, ac doctè explicat laudatus P. Paulus Segnerius Soc. Jesu *in Manna animæ part. 2. die 17. Junii*, à Parochis sæpè legendus.

Tandem, corollarii loco, emollienda sunt corda dura, & obstinata in inimicitiis dilemmate isto. Parcendo contrahitur contemptus apud malos homines; non parcendo apud Deum.
10 Sed incomparabiliter magis expedit à Deo non contemni; quàm à malis hominibus. Ergo omninò parcendum; & promptè Divino mandato obtemperandum: cum Christus Dominus sit, qui præcipiat. *Ego autem dico vobis, Diligite inimicos vestros.*

Quo verò ad sedanda jurgia ob lites civiles, multa scripta sunt remedia, quæ brevitatis, & facilitatis causa ad tria genera rediguntur;
11 quatenus ad debellandas, & profligandas lites, rationum ratio summa est, quòd lites exspoliant homines tribus illis bonis, in quibus continentur omnia bona vitæ humanæ, nimirum *Utili, Honesto & Delectabili.*

Bonum Utile perdit, qui implicatus est litibus, nam jurgia, & lites patrimonia miserè lacerant, & incendium sunt, quo bona cuncta flagrant; pro cujus extinctione quotidiè orans Sancta
12 Mater Ecclesia dicit: *Extingue flammas litium. Ne litis horror insonet.* Fructus enim litium sunt expensæ, *cap. Finem litibus, 5. de Dolo, & Contum. l. Si procurator, 18. ff. Rem ratam hab.* Divitiæ insumuntur, familiæ desertantur, & domestici incidunt in magnas calamitates. §. *Ex quo nos. Auth. Vt diff. Jud. coll. 6.* Econtra magnum commodum consequitur, qui à lite discedit, *l. Lucius, §. fin. ff. Ad SCt. Trebell.* & omnia jura laudant transactiones, *l. Fratris, 10. C. de Transact. & cap. Sicut grave. Extr. eod.* ea ratione, quia transactio est pax, & ita nominatur, nam transitus fit de actione ad concordiam. Bald. *in l. 2. num. 3. ff. de Jurejur.* Et summis laudibus in jure commendatur, qui execratur lites, *l. Item, §. fin. ff. de Alien. jud. capit. 2. §. Statutum, de Verb. Signific. in 6.*

Bonum Honestum amittit litigator, quia ex litibus procedunt scandala, odia, & homicidia;
13 juxta illud Poëtæ Mantuani: *In rixas, in bella, etiam litesque cruentas.* A pessimis ventis execrandarum litium quatiuntur animi magnis motibus, ac procellis; & in variorum scelerum præcipitia impelluntur, unde *Eccl. 28.* monet: *Abstine te à lite, & minues peccata.* Vix enim absque peccato litigia exerceri possunt. S. Thom. 2. 2. *quæst. 116. art. 2.* Undè Rebuff. *in Proëm. Concordator.* Verb. *Sumptibus ante finem* ait, multos propter lites ad inferos descendere: & cum vita temporali, & spirituali periclitatur etiam civilis, nam homines in litibus distenti, publicis muneribus vacare nequeunt, teste M. Tullio 1. *offic. in tit. de Just.*

Bonum Delectabile absorbent lites: litigantes
14 enim in hoc mundo multa quidem, & acerba patiuntur, manentes diu, noctuque in continua animi tortura. Gloss. *in §. Judicent. in Verb. Contritione. Auth. De Judic.* Et propterea, ut frui possint homines felicitate, qua donamur à Deo in hoc exilio, lites abhorreant, ut juxta carmen Martialis *lib. 2. Epigram. 60.*

Sit nox cum somno; sit sine lite dies.

Et Ovid. *lib. 2. de Arte amandi:*

Este procul lites, & amara prælia linguæ.
Dulcibus est verbis mollis amandus amor.

Quapropter cavendum magnoperè à consiliis eorum, quorum interest, lites perpetuas fieri, nam ut Pius Secundus Sum. Pontif. (teste
15 Platina) dicebat, *litigatores sunt aves, forum area, judicium rete, aucupes Patroni.* Imò discendum ab Advocatis ipsis, qui rarò litigant, adinstar pistorum, panem mittunt in furnum, sed non seipsos; ut eleganter cecinit Cato minor *lib. 2.*

Jurisconsultus rarò cur litigat? aut cur 16
Qui mihi multa dedit, pharmaca nulla bibit?

Nec dicat aliquis, magnam esse delectationem vincere post diuturnam litem. Quia respondetur primò, qui litigant, judicio fortunæ se committere. *l. Servus 13. ff. de Stat. hom.* Bar-17
tol. *in l. Si per imprudentiam. ff. de Eviction.* Et sæpè sæpiùs adversam reportat sententiam, qui eam sibi promittebat favorabilem. Sed estò, quod victoria habeatur, difficilior solet esse rei judicatæ executio. *l. Quod debetur. ff. de Pecul.*

Quare Viri prudentis semper erit è litibus egredi; & quò meliùs potuerit, controversiam componere. *Dist. 90. per totam*, dicebat enim Seneca, (teste Bald. *in cons. 218. lib. 3.*) *quòd cum pari contendere anceps est, cum Superiore furiosum, cum* 18
inferiore sordidum. Sed sanctiùs, & super quælibet dicta hominum præclariùs docuit nos Salvator Noster *Matth. 5. Si quis voluerit tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium;* ut jurgia scilicèt, & lites ob res temporales evitentur, undè subdit Apostolus 1. *Tit. 2. Oportet servum Dei humilem esse, & non litigare.*

DECISIO LV.

ARGUMENTUM.

Comprobat hæc decisio, Usuram in re levi non esse peccatum mortale.

SUMMARIUM.

1. *Veniale peccatum est levis violatio justitiæ.*
2. *Argumentum de furto ad usuram.*
3. *Usura in re parva an sit mortale?*
4. *Simonia etiam in re levi est culpa gravis.*

Brevis, sed non levis fuit disputatio: *An in Usura parvitas materiæ excuset à mortali?*

FUit ab omnibus responsum, parvitatem materiæ in usura excusare à peccato mortali. Rationes fuerunt:

1 Primo. Quia ibi culpa non est mortalis, ubi violatio justitiæ est levis. Sed parvitas materiæ in usura (cujus tota malitia est contra justitiam, usurpando alienum sine titulo sufficienti) est violatio levis. Cardin. de Lugo *dict. disput. 25. num. 252.* Ergo culpa non erit mortalis.

2 Secundo. Major injuria fit domino rei per furtum, quàm per usuram, quia magis invitus est dominus erga furem, quàm erga Usurarium. Sed qui committit furtum in re parva, excusatur à mortali. Ergo eò minùs in usura parvitas materiæ erit mortalis.

3 Neque obstant *cap. Si fœneraveris. cap. Putant. & cap. Plerique. 14. quæst. 3.* in quibus juribus habetur, usuram esse quicquid ultra sortem accipitur, etsi res minima sit; qua ratione ductus Alphonsus de Leone *de Offic. Confess. part. 1. recollect. 7. num. 37.* negavit, in usura dari parvitatem materiæ, ut refert Diana *part. 5. tract. 5. resol. 30.* Quæ in Coordinato est *tom. 8. tract. 3. resol. 11.* Nam respondetur, etiam quid minimum acceptum ultra sortem esse usuram, sed cum debita proportione ad culpam; nimirum ut culpa sit mortalis, si usura consistat in magna quantitate, venialis, si in parva. Sicut verissimè dicitur, esse furtum, quicquid invito domino accipitur; sed cum hac proportione, ut furtum sit leve, si acceptio sit rei parvæ: grave autem, si acceptio sit rei notabilis. Cardinal. de Lugo *dict. disput. 25. num. 253.* Tamburin. *de Triplici Jur. dict. lib. 9. tract. 1. cap. 2. §. 2. in fin.*

4 Minùs concludit, qui argumentum facit à simili de Simonia, in qua parvitas materiæ non excusat à mortali secundùm veriorem Doctorum opinionem, de qua testatur Suarez *de Relig. tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 5.* Nam in Simonia quantò minus est pretium, eò major est irreverentia, quæ fit rei spirituali, illam commensurando cum eodem exiguo pretio. In usura vero id nullo modo applicari potest, cujus tota malitia versatur circa justitiam, in cujus transgressione culpa non est gravis, si res, per quam violatur justitia, sit levis, ut docet Cardin. de Lugo *d. disput. 25. num. 252.*

DECISIO LVI.

ARGUMENTUM.

Disputatur, an peccet, qui petit mutuam pecuniam cum Usura? Rationes pro utraque opinione. Distinctione eædem conciliantur: concluditur, melius esse non petere mutuum ab Usurariis.

SUMMARIUM.

1. *Mutuatarius an absque peccato petat mutuum cum Usuris?*
2. *Peccatori occulto an Sacramenta ministranda?*
3. *Sacramenta à Sacerdote malo recipere an liceat?*
4. *Juramentum à pejeraturo an exigendum?*
5. *Debitum conjugale reddens injustè petenti an peccet?*
6. *Mutuum cum usuris petens peccat.*
7. *Charitas obligat non excitare proximum ad peccandum.*
8. *Causa causæ est causa causati.*
9. *Agentes malè, & consentientes pariter peccant.*
10. *Pecuniam in depositо apud Usurarium ponere non licet.*
11. *Damnum spirituale, & temporale proximi sui impediendum.*
12. *Scandalum activum est peccatum.*
13. *Usurarius si sit solitus fœnerari, qui ab eo petit mutuum non peccat.*
14. *Mutuatarius indigens non peccat petendo mutuum cum Usura.*
15. *Bonum spirituale proximi præferendum temporali sui ipsius.*
16. *Peccato non cooperatur consentiens actioni indifferenti.*
17. *Usuram imponere in mutuo, & illam exigere pendet à sola malitia mutuantis.*

Sed super sequenti gravissimo dubio: videlicèt, *An mortaliter peccet Mutuatarius, qui petit mutuum sub usuris, & illas Usurario solvit?*

TRes classes reperi opinionum. Una est Negans, altera affirmans, tertia Distinguens.

Opinio Negativa fuit plurimorum dicentium, mutuatarium non peccare petendo mutuum 1
sub usuris illasvè usurario præstando. Nam:

Primò: Id licitè peti potest, quod licitè potest præstari. Sed usurarius licitè potest dare mutuum absolutè loquendo. Ergo etiam sic absolutè peti potest absque peccato. Diana *part. 5. tract. 7. resol. 8. num. 6.* Quæ in Coordinato est *tom. 7. tract. 5. resol. 55.*

Secundò. Qui in petitione rei malæ non obligat ad ipsam rem malam illum, à quo petit; sed tantum se habet passivè, & non activè, non peccat. Sed mutuatarius petendo mutuum, non obligat usurarium ad usuram; sed passivè tantùm in ea præstanda se habet. Mastrius *in Theolog. Morali d. disput. 5. num. 88.* Diana *ubi supra num. 2.* Ergo non peccat.

Tertiò. Quando aliquid ab aliquo petitur, quod ipse benè, vel malè facere potest, & sua culpa malè facit; absque peccato petitur, & peccatum inculpatur facienti, non petenti, Molin. *de Justit. 335. concluſ. 5.* Sed mutuatarius petit mutuum ab usurario, qui potest illud benè dare, si velit. Ergo si malè dat, & cum usura, imputandum est peccatum soli malitiæ usurarii.

Quartò. Sacerdos, qui peccatorem occultum agnoscit, eidem Sanctissimam Eucharistiam pe- 2
tenti negare non debet, & administrando non peccat; quia tota culpa imputatur malitiæ ipsius communicantis cum peccato. *Cap. Placuit. 6. quæst. 2.* Vasquez, & Suarez, quos allegat & sequitur Cardinal. de Lugo *de Sacram. in genere disp. 8. num. 168.* Prout etiam non peccat, qui recipit Sacramenta à Sacerdote pravo, quamvis commodè ab alio ea recipere valeat. Azor. *par. 2.* 3
lib. 12. cap. 17. quæst. 7. & Diana *par. 1. tract. 8. resol. 31.* Quæ in Coordinato est *tom. 7. tract. 5. resol. 54.* Ergo etiam mutuatarius accipiendo mutuum sub usura non peccabit, cum illa procedat à sola malitia usurarii.

Quintò. Qui petit juramentum ab eo, quem scit esse pejeraturum, justa concurrente causa, 4
non peccat; eo quia non petit perjurium, sed juramentum, quod verè præstare potest, & intendit petens. Suarez *tom. 2. de Relig. tract. de Juramento lib. 3. cap. 14. num. 16.* Sanchez *in Decal. lib. 3. cap. 8. num. 7.* & Diana *par. 5. tract. 7. resol. 9.* Quæ in Coordinato est *tom. 7. tract. 5. resol. 54.* Ita & mutuatarius, qui intendit mutuum, & non usuram, illud petendo non peccabit.

Quin-

5 Quintò: Conjux, quæ reddit debitum alteri conjugi lethaliter petenti, (vel quia malo fine petit, vel voto castitatis est adstrictus) non peccat reddendo. Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 6. à num. 4. & seqq.* ubi plurimos DD. allegat: ea ratione, quia Conjux reddendo non intendit cooperari peccato petentis, sed actui ex sui natura licito. Igitur idem est dicendum de mutuatario, qui in petitione mutui cooperari intendit mutuationi licitæ, non autem peccaminosæ, & usurariæ. Ita ex doctrina S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. deducunt Sanchez *in Decal. d. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 12. Sylvest. *Verb. Usura* 7. *quæst.* 1. Molina *de Justit. tom.* 2. *disput.* 335. *Concluſ.* 2. Sotus *eod. tract. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 2. Rebellius *de Oblig. Justit. lib.* 8. *quæst.* 16. *num.* 28. Tamburin. *de Tripl. Jur. d. l.* 9. *tract.* 1. *cap.* 9. *num.* 5. *& lib.* 5. *in Decal. cap.* 1. *§.* 4. *num.* 44. *&* 70. & Diana, qui alios citat *d. part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 8. *Vers. Et tandem pro coronide.* Quæ in Coordinato est *tom.* 7. *tract.* 5. *resol.* 55. Qui omnes absque scrupulo docent, eò magis posse mutuatarium petere mutuum cum Usuris, & promissas usuras solvere; quod approbat Cardinal. de Lugo *d. disput.* 25. *num.* 229. tum quia à solutione abstinere non potest sine gravi incommodo suæ notæ, & infamiæ, tùm quia damnum spirituale in usurario est valdè exiguum, cum sit dispositus ad usuras recipiendas; à qua dispositione non desisteret ex denegata solutione, imò nova peccata faciet odii, detractionis, & convicii, & novas usuras quæret ad compensandum sibi pro jactura.

6 Opinio tamen affirmativa non minori votorum numero tenuit, peccare mutuatarium, petendo mutuum ad usuras, illasque solvendo. Quia

Primò. Etsi mutuatarius non peccet peccato injustitiæ (cum justitia, & injustitia debeat esse
7 ad alium, & non ad se ipsum, nisi se impotentem redderet erga familiam suam, vel alios creditores ad satisfaciendum, ob gravamen receptum usurarum) attamen peccat peccato charitatis; qua quilibet tenetur vitare lethale alterius peccatum. Molina *d. disput.* 335. *Concluſ.* 4. eò quòd *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo. Eccleſ.* 17.

Secundo. Causa causæ est causa causati. Decian. *Resp.* 47. *num.* 52. *Vol.* 5. Sed mutuatarius
8 est causa, ob quam usurarius, concedendo mutuum, committit crimen usuræ. Ergo etiam ipse mutuatarius peccat.

Tertio. Pari jure condemnat Apostolus eos, qui malefactoribus consentiunt, atque ipsos,
9 qui malefaciunt. *Ad Rom.* 1. 32. ibi: *Quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Quarto. Si liceret ab usurario mutuam pecuniam ad usuram recipere; illicitum non esset, apud eundem usurarium pecunias in depo-
10 situm collocare. Sed consequens est falsum, ut ait Sotus *de Just. d. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 5. quia, ut ibi ait, perindè esset, atque gladium furioso committere, aut impudico virginem, aut cibos guloso. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. Ergo & antecedens.

Quintò. Sicut quisque tenetur impedire damnum temporale alterius, dum potest, & ei
11 subvenire; ut si conflagraret vicini domus; multò magis debet vitare damnum spirituale, Salas *de Usur. dub.* 48. *num.* 6. *in fin.* Sed mutuum petitum sub usuris causat damnum spirituale usurarii. Ergo.

Sextò. Pro nullo commodo temporali debet aliquis alteri quamcumque occasionem præbere peccandi: ut ait S. Thom. ubi supra 2. 2. 12
quæst. 78. *art.* 4. quia pertinet ad rationem scandali activi, quod semper est peccatum; ut probat *dict.* 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 4. Sed ille, qui petit mutuum ab usurario, expresè dat ei occasionem peccandi. Ergo absque peccato mutuatarius pecunias mutuò sub usura recipere, easvè solvere non potest. Hanc opinionem sustinent Greg. de Valentia *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 21. *punct.* 4. Cajetan. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 4. Navar. *in man. cap.* 17. *num.* 262. & mordicùs Basil. Pontius *de Matrim. lib.* 5. *cap.* 18. *num.* 48. *& seqq.*

Opinio Tertia tandem distinxit. Vel usurarius erat paratus, & solitus fœnerare? vel non? Primo casu mutuatarius non peccat, quia non inducit illum ad malum; sed utitur ejus malo 13
in bonum. Secundo casu, oportet subdistinguere. Vel mutuatarius non habet necessitatem, sed vult expendere pecuniam illam voluptuosè? & tunc non potest absque peccato petere mutuum cum usuris. Vel est in necessitate aut gravi, aut mediocri? & in hoc casu petere mutuum cum usura potest etiam à non parato fœnerare, non intendendo usurarii injustitiam, sed proprium commodum, & utilitatem. Ita Sanchez, Vasquez, Molina, & alii apud Dianam *d. part.* 5. *tract.* 7. *resol.* 8. Quæ in Coordinato est *tom.* 7. *tract.* 5. *resolut.* 55. Et cum 14
hac distinctione transeunt omnes recentiores, ut videre est apud Ugolinum *de Usuris cap.* 22. Salas *eod. tract. dub.* 48. Cardin. de Lugo *dict. disp.* 25. *à num.* 230. *& seqq.* Busembaum *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 2. *de Scandalo, art.* 2. Tutam Conscientiam, seu P. Casalicch. *lib.* 3. *cap.* 14. *num.* 8. *&* 9. Mastrium *in Theol. Moral. d. disput.* 5. *num.* 91. adeo ut non videatur ab hac distinctione discedendum; quia per eam concordantur opiniones contrariæ supra relatæ, videlicèt; peccare quidem Mutuatarium petendo mutuum sub usuris etiam ab illo, qui erat paratus fœnerare, quando absque necessitate petit; sed non peccare, si ad petendum ducatur ob gravem necessitatem.

Cæterùm adhuc restat objectum non leve in hac materia; nimirum ex præcepto charitatis quemlibet teneri magis diligere salutem spiritualem proximi, quàm bonum temporale sui 15
ipsius, iste enim est ordo charitatis, ut primò diligamus Deum; secundò nos ipsos quoad bona spiritualia, tertiò proximum nostrum quoad eadem bona; quartò nos ipsos quoad bona temporalia; & ultimò proximum in iisdem bonis. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 5. *in corp.* ibi; *Et ideò proximum quantum ad ſalutem animæ magis debemus diligere, quàm proprium corpus.* Idem docet Sotus 3. *distinct.* 29. quod observat Mastrius *in Theolog. mor. disp.* 10. *num.* 5. Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 1. *&* 2. Et ego scripsi de Extrema Unctione: *Decis. LXXII.* Igitur si concedamus, mutuatarium posse ob temporalem necessitatem corporis petere mutuum sub usuris, easque solvere usurario; infringimus ordinem charitatis, præferentes bonum temporale mutuatarii bono spirituali ipsius fœneratoris, id est saluti animæ ejus; quod vide-

tur manifestè injustum; cum ipse mutuans sit causa peccati fœneratoris, & per suam instantiam cooperetur usuræ, quæ absque dubio est intrinsecè mala; & per consequens nemo potest licitè esse ejus causa, vel cooperari ad illam.

Huic objecto difficili valdè responderi potest
16 ex doctrina Cardin. de Lugo. *de Sacramentis in genere disput. 8. à num. 180. & seqq.* quod Mutuatarius, qui ob necessitatem petit mutuum cum fœnore, non possit dici causa peccati, vel quod cooperetur illi, quia non concurrit determinatè ad actionem, quæ hìc, & nunc fieri non possit absque culpa. Nam docent Theologi, non esse cooperatorem peccati illum, qui præstat concursum suum ad actionem indifferentem, quæ scilicèt fieri potest & cum peccato, & sine peccato; nam si cum peccato fiat, culpa refertur malitiæ, & pravæ voluntati illius, à quo fieri poterat sine peccato, & qui tamen vult illam facere cum peccato. Hinc etiam est, quod ipse Deus Optimus Maximus concurrat ad omnes actiones humanas, etsi peccaminosas, & enormes: & nihilominùs non est causa peccati, nec cooperatur peccato; quia concursus ille, prout præstatur, & offertur à Deo, est omninò indifferens; nec infertur omninò peccatum hominis ex hac voluntate, qua Deus concurrit; posset enim, stante illa voluntate Dei, non sequi peccatum, sed alia actio bona hominis. Ita in nostro Quæsito: Mutuatarius petens mutuum cum usuris non pervertit ordinem charitatis, nec magis diligit suum bonum temporale, quàm bonum spirituale fœneratoris, nec ejus salutem spiritualem postponit suæ necessitati temporali, quia petendo pecuniam fœnebrem ex se non causat fœnus, nec cooperatur determinatè ad usuram, neque ejus instantia seu petitio obligat fœneratorem ad committendum peccatum usuræ. Stat enim in libera voluntate fœneratoris dare mutuum sine usuris,
17 si velit; quod si nolit gratis mutuare, & exigat usuras, totum pendet à sua malitia, cum qua mutuatarius solùm permissivè se habet; ut latiùs explicat Cardin. de Lugo *dict. disput. 8. num. 182. & 183.* ubi eadem ratione demonstrat, excusari à peccato conjugem reddentem debitum suo conjugi malè petenti, vel christianum in triremibus Turcicis remigantem, vel Sacerdotem peccatori occulto, sed ei noto, Sacramentum Eucharistiæ præbentem: quia hæ omnes actiones ex se non inferunt malitiam, nec ad hoc tendunt; sicut petitio mutuatarii non tendit ad committendum crimen, sed ad recipiendum mutuum, quo indiget, quamvis mutuator ob suam malam voluntatem velit peccare mutuando cum usuris; quod etiam declarando pluribus exemplis prosequitur Sanchez *in Decal. lib. 1. cap. 7. num. 18.* & in terminis nostri Quæsiti *lib. 3. in Decal. cap. 8. num. 27.* & Basil. Pont. *de Matrim. d. lib. 5. cap. 18. num. 46. 47. & 48.* ubi subdit rem hanc in praxi plenam esse scrupulis, & difficultatibus; ideoque esto; quod liceat in necessitate petere mutuum cum usura ab eo, qui paratus est ex malitia fœnerare; licitum non erit petere ab illo, qui vel ex ignorantia, vel ex hac instantia incitaretur ad fœnerandum; quia esset saltem scandalum passivum, à quo tenemur abstinere. Idem Pontius *dict. cap. 18. num. 17.* & Sotus *de Justit. lib. 6. quæst. 1. art. 5.* ubi mutuatarios increpat, qui ut alias mechanicas artes effugiant, vel lautiorem vitam agant, fœnebre mutuum petunt; in perniciem tùm spiritualis, tùm temporalis vitæ; quia ad inopiam facilè vergunt, & litibus se, suosque implicant. Quare securius semper erit, si animarum Pastores suaserint indigentibus pecunia, ut à mutuo fœneratitio abstineant, & potiùs suis laboribus, & honestis industriis propriæ indigentiæ provideant.

DECISIO LVII.

ARGUMENTUM.

Exponuntur sequentia carmina, quæ continent casus quatuordecim, in quibus non est Usura lucrum recipere à debitore pecuniæ.

SUMMARIUM.

1. *Usuram recipere non est peccatum in 14. casibus hic relatis.*
2. *Feudum an possit cedi à Vasallo cum Usura Domino?*
3. *Emphyteuta an possit dare fundum ad Usuram Domino suo?*
4. *Maritus licitè exigit Usuras, donec ei Dos solvatur.*
5. *Venditor rei fructiferæ, donec recipiat pretium, potest Usuras pro fructibus exigere.*
6. *Fidejussor quando possit à mutuatario exigere Usuras?*
7. *Pœnæ nomine aliquando licitè Usura exigitur.*
8. *Hostibus, cum quibus est bellum, licet imponere Usuras.*
9. *Pecunia locari potest ad pompam.*
10. *Debitum antecedens si deducatur in pactum in mutuo non est Usura.*
11. *Damnum emergens, & lucrum cessans ob moram mutuatarii non est Usura.*
12. *Spontè datum à mutuatario non est Usura.*
13. *Intentio, & spes mutuantis lucrandi aliquid ex mutuo an sit Usura?*
14. *Vendere rem pro valore futuro in tali mense an sit licitum?*
15. *Vidua pro dote sibi restituenda interusuria capit.*
16. *Sumptus in custodiendo pignore sunt retinendi ex ejus fructibus.*

DEveniendo postea ad exceptionem Regulæ mutuum esse debere gratuitum, Quæsitum fuit: *An dentur casus, in quibus licitum sit recipere aliquid supra sortem absque peccato, & absque Usura?*

Responsum fuit dari casus quatuordecim comprehensos in his carminibus.

Qui Dominus [1] *feudi est; sumptus qui* [2]
sustinet omnes
Conjugii: pretio qui [3] *sine vendit agrum.*
Quique [4] *fidejussor solvit cum fœnore sortem,*
Alteriusque tulit nomine damna sibi.
Qui pœnam [5] *rectè stipulatur; & hostis* [6]
ab hoste,
Lædere quem belli jura, vicesque sinunt.
Quique dat [7] *ad pompam signata numismata*
amico,
Et qui non aliter [8] *sperat habere suum.*
Cui mora [9] *dat damnum; cui lucrum* [10]
debitor aufert,
Et qui oblata [11] *sibi munera spontè capit.*
Qui pluris vendit dubio [12] *sub tempore merces:*
Orba [13] *Viro mulier, seque suosque ut alat.*

Quia

Qui patitur varios sumptus [14] *magnumque laborem,*
Ut Domino servet pignora tuta suo,
His impunè aliquid permittitur addere sorti;
Reddere sed Reliquos fœnore parta jube.

Quorum quidem casuum declarationem, summariè tamen, & quasi ex compendio placet hìc adjungere; ut ex eorum intellectu sciant Parochi, & animarum Pastores, aliique Confessarii decernere in eorum conscientiæ tribunalibus, an sit Usura? & cognoscant quando Pœnitentes vel rei, vel innocui sint à fœnoris culpa.

Primus itaque casus est, quando Vasallus mutuam pecuniam à Domino receperit, & feudum ei pignori dederit; nam Dominus non tenetur fructus sibi in sortem imputare. *cap. Conquestus. 8.* & ibi Gloss. *de Usuris.* Quod tamen intelligitur, si Dominus à servitiis sibi debitis ratione feudi abstineat. *capit. 1. De feud.* Covaruv. *Variar. resolut. lib. 1. cap. 1. num. 4. Vers. Hinc apparet.* Sotus *de Justit. & Jur. 6. quæst. 1. art. 2. col. 6. Vers. Exurgit tamen duplex difficultas.* Navarrus *in Manual. cap. 17. num. 217.* & Card. Mantica *de Tacit. & Ambig. lib. 11. tit. 8. num 30. & seqq.* Qui *num. 32.* notat, hoc non procedere in fundo emphyteutico, si datus sit pignori domino directo, nam iste debet fructus in sortem computare, quicquid dixerit in contrarium Navarrus *dict. num. 217.* nisi fortè non excederent summam canonis emphyteutici, & ab eo Dominus liberasset emphyteutam. 2 3

Secundus casus est in Marito, qui non recepta dote uxorem alit, & onera sustinet Matrimonii; is enim usuras impunè recipit pro dote, tùm de Jure civili. *l. 2. C. de Dot. promiss. l. Insulam, §. Usuras. ff. Solut. Matrim.* tùm de Jure Canonico. *cap. Salubriter. 16. de Usuris.* Covaruv. *Var. lib. 3. cap. 1. num. 3.* Leotard. *de Usur. quæst. 98. num. 5. & 6.* ubi advertit, in *dict. cap. Salubriter.* verba illa *Pro numerata dote* torsisse ingenia Canonistarum, ita ut alii crediderint esse legendum, *pro dote numeranda*, alii *pro dote promissa*; alii intellexerint de dote iterùm per socerum recepta: sed abstinendum est à commentis; quia verba prædicta plano stylo legenda, & intelligenda sunt scilicet *pro Dote numerata*, hoc est, *loco Dotis numeratæ*; nam *ly Pro*, significare solet *Vice, vel loco. l. Ossa. §. Si locus ff. de Relig. l. In Venditionibus. §. Indè quæritur. ff. de Contrahen. empt.* 4

Tertius casus est, si quis agrum, domum, vel aliam rem fructiferam vendat, & emptori tradat, non recepto pretio; nam venditor potest ratione fructuum aliquid ultra sortem recipere, quod tamen fructuum valorem non excedat. *l. Julianus. §. ex vendito. ff. de act. empt. l. 5. C. eod. & l. 2. C. de Usur.* quod latiùs docet Covarruvias *Var. lib. 3. cap. 4. num. 1.* Cardin. Mantica *de Tacit. lib. 4. tit. 24. num. 15.* & amplexa est Rota Romana coram Ludovisio *decis. 297. & decis. 347. num. 3.* 5

Quartus casus est, ubi fidejussor coactus fuerit pro Mutuatario solvere non sortem, sed etiam usuras: nam repetere potest ab eodem Mutuatario utrumque, ne ex officio suo damnum patiatur. *cap. 2. de Fidejussor.* Menoch. *de Arbitr. judic. cas. 119. in fin.* & Reginald. *lib. 25. num. 218.* ubi extendit hunc casum etiam ad lucrum, quod petit fidejussor pro fidejussione sua; cum enim 6

suscipiat obligationem civilem, ea est pretio æstimabilis; sed debet esse cum moderamine, ne injustitiam committat, accipiendo ultra id, quod sua verè interest; vel fingendo id, quod non est, ad palliandam usuram. Leotardus *de Usur. quæst. 23. num. 34. & quæst. 98. num. 12. & 13.*

Quintus casus est, quando apposita est pœna non in fraudem usurarum, sed ad coercendam pigritiam, malitiamvè debitoris Salas *de Usur. dub. 21. num. 2.* Cardin. de Lugo *disput. 22. sect. 15. & disput. 25. sect. 6.* Porrò hic casus non est in praxi recipiendus, ut dictum est supra *Decis. LIII.* nam pœna quantitati adjecta præsumitur usuraria, nisi probetur, tanti interesse. Illustris. Sperell. *decis. 131. num. 42.* 7

Sextus casus est, si contractus fiat cum hoste, id est cum illo, contra quem justè moventur arma. *cap. ultim. 14. quæst. 4.* Sed in praxi talis casus non est adaptabilis, quia hostibus non dantur mutuò pecuniæ, ut benè ait Ugolin. *de Usur. cap. 10. §. 2.* Undè videtur dicendum, quòd S. Ambrosius *in dict. cap. ult.* locutus sit per ironiam; quasi dixerit, si ab usuris abstinere nolitis, eas ab hostibus exigite; ut hac impossibilitate facti injustitiam in usurariis damnaret; quod plenius prosequitur Leotardus *dict. quæst. 98. à num. 16. usque ad 25.* Porrò Cornelius à Lapide *in Deuteron. cap. 23. Vers. 20.* ait S. Ambrosium *lib. de Tobia cap. 15.* per personas hostiles, à quibus Judæi poterant exigere Usuras, intellexisse Amalecitas, Amorrhæos, & Chananæos, quos etiam tanquàm pessimos Idololatras ex Dei jussu poterant occidere. Ex quo ipse Cornelius à Lapide auctoritate cujusdam Leguleji infert licitum esse Christianis contractus Usurarios inire cum Turcis, quia hi injustè occupant eorum Regna. Sed non credo esse bonam doctrinam Leguleji prædicti, quia Usura est intrinsecè mala. 8

Septimus casus est, si pecunia non detur mutuò, sed commodetur, tanquàm corpus aliquod ad pompam. *l. 3. §. 6. ff. Commod.* Quia in hoc casu potest locari, & ex locatione lucrum exigi. Carocius *de Locat. part. 1. tit. de Rescin. locat. num. 2.* Leotard. *de Usur. quæst. 34. num. 9.* 9

Octavus casus est, quando mutuans paciscitur ultra sortem sibi dari etiam id, quod antea ex alio contractu eidem debebatur. Card. Tolet. *lib. 5. cap. 34. num. 6.* Ugolin. *de Usur. cap. 11. §. 2.* dummodò tamen debitum illud fuerit verum, & liquidum; neque quid pluris mutuans consequatur, quàm sibi mutuatarius antea debebat; ut diximus supra ex doctrina nostri Cleri in *Decis. XXXVIII. num. 14.* 10

Nonus casus est, quando ex mora mutuatarii in restituenda sorte damnum resultat mutuanti; & 11

Decimus est casus, si ob eandem moram cesset lucrum eidem; nam in utroque casu potest mutuans absque fœnoris labe recipere ultra sortem id, quod sibi decrescit, vel ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. Navar. *in Man. dict. cap. 17. num. 212.* Leotard. *dict. quæst. 98. num. 43. & 44.* At sunt omninò servandæ conditiones, quæ à studiosis nostris notatæ sunt, tùm in *Decis. XXXIII.* tùm etiam in *Decis. LII.* in quibus examinatus fuit uterque casus.

Undecimus casus est, si ex liberalitate mutuatarii aliquid ultra sortem spontè mutuanti 12

donetur; quia si licitum est unicuique benefacere, multò magis ei, à quo beneficium priùs accepimus; aliàs qui nobis benefecit, esset deterioris conditionis, si prohiberetur recipere quod ex mera liberalitate mutuatarii procedit. Ugolin. *de Usur. cap.* 8. §. 2. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 315. Reginald. *d. lib.* 25. *num.* 233. Rebell. *lib.* 8. *quæst.* 3. & Leotard. *dict. quæst.* 98. *num.* 32. 33. & 34. ubi observat, abesse debere quodcunque pactum, sivè expressum, sivè tacitum, secùs autem est dicendum, de spe, & intentione mutuantis, qui licitè recipere potest quod sibi liberalitas debitoris porrigit, etsi ea spe, & expectatione mutuaverit, & sine illa non fuisset mutuaturus; dummodò in nihilo obliget mutuatarium, ut concedunt plurimi DD. apud Salas *de Usur. dub.* 5. *num.* 5. & Layman.
13 *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 4. qui nituntur justificare talem intentionem, ac spem, ne sit usura mentalis; eò quia nihil intendit, aut sperat contra justitiam, sed ex sola gratitudine, & liberalitate; quod tamen in praxi est periculosum, attento *text. in cap. Consuluit. de Usur.* ut dicit Sylvester. *Verb. Usura in princip. & quæst.* 1.

Duodecimus est Casus, quando quis hìc, & nunc rem suam non erat venditurus, sed in alio tempore, quo probabile creditur, pretium auctum iri: dicunt enim doctores in hoc casu ob dilatam pretii solutionem, posse venditorem aliquid supra sortem exigere. Reginald. *lib.* 25. *num.* 227. Petr. Navar. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 129. Ja-
14 cob Graff. *p.* 2. *lib.* 2. *cap.* 115. *num.* 2. ubi id concedunt, si incertum sit pretii futurum augmentum; ideòque eatenùs iste casus licitus est habendus, quatenus qui rem ad credentiam (ut vulgò dicitur) vendit, & pacisci tur de pretio, quod valebit E. g. mense Majo, dubium est an supremum, vel mediocre, vel infimum eo mense pretium fuerit? tunc enim cum incertitudo prodesse possit tàm venditori, quam emptori; potest, si pretium augeatur, venditor habere plus aliquid supra sortem; ut pluribus citatis DD. probat Leotard. *de Usur. d. quæst.* 98. *num.* 41.

15 Decimus Tertius Casus est in muliere vidua, cui donec restituatur dos, sunt præstanda alimenta ab hæredibus mariti, & interusuria solvenda; quod licitum esse affirmarunt Navar. *in Comment. de Usur. num.* 67. & 68. Salas plurimos DD. cumulans, *dub.* 30. *num.* 9. Thesaur. *decis.* 44. *num.* 4. Gratian. *dec.* 126. *num.* 7. & 8. Leotard. *quæst.* 79. *num.* 44. & 48. & *quæst.* 98. *num.* 42. ubi contrariis argumentis respondet, & ulteriùs probat, id etiam habere locum, vivente marito, sed ad inopiam vergente.

16 Decimus Quartus; & Ultimus Casus est, quando mutuanti data fuit pro pignore res fructuosa, in cujus gubernio, & custodia ipse impensas fecit, labores, ac sumptus; nam retinere sibi potest tot fructus ex eodem pignore, quot respondeant merito laboris, & compensent sumptus & expensas necessarias. Salas *de Usur. dub.* 28 *num.* 3. Reginald. *lib.* 25. *num.* 241. Card. Mantica *de Tacit. lib.* 11. *tit.* 8. *num.* 27. & Leotard. *dict. quæst.* 98. *num.* 54. ubi Jurisperitos allegat loquentes de fructibus Civitatum, nempè gabellis, & datiis, quando loco pignoris retinentur per Principes, donec sibi solvantur propria credita.

DECISIO LVIII.

ARGUMENTUM.

An sit licitus, vel illicitus contractus dictus *dare à godere*, ubi exbursatur pecunia. Modi, ac conditiones dandi rem fructiferam *à godere* pro pecunia absque labe Usuraria.

SUMMARIUM.

1. *Contractus dictus* Dare à godere *an sit licitus?*
2. *Fructiferæ res possunt dari* à godere, *si fructus sint æquales.*
3. *Pacta inæqualia in contractibus non sunt licita.*
4. *Fructus Pignoris sunt in sortem computandi.*
5. *Permutare rem fructiferam cum pecunia est Usura.*
6. *Pecuniam dare pro re fructifera titulo venditionis, & cum pacto recuperationis an sit licitum?*
7. *Livellus francabilis cum pecunia super domo an sit licitus?*
8. *Res fructifera dari potest* à godere *pro pecunia titulo lucri cessantis.*

POEnitens consulit Confessarium, *an sit licitus contractus vulgariter dictus* Dare à godere? *Et se de-* 1
clarat, dicens: An possit recipere mutuò ducatos mille à Petro, eique relinquere domum propriam ad habitandum gratis, donec dictam pecuniam restituat? Quæritur, quid respondere debeat Confessarius?

Ad hunc casum communiter responsum fuit; contractum, qui dicitur *Dare à godere*, si fiat in 2
rebus utrinque frugiferis, & servetur æqualitas inter contrahentes, licitum esse; at, si ab uno contrahente detur res fructifera, ab alio pecunia, ut supponitur in Casu, esse fœneratitium, & usurarium ex pluribus rationibus.

Primo. Quia ibi est usura, ubi intervenit mutuum cum lucro. *l.* 1. *ff. de Usur. cap.* 1. *extr. eod.* Sed Petrus dat mutuo ducatos mille pœnitenti cum lucro habitationis domus illius. Ergo committit usuram.

Secundo: Si quis tradendo alteri mutuam 3
pecuniam pacta inæqualia apponat, committit usuram, eo quia injustè paciscitur, & objectum usuræ est injustitia. Cardin. de Lugo *disput.* 25. *num.* 55. Sed in contractu, de quo in casu, pactum est inæquale, quia restitutio pecuniæ difficilior est petenti, quàm restitutio domus per Petrum facienda. Azor. *part.* 3. *lib.* 9. *cap.* 20. *Vers. Postremò dubitari nequit.* Ergo.

Tertio: Ubicumque datur pignus pro pecu- 4
nia mutuò accepta, fructus pignoris sunt in sortem computandi, aliàs committitur fœnus. *l. Titia* 48. *ff. de Solutionib.* Leotard. *de Usur. quæst.* 12. *num.* 10. Sed hic fructus domus à Petro non computantur in sortem. Ergo fœneratitius est contractus.

Quarto: Id etiam videtur decisum in *cap.* 5
Ad nostram. 5. *De Emption. & Vendit. & in cap. Illos Vos.* 4. *De Pignorib.* in quibus juribus cum ab una parte data fuisset pecunia, & ab altera consignatæ res fructiferæ, summus Pontifex declaravit contractus usurarios, & fructus in sortem mandavit computari. Igitur contractus, de quo in casu, illicitus est censendus; eumque fieri non posse in terminis propositis Confessarius debet respondere, prout respondent. Azor. *d. part.* 3. *lib.* 9. *cap.* 20. Bonacin. *tom.* 2. *de Contract. disput.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 7. §. 1. *num.* 7. Navar. *in Comment. de Usur. num.* 97. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 3. *cap.* 7. §. 6. *num.* 16. Cardin.

de

de Lugo *d. disput. 25. num. 133. & 134.* Graffius *part. 1. lib. 2. cap. 109. num. 20.* & Sà *Verb. Usura num. 9.*

Nihilominùs Doctores prædicti assignant tres modos justificandi, & licitum reddendi prædictum contractum.

Primus est, si tradenti pecuniam vendatur
6 domus cum pacto illam quandocumque recuperandi, prævia restitutione ejusdem pecuniæ. Sed in hoc casu requiritur: 1. Quòd domus vendi possit, nam si esset Religiosorum, vel fidei commisso subjecta, non caderet in venditionem. 2. Ut verè vendatur, ita ut dominium transferatur in tradentem pecunias: & si periret incendio, vel ruina, ipsi tradenti pecunias pereat. 3. Ut servetur justitia pretii, tùm attentâ qualitate domus, tùm considerato pacto retrovenditionis; nam si sit in favorem solius vendentis, domus minùs valebit tertia vel quarta parte justi pretii; & si in favorem solius emptoris; domus plus valere debet, quàm alioquin valeret; quoniam venditor subit gravamen, quod est pretio æstimabile; ut latiùs demonstrat Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 14.* Graffius *dict. cap. 109. num. 21.* breviùs, & clariùs P. Mastrius *in Theol. Mor. d. disput. 5. num. 30.* & Card. de Lugo *d. disput. 25. num. 13.*

Secundus modus est, si super dicta domo
7 formetur census redimibilis, seu livellus francabilis, ut in hac nostra regione practicatur; ad effectum, ut justo titulo dominus domus recipiat pecuniam cum onere solvendi censum, seu livellariam pensionem; vice cujus postea det domum in locationem prædicto domino dominii directi, à quo recepit pecuniam. Sed in hoc quoque casu oportet, ut domus sit alienabilis, & contractus fiat inter personas, quæ possint eam alienare: & ulteriùs, quòd justum sit pretium tàm respectu census, seu livelli, quàm respectu affictus, seu locationis; aliàs usurarius præsumeretur contractus, & in fraudem usurarum factus ob pretii injustitiam, juxta supradictos *text. in cap. Ad nostram 5. De Empt. & Vendit. & cap. Illos vos. 4. de Pignor.* Cardinal. de Lugo *d. disput. 25. num. 135.* & nos trademus infra in casibus de Censu, & magis plenè in tractatu de Livello.

Tertius modus est, ut tradenti pecuniam de-
8 tur domus *A godere*, donec eidem restituatur pecunia sub titulo lucri cessantis, qui modus magis placet Azor. *ubi supra*, Tamburin. *in Decal. d. lib. 8. tract. 3. cap. 7. §. 6. num. 17.* ubi Bonacina, & Filliuc. Cardinal. de Lugo *dict. disput. 25. num. 136.* & Casalicch. *in sua Tuta conscientia lib. 2. cap. 17. num. 20.*

Cæterùm ubi adhiberetur iste titulus lucri cessantis, deberent concurrere omnes conditiones requisitæ, & notatæ supra in *Decis. XXXIII. num. 3. 4. & 5.* & præcipuè, quòd hæc pecunia esset destinata ad negotiandum; & fructus domus non excederent valorem lucri, quod realiter dominus pecuniæ, negotiando, posset ex ea consequi. Hæc omnia scire, & advertere debet Confessarius, ut muneri suo satisfaciat, responsurus Pœnitenti circa contractum *A godere*, de quo in proposito Casu.

DECISIO LIX.

ARGUMENTUM.

Ponuntur conditiones necessariæ in Censu vitalitio servandæ; ne sit Usurarius.

SUMMARIUM.

1. *Census vitalitios an constituere expediat?*
2. *Joannes Picus veneno interemptus ob censum vitalitium.*
3. *Auri aviditas causat delicta.*
4. *Census vitalitii tribus conditionibus constituendi.*
5. *Fundus fructiferus an necessarius in censu vitalitio?*
6. *Bulla S. Pii V. de Censibus requirit fundum frugiferum.*
7. *Pretium justum quomodo judicandum in censu vitalitio?*
8. *Regula observanda pro pretio in vitalitiis censibus.*
9. *Consuetudo Patriæ dat regulam justi pretii in Censu vitalitio.*
10. *Capitale census vitalitii nunquam restituitur.*

CLaudius dat quingentos aureos Titio cum pacto, ut donec ipse Claudius vixerit, sibi annuatim solvat quinquaginta; & post mortem, capitalem summam Titius lucretur. Quæritur, an licitè conveniat?

Ad resolutionem hujus casus Clerus noster 1
notavit; non esse laudandos, qui census vitalitios sibi emunt; ex eis enim, avaritia impellente, votum captandæ mortis prodire facilè solet in perniciem vitæ ejusdem censualistæ, ut de Joanne Pico viro eruditissimo, cui venenum propinavit ejus censuarius, ut citiùs magnam 2
pecuniæ quantitatem ad censum, ejus vita durante, receptam lucraretur, narrat Surdus *de aliment. tit. 9. quæst. 11. in fin.* & Leotardus *de Usur. quæst. 49. num. 37.* ubi refert Polydorum à Priamo patre ad Polymnestorem Thraciæ Regem cum magno auri pondere missum, ut eum educaret, & tueretur, Troja collapsa, à Rege Thracio obtruncatum fuisse, ut auro potiretur, undè exclamavit *Virgilius Æneid. lib. 3.*

- - *Quid non mortalia pectora cogis* 3
Auri sacra fames?

Nihilominùs ab audentibus Vitalitios census 4
sibi constituere tres conditiones esse servandas, ut licitè contrahant, Studiosi nostri scripserunt. Videlicèt.

Primò: Ut Censum super certa re fructifera imponant.

Secundò: Ut justum sit pretium.

Tertiò: Ut non repetatur ampliùs à Censuario.

Prima conditio est, ut constituatur census Vi-
talitius super certa re fructifera; quamvis 5
enim non desint Doctores, qui contrarium scripserunt, quos refert Salas *de Censib. dub. 5. num. 1.* Gratian. *discept. forens. cap. 756. num. 1.* & Leotard. *de Usur. d. quæst. 49. num. 20.* ea ratione, quia sufficit, æquale esse periculum lucri, & damni inter emptorem, & venditorem census, prout extare clarum est in hoc contractu census vitalitii, qui speciem aleæ continet, & pendet ab incerto brevioris, vel longioris vitæ: nihilominùs vera, & amplectenda est sententia eorum, qui docent, necessarium esse, ut census iste fundetur in re fructifera. Molina *de Justit. & Jur. disput. 288. num. 5. & disput. 889. num. 3.*

Rebell.

Rebell. *lib.* 10. *quæst.* 4. *num.* 2. & 3. Filliuc. *tract.* 35. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 284. & 285. Scaccia *de Commerc.* §. 1. *quæst.* 1. *num.* 202. & ibi Medina *tom.* 2. *tit. de Rebus Ufur. adquisit. quæst.* 14. *Vers. Itaque non.* Cencius *de Cenſib. part.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 25. qui omnes teſtantur, eſſe de forma ſubſtantiali cujuſcunque cenſus, ut imponatur ſuper re frugifera; quod ſcribit etiam Martha *conſ.* 68. *num.* 8. 9. & 15. & Leotardus
6 *de Uſuris d. quæſt.* 49. *num.* 28. attenta præcipuè Conſtitutione S. Pii V. *Incipien. Cum onus Apoſtolicæ ſervitutis,* quam integram transſcribit Nicolius *in Lucubrat. Civil. lib.* 3. *tit.* 24. *pag.* 296. Et Cencius *in princip. ſui operis;* Et cujus primum requiſitum ponitur in illis verbis, nimirùm; *Hac igitur noſtra Conſtitutione ſtatuimus, Cenſum, ſeu annuum reditum creari, conſtituivè nullo modo poſſe, niſi in re immobili, aut quæ pro immobili habeatur, de ſui natura fructifera; & quæ nominatim certis finibus deſignata ſit:* quorum verborum *Nullo modo &c.* tanta eſt vis, & poteſtas, ut omnem potentiam aliter contrahendi excludant. *l. ult. C. de Teſt. milit.* Menoch. *conſ.* 383. *num.* 14. & inducant formam ex neceſſitate ſervandam, ut conſiderat Leotard. *dict. num.* 28. adeò ut fundo ipſo pereunte, deſinat etiam & extinguatur cenſus vitalitius. Cencius *dict. part.* 3. *cap.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 1. *num.* 26. quamvis contrarium doceat Scaccia *de Commerc. dict.* §. 1. *quæſt.* 1. *num.* 178. Sed quicquid ſit de hac opinione, quando fundus frugifer periret, tanquàm de caſu raro, (niſi eſſet domus ſubjecta incendio, vel molendinum obnoxium ſubmerſioni,) hæc conditio imponendi cenſum ſuper re certa, & fructifera non debet videri gravis cenſitori, ſed utilis; ſiquidem ubi conſtitueret ſibi cenſum vitalitium ſuper ſola induſtria, ſeu perſona cenſuarii, eo per mortem (qua nihil frequentius) ſublato, amiſiſſet pretium, & pecuniam ſuam, vel ſaltem difficile foret, eam recuperare ex generali hypotheca bonorum, cum ut plurimùm homines decedant ære alieno ſupra vires gravati, & hi potiſſimum, quos non piget pecunias ad cenſum, & ad livellum accipere, ut quotidiè experimur.

Secunda conditio, ut cenſus vitalitius ſit li-
7 citus, eſt pretii juſtitia. Porrò ad indicandum iſtud pretium cenſus vitalitii variæ ſunt Doctorum ſententiæ, quas referunt Covaruvias *Variar. reſol. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 7. & Joannes Bapt. Lupus *de Uſuris Comment.* 2. §. 1. *num.* 82. Nam juſtum pretium eſſe unum pro ſex, id eſt ducatos decem, & ſeptem pro centenario ſcripſit Oldrad. *conſ.* 207. At decem, ſeu undecim pro centenario conceſſit Bald. *conſ.* 292. *Quia ex facto lib.* 5. Duodecim cum dimidio pro ſingulis centum approbavit Romanus *conſ.* 302. Sed decem tantummodò ſingulis centenis permiſit Cumanus *conſ.* 181. Verum antiquorum opinionibus de hac re omiſſis, moderni adſtruunt,
8 computum faciendum eſſe annorum, quos morali ſuppoſitione cenſuarius vivere poteſt; deinde ſumendam eſſe dimidiam partem annorum, qui intercedunt à die emptionis cenſus uſque ad annum reputatum ultimum vitæ; & in tanta ſumma taxandas eſſe penſiones cenſus; quæ in ea medietate annorum adæquare poſſunt ſummam totius pretii, ſeu totius capitalis. V. g. ſi emptor ſit ſexagenarius, & ſperetur poſſe pervenire ad annum ætatis octogeſimum, ſi vult dare centum ducatos pro cenſu vitalitio, poterit exigere decem ducatos annuos, ſua vita durante, quia curſus decem annorum adæquat penſiones cum capitali, ut tradunt Molin. *dict. diſput.* 388. *num.* 6. & Cardin. de Lugo *diſput.* 27. *num.* 38. qui *num.* 39. ſubdit, hanc eſſe regulam fallacem, & in ea non ſubſiſtendum; cum neque moralis, neque certa appellari poſſit; attentis vitæ humanæ periculis, & frequentia mortis in ætate juvenili potius, quàm in ſenili, teſtaturque idem Cardinalis de Lugo ex coætaneis ejus, quos condiſcipulos habuit, dum juvenis eſſet viginti annorum, multò plures ante quinquageſimum annum mortuos, quàm poſt illum viderit ſuperſtites; quod & ego affirmare poſſum de propria ſcientia, circa coætaneos, ac condiſcipulos meos. Igitur trutina juſti pretii cenſus vitalitii eſſe debet
9 vel patriæ conſuetudo, vel arbitrium boni viri, circumſpectis ætate, ſanitate, robore, aliisvè qualitatibus cenſualiſtæ, ut tradit Joan. de Anan. *in cap. In civitate* 6. *num.* 21. *de Uſur.* Scaccia *dict.* §. 1. *quæſt.* 1. *num.* 298. & Leotardus *d. quæſt.* 49. *num.* 6. ubi plurimos cumulat.

Tertia conditio eſt, ut pretium, quod cenſualiſta in emptione cenſus exburſat, ita fiat cenſuarii accipientis, ut nunquam ab eo invito repeti poſſit. Nam ſi capitale, ſeu pretium præ-
10 dictum aliquando eſſet reſtituendum, non cenſus licitus, ſed mutuum cum uſura contractum eſſe diceretur. *l.* 2. *in princip. ff. Si cert. pet.* Fælician. *de Cenſib. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 19. Roderic. *de annuis reditib. lib.* 1. *quæſt.* 5. *num.* 5. ubi refert, Senatum judicaſſe uſurarium quendam cenſum vitalitium, in quo actum erat, ut ſors emptoris ſalva eſſet. Cencius *de Cenſibus dict. par.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 4. *art.* 3. *num.* 26. & Rota poſt illum tract. *deciſ.* 9. *num.* 12. & *num.* 15. Molina *dict. diſput.* 388. *num.* 6. Jo. Bapt. Lupus *d. Com.* 2. §. 2. *num.* 65. Covaruv. *Var. reſol. dict. lib.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. *Vers. Item & hæc,* præter alios, quos congerit, & ſequitur Leotardus. *d. quæſt.* 49. *num.* 7.

His igitur tribus conditionibus perpenſis, cognoſcere poterit Claudius, an licitè convenerit cum Titio, tradendo eidem quingentos aureos, cum pacto, ut donec ipſe Claudius vixerit, ſibi annuatim ſolvat quinquaginta, & poſt mortem capitalem ſummam lucretur; ſiquidem ſi aſſignatus fuerit fundus frugifer, & talis ſit ætas Claudii, ut arbitrio boni viri poſſit exigere decem pro centum, & nunquam fiat repetitio ſummæ quingentorum aureorum, benè, & licitè ſibi vitalitium cenſum conſtituiſſe dicetur.

DECISIO LX.

ARGUMENTUM.

Pro feſtorum dierum ſanctificatione tria bonorum operum genera eſſe facienda, & alia tria eſſe fugienda docet præſens Deciſio. Exempla punitionis Divinæ contra profanatores feſtorum dierum.

SUMMARIUM.

1. *Feſtis diebus tria genera bonorum operum faciendorum.*
2. *Opera tria evitanda iisdem diebus feſtis.*
3. *Diaboli præcipuus conatus ne ſanctificentur dies feſti.*

4. *Feſti*

4. *Festi dies sanctificandi tùm ex lege Divina, tùm Ecclesiastica.*
5. *Exempla profanatorum diei festi punitorum.*

Requisiti fuerunt Parochi circa primum Ecclesiæ præceptum : *Qua, & quot à fidelibus sint facienda, ut dies festos de Præcepto sanctificent ?*

DIctum fuit tria esse facienda, & à tribus esse abstinendum.

Facienda hæc sunt.

1 Primò. Missam devotè audire. *cap. Omnes fideles, cap. Missas. de Consecr. dist. 1.*

Secundò : Doctrinam Christianam ediscere, & Verbum Dei à Parochis, vel aliis concionatoribus percipere. Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 4. de Ref.*

Tertiò : Orationibus vacare, Sacramenta suspicere, & Deo Optimo Maximo cultum ac pietatem exhibere. Catech. Roman. *par. 3. De Tertio Præcept.*

Abstinendum autem est à tribus :

2 Primò : Ab operibus servilibus, mechanicis, & illiberalibus, (nisi justa subsistente causa) S. Thom. 2. 2. *quæst.* 122.

Secundò : Ab actibus forensibus, strepitu judiciorum, & decisionibus causarum. *cap. 1. de Feriis.*

Tertiò : Ab actionibus peccaminosis, nimirùm potationibus, alearum usibus, amoribus impudicis, comœdiis, ac choreis juxta monita, quæ à Clero nostro scripta fuerunt supra in his Miscellaneis Decisionibus *Decis. IV. Decis. XVIII. num. 6.*

Ad dicta in locis citatis recurrant animarum Rectores, pro rationibus desumendis ad excitandum populum, ut supradicta facienda adimpleat, & à prohibitis abstineat. Legant etiam sessiones omnes Catechismi Romani in citato *Præcepto tertio de Observatione festorum*, in quibus reperient argumenta plurima ad exhortandos fideles, ut benè, piè, ac devotè, dies festos de Præcepto sanctificent.

Prædictis addenda sunt sequentia motiva, quibus populi fideles excitabuntur ad tria prædicta exequenda, quæ sunt necessaria pro sanctificatione festorum, & ad abstinendum ab aliis tribus, quæ in diebus festis prohibita censentur.

3 Videlicèt : *Primò*, quod profanare dies festos sit opus præcipuum, & maximus conatus diaboli, qui ad suos condæmones ait : *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra. Psalm. 73. 8.* impediendo nempè illa tria opera bona, & promovendo illa tria opera mala. *Secundò*, quia secundùm doctrinam S. Thomæ 2. 2. *quæst. 122. art. 4.* Sanctificatio festorum duplici lege est

4 nobis injuncta, Divina scilicèt, & Ecclesiastica; & lachrymabile est, quòd Deo præcipienti nobis, ut in die festo non laboremus, nolimus obedire, at è contra diabolo, ac mundo dicenti nobis : *Ita* in die festo *ad onera vestra*, ut dicebat Hebræis Pharao. *Exod. 5.* sic promptè pareamus. Hinc ob hanc inobedientiam, & peccata contra Religionem, & Divinum cultum pluribus flagellis populus Christianus vapulat à

5 Deo ; & frequenter profanatores festorum dierum fuerunt puniti. Habitatores cujusdam castelli, quia in festo Sancti Jacobi præsumpserunt laborare, omnes eorum habitationes fuerunt sequenti nocte ab igne consumptæ. Vinc. Belluacen. *in specul. lib. 2. cap. 11.* Mulier incipiens fuere lineam camisiam in die festo, eam sanguine madere conspexit ; [prout sanguine plenæ repertæ sunt spicæ frumenti satæ in die festo, Jac. Meyrus *lib. 2. Annal. Ann. 811.* Alteri fœminæ panem die Dominico facienti bracchia absque sensu aut vigore remanserunt. Surius in Vita S. Hunegundis *die 25. Augusti*, Rusticus in die Assumptionis Beatæ Virginis terram fodiens, ut fornacem strueret, in foveam cecidit, & post eum terra, quæ illum vivum sepelivit. S. Bonav. *in Vita S. Francisci part. 5.* Molitor festivo die lapidis molaris dentes acuendo, non solùm mallei capulum suis manibus insertum sensit, sed ab iisdem fœtidum sanguinem egredi non absque magno cruciatu observavit, ut refert S. Gregor. Turonen. *lib. 1. de Glor. Martyr. cap. 15.* & Bubulcus, qui die sacro boves junxit aratro, paulò pòst & boves, & ipsum consumpsit fulgur è cœlo lapsum. Cardin. Baron. *Ann. 993. num. 8.* Hæc exempla à Parochis in sermonibus ad populum, & alia plura, quæ in Sacris Historiis leguntur, sunt insinuanda, ut eum ad sanctificationem dierum festorum suasum faciant ; addentes magnum quippè esse facinus violare dies festos, ut constat *ex Numer. cap. 15. Vers. 12.* ubi hominem colligentem ligna in die Sabbathi mandavit Deus lapidari ; ubi Cornelius à Lapide, qui supradicta exempla narrat, subdit : *Vide hic, quàm rigidè, & severè præcepta, & festa sua Deus mandet servari?* De hoc argumento legant Parochi, ac Concionatores Paulum Segneri *in Christ. Instruct. part. 1. serm. 11. per tot.*

DECISIO LXI.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quis sit Usurarius manifestus ? Quis occultus ? Et quæ differentia inter utrumque ?

SUMMARIUM.

1. *Manifestum duplex : Notorietate Juris, & Notorietate facti.*
2. *Usurarius convictus in Judicio, sed non confessus an sit manifestus?*
3. *Occultus Usurarius quis dicatur ?*
4. *Differentia inter Usurarium occultum, ac manifestum.*
5. *Usurarium occultum pœnitentem quilibet potest absolvere, si restituat Usuras.*

Quia Usurarius manifestus pluribus pœnis plectitur à Jure, ut dictum est supra Decis. XXV. ideò requisitum fuit : *Quis dicatur Usurarius manifestus ?*

REsponderunt scribentes circa hoc Quæsitum, manifestum Usurarium dici dupliciter, 1
Notorietate facti, & Notorietate Juris. Ille dicitur Usurarius manifestus notorietate facti, qui publicè habet mensam ad fœnerandum expositam, vel ita frequenter fœneratur (etsi privatim) ut populus de ea re certitudinem habeat. Gloss. *in cap. 1. de Usur. in 6. Verb. Manifesti.* Clarus *§. Usur. Vers. Sed hic.* Menoch. *de Arbitr. casu 235. num. 9.* Mascard. *de Probat. concluſ. 1425. num. 3. & 4.* qui etiam illum manifestum dicunt, à quo facta est confessio hujus criminis coram pluribus, & præcipuè coram Sacerdote, & duobus testibus, quòd concedunt etiam Theologi apud Salas *de Usur. dub. 46. num. 3.* & Cardin. de Lugo *d. disput. 25. num. 240.*

Notorietate juris manifestus Usurarius dicitur, qui in judicio est confessus, vel condemnatus. Covaruv. *lib. 3. Var. cap. 3. num. 4.* Clarus *ubi supra num. 5.* & Menoch. *num. 12.* Quòd si
2 convictus sit, sed non confessus, alii asserunt, & alii negant, censendum esse manifestum, ut notat Salas. *d. dub. 46. num. 4.* Cardin. de Lugo *d. disput. 25. num. 239.* & Thesaur. *de Pœnis Eccles. part. 2. Verb. Usurarii cap. 7. Vers. Item manifestus dicitur;* ubi subdit talem nunquam posse pronunciari, nisi certò constet de usura, ita ut nulla ratione, vel consuetudine publica possit excusari; quamvis non requiri usuram formalem, sed sufficere virtualem, qualis est, si supra justum pretium vendat propter dilatam pretii solutionem, ex pluribus DD. citatis doceat Cardin. de Lugo *ubi ante num. 238.*

3 Econtra: *Quis dicatur Usurarius occultus?* respondendum est, illum censendum esse occultum, in quo relevari non potest notorietas facti, vel Juris, ut latiùs demonstrant DD. supra allegati; & dictum fuit ex doctrina nostri Cleri in *Decis. XXIX.* quòd benè declarat etiam Laurentius Prior *in sua Praxi Criminali Veneta in tit. de Usura pag. 187. & seqq.*

Quòd si petamus, *Quæ differentia inter Usurarium manifestum, & Usurarium occultum?* respondendum
4 venit, hanc esse differentiam; quòd Usurarius manifestus afficiatur omnibus illis duodecim pœnis, quæ relatæ fuerunt in præcitata *Decis. XXIX.* & præcipuè passiva participatione Sacramentorum & Ecclesiastica sepultura; nisi restituerit usuras, vel idoneam cautionem dederit de restituendo, vel pignoratitiam, vel fidejussoriam, vel juratoriam juxta *text. in cap. Quia in omnibus. de Usur. & cap. Quanquam eod. tit. in 6.* & Thesaur. *de pœnis Eccles. dict. part. 2. Verb. Usurarior. pœna; cap. 1.* Contra occultum verò fœneratorem non sunt
5 inflictæ pœnæ à Jure, propterea, quotiescunque eum pœnitebit usurarum, & restitutionem fecit, ad Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam erit admittendus S. Th. *2. 2. quæst. 78. art. 3.* P. Mastrius *in Theol. Moral. dict. disp. 5. num. 93.* & alii DD. allegati in supracit. *Decis. XXIX. n. 1.*

DECISIO LXII.

ARGUMENTUM.

Docetur, qui & qualis sit contractus dictus *Mohatra*, seu *Stocco*. Ostenduntur quatuor modi illum committendi: Qui omnes damnati fuerunt ab Innocentio XI. Ideò cautè legendi Cardenas, & F. Cassianus à S. Elia circa hunc contractum.

SUMMARIUM.

1. Mohatra *contractus, seu* Stocco *quid sit?*
2. *Quot modis contrahatur* Mohatra?
3. *Pannum summo pretio vendere, cum pacto, ut sibi statim revendatur pretio infimo, est Usurarium.*
4. *Etiamsi non fiat pactum de sibi revendendo, sed sit intentio.*
5. Mohatra *etiam fiebat per interpositam personam.*
6. *Fit absque ullo pacto, aut intentione dato panno pro pecunia.*
7. Mohatra *seu* Stocco *contractus damnatus ab Innocentio XI.*
8. *F. Cassianus à S. Elia, & Cardenas cautè legendi circa contractum* Mohatram, *seu* Stocchum.

Paulus indigens pecunia petit ducatos centum mutuò à Mercatore, qui pro tanta summa ei dat tot ulnas panni ad vendendum. Paulus non reperiens emptores, pannum vendit eidem Mercatori pretio Ducatorum octoginta. Quæritur, quis contractus sit iste? Et an licitus?

Contractum hunc esse illum, qui Hispanicè vocatur *Mohatra*; Italicè *Stocco*; Gallicè *Vente, & rovente*, aliisque vocabulis in diversis regionibus, *Porro*, seu *Pillizza*, vel *Barrato*, omnes de Clero nostro scripsere; allegantes Bonacina *dict. tom. 2. de contractibus disput. 3. quæst. 2. punct. 3. num. 20.* Rebell. *de obl. Justit. lib. 9. quæst. 6. num. 7.* Salas *de Empt. & Vendit. dub. 37. & de Usuris dub. 16. num. 2.* Tamburin. *in Decal. lib. 8. tract. 3. §. 8. num. 9.* Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. disput. 26. num. 204.* Leotardum *de Usur. quæst. 24. num. 25.* Dianam *part. 1. tract. 8. resolut. 20. & 58.* Quæ in Coordinato est *tom. 6. tract. 3. resol. 63. & 64.* & Cotonium *in Summa Diana Verb. Contractus. num. 3.* P. Casalicchium *in Tuta Conscientia lib. 2. cap. 3. num. 4.* & F. Cassianum à S. Elia *in Theol. Moral. Expurg. Verb. Contractus. 1. cap. 1. & 2.* 1

Pro resolutione autem Casus, an Contractus iste sit licitus? notarunt, quatuor modis *Mohatram*, seu *Stoccos* fieri posse. 2

Primo modo; quando indigens pecunia, & eam mutuò petens à mercatore, ille se offert dare creditò pannum, aut merces, pretio quidem justo, sed summo; si tamen ipse indigens spondeat, & paciscatur, eandem mercem revendere statim eidem mercatori numerata pecunia, aut pretio infimo, etsi justo, & in hoc casu, contractum esse illicitum, & usurarium ferè omnes Theologi autumarunt; tùm quia est mutuum palliatum, ac idem, quod mutuare octoginta, & exigere centum; tùm etiam quia imponitur onus pretio æstimabile, eidem indigenti, illum obligando ad revendendum prædicto mercatori, ita ut ad alium emptorem accedere non valeat. Cardin. Tolet. *lib. 5. cap. 31. num. 3.* Angelus *Verb. Usura 1. num. 60.* ubi dicit, hunc esse contractum pessimum. Sylvest. *Usura 2. quæst. 4.* S. Antonin. *2. part. tit. 1. cap. 8. quæst. 5. & part. 3. tit. 8. cap. 4. §. 4.* Rebell. *dict. lib. 9. quæst. 7. num. 7.* & Cardin. de Lugo *dict. disput. 26. num. 204.* 3

Secundo modo, fit contractus *Mohatra*, vel *Stocco*, si in eo cessat pactum, sed tantùm adest intentio, & spes in Mercatore vendente mercem creditò cariùs, eam reemendi viliùs numerata pecunia ab eodem indigente; & in hoc casu, ferè omnes Doctores ajebant, licitam esse *Mohatram* (circumscripta prohibitione legis) quia cum nullum onus imponatur indigenti, & possit accedere ad quem malit emptorem, non debet esse deterioris conditionis idem mercator, qui summo pretio (justo tamen) mercem vendiderat, illam reemendo infimo pretio, adhuc tamen justo. Bonacin. Dian. Cardin. de Lugo & alii supra allegati, & præcipuè Salas *de Empt. d. dub. 37.* 4

Tertio modo fiebat *Mohatra* per interpositam personam; tunc videlicèt, quando vendita merce per mercatorem creditò indigenti pretio summo, mittebat amicum, proxenetam, vel tertiam personam, quæ eandem mercem nomine suo emeret pretio infimo, numerata pecunia; & in hoc casu ferè omnes Theologi dicebant contractum licitum esse, attenta justitia pretii, intra cujus latitudinem summum, & infimum continetur, ut plenè scribit Lessius *lib. 2. cap. 21. dub. 16. num. 130.* & Salas *de Usuris dub. 16. num. 4.* 5

Quarto modo prædictus contractus *Mohatra*, & *Stocco* fieri potest libero, & sincero animo, quatenùs scilicèt Mercator vendit creditò mercem suam indigenti pretio summo, sed justo; 6

non

non intendens obligare recipientem ad revendendam sibi viliori pretio, sed illum relinquens in sua libertate, sed cum non reperiat emptores, vel tempus non habeat eos adire, vel quærere, eandem mercem infimo pretio vendit eidem mercatori numerata pecunia; & hunc casum licitum esse plurimi scripserunt ex Autoribus antiquis, & modernis; quos allegat, & sequitur Salas *de Empt. dict. dub.* 37. *& de Usur. dict. dub.* 16. *num.* 2. Diana *dict. part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 20. *&* 33. quæ in Cõordin. sunt *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 62. & Cardin. de Lugo *dict. disput.* 26. *num.* 205. & novissimè Cardenas *in Crisi Dissertat.* 24. *num.* 5. & F. Cassianus à S. Elia infra citandus.

Cæterùm hisce temporibus superflua est di- 7
stinctio supradictorum casuum, & modorum faciendi contractum *Mohatra*, seu *Stocco*; attenta reprobatione ejusdem facta *die* 2. *Mensis Martii* 1679. per Sanctissimum D. N. INNOCENTUM PAPAM XI. qui in Sacra Generali Congregatione contra hæreticam pravitatem, inter cæteras propositiones scandalosas, falsas, & temerarias, hanc *num.* 40. damnavit, videlicèt: *Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retroventionis prævie inito cum intentione lucri.* In qua quidem damnata propositione damnati pariter sunt omnes supradicti quatuor modi contrahendi *Mohatram*, seu faciendi *Stoccos*; Primus enim modus expresse continetur in illis verbis: *respectu ejusdem personæ, & cum contractu retroventionis prævie inito.* Secundus modus exprimitur in aliis verbis: *Cum intentione lucri.* Tertius, & Quartus modus comprehenduntur in illa Dictione *Etiam*; ibi: *Contractus Mohatra licitus est, etiam &c.* nam illa dictio *Etiam* est particula ampliativa, & implicativa, quæ prohibitionem ampliat ad casus non expressos in ipsa prohibitione, & comprehendit quemcunque modum, quo posset contraveniri. Loter. *de Re benef. lib.* 1. *quæst.* 40. *num.* 228. Fagnan. *in cap. Cum contingat. num.* 40. *de foro competent.* & docet Barbosa *in dict. Usufreq. Dict.* 112. *num.* 1. ubi advertit *ly Etiam* exprimere casum magis dubitabilem; & implicare minùs dubitabilem, & cumulat infinitos Doctores. Et ideò quocunque modo fiat *Mohatra*, seu *Stocco* censeri debet prohibitus, ut post decretum condemnationis supradictæ scripsit P. Casalicchius *in Tuta Conscientia lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 4. F. Cassianus 8
à S. Elia *in Theolog. Moral. Expurg. dict. Verb. Contractus* 1. *cap.* 1. *&* 2. Qui tamen cautè est legendus *num.* 11. prout etiam Cardenas *in dict. Dissertat.* 24. *num.* 5. dum concedit etiam post supradictam Pontificiam condemnationem *licitum esse Contractum Mohatram, si fiat absque pacto implicito, vel explicito de retrovendendo*, ut volebat Diana *dict. part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 58. Quæ in Coordinato est *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 64. nam dictus contractus semper erit scandalosus, in detrimentum ipsius indigentis pecunia, & cum usura palliata; quam propterea gravissimi Jurisconsulti omni tempore reprehenderunt, inter quos Covar. *Var. resol. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 6. in fine; ubi eum appellat *Latrocinii genus maximè execrandum, & justis pœnis vindicandum.* Jo. Bapt. Lupus *de Usur. comment.* 3. §. 5. *num.* 124. Diaz *in pract. Crimin. cap.* 91. *Vers. illud notandum*, & alii, quos allegat, & sequitur Leotardus *de Usur. dict. quæst.* 24. *num.* 25. & hinc est, quòd plurimi Principes zelo Justitiæ ducti eundem *Mohatram* contractum olim sub gravissimis pœnis prohibuerint, ut de Regno Neapolis testatur Leotard. *ibid.* de Regnis Hispaniar. ac Lusitaniæ scribit Molina *disput.* 310. *num.* 3. & 4. & Salas *de Empt. & Vend. dict. dub.* 37. *num.* 5. de Urbe Roma, ac de Statu Magni Ducis Hetruriæ refert Jo. Bapt. Lupus *ubi proximè num* 125. & de Serenissimo ac Piissimo Principe Nostro Venetiarum scribit Laur. Prior *in dict. Praxi Crimin. Veneta tit. de Usura pag.* 188. Quapropter cum Innocentianum Decretum damnaverit scandalosas illas, & in praxi pernicios propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent; & prohibuerit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ de eis tractare, nisi forsan impugnando, tutum, laudabilevè esse non potest, dictum contractum *Mohatram* limitare, vel in aliquo casu licitum esse docere; ut facit prædictus F. Cassianus à S. Elia, cujus propterea liber meritò à Sacr. Congregatione Indicis nunc est suspensus, & prohibitus; & quidem meritò; sic enim qui scribit, potiùs defendit, quàm impugnat; minùs suffragante declarationis prætextu; siquidem illius est legem interpretari, cujus condere. *l. ultim. C. de Legib. cap.* 1. *&* 2. *de Confirm. util. vel inutil.*

DECISIO LXIII.

ARGUMENTUM.

Ut ludus, qui vocatur *Lotto*, sit licitus, quæ, & quot conditiones, ac cautelæ sint necessariæ? docet præsens Decisio.

SUMMARIUM.

1. Lotto *contractus dictus quid, & quotuplex sit?*
2. *Quomodo sit licitus il* Lotto?
3. *Auctoritate publica sunt* Lotti *exponendi.*
4. *Fraudes in* Lotto *abesse debent.*
5. Lotto *contractus pernicios magis, quàm utilis Reipublicæ.*
6. Lotto *contractus non est à Principibus permittendus.*

Confessarius interpellatur à Pœnitente, an liceat exponere mobilia pretiosa contractui, qui vocatur Lotto? *Quæritur, quid respondeat Confessarius?*

Omnes dixere: Respondendum inprimis 1
esse à Confessario, quòd contractus iste appellatus *Lotto*, seu *Lotheria*, vel *Ludus ollæ*, (eò quia Symbolæ, vulgò *bollettini* extrahantur ex olla. Martin. Delr. *Disquis. Magic. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 2. *in princip.*) dupliciter fieri possit. Uno modo, quando aliquid pretiosum venale proponitur, ita tamen, ut certus numerus personarum pro rata offerat pretium ea conditione, ut sortiendo, cujus esse debeat res illa? cui sors contigerit, eadem res pretiosa detur: & ista *Lotheria*, seu *Lottus*, licitus est, quando ultra justum pre- 2
tium rei exhibitæ, & necessarias expensas ministrorum, nihil exigatur, & absint fraudes in extrahenda sorte, cujus sit? Ratio est; quia in hac *Lotheria* concurrunt duo contractus, Unus Emptionis, & Venditionis, quo dominus rei pretiosæ illam vendit justo pretio emptoribus illis spontè conferentibus pecuniam pro ea re sortienda. Alter sortis divisoriæ, quo iidem emptores inter se paciscuntur, ut ex pecuniis multorum integrum pretium rei formetur, deinceps sortiantur, cujus esse debeat? parati omnes, & singuli arbitrio fortunæ stare; &

velle, ut ejus sit, super quem sors ceciderit; quod quidem licitè fieri potest, cessantibus fraudibus, imò talis *Lotheria* spectat ad virtutem Eutrapeliæ, ut docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 168. *art.* 2. Azor. *par.* 3. *lib.* 5. *cap.* 27. *quæst.* 5. Bonacina *de Contract. d. tom.* 2. *disput.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 26. & Sanchez *consil. Moral. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 36.

Altero modo sit Ludus iste, qui appellatur *Lotto*, quando plures pretiosæ res proponuntur, cum numero magno syngrapharum, symbolarumvè, vulgò *bollettini*, infimo pretio pro extractione singulorum à quocunque facienda determinato, cum hac conditione, ut cui sors dederit extrahere syngraphum signatam numero præmii, seu rei pretiosæ in libro descriptam, dicta res detur, ac tradatur, sed in determinatione numeri syngrapharum, seu bollettinorum
3 Auctoritas publica debet requiri, ad effectum, ut justus numerus concedatur habito respectu ad valorem & pretium præmiorum expositorum; nec non ad expensas ministrorum, qui durante *Lotheria* debent assistere, & quotidie signo publico claudere, & obsignare urnam, ne
4 novæ syngraphæ albæ imponantur, seu descriptæ in signum præmiorum auferantur, & invigilare, ne fraudes committantur, & quibus sors fausta arriserit, præmia sorte extracta consignentur. Molina *de Justit. & Jur. disput.* 509. Cardin. de Lugo *eod. tract. disput.* 31. *num.* 91. & 92. ubi alios allegat, & Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 81. quæ in Coordinato est *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 125. Qui omnes DD. notant, quod præcepto Judicis debeat taxari numerus symbolarum, seu syngrapharum in urna occulendarum habito respectu ad valorem rerum pretiosarum, quæ sunt sorti extrahentium propositæ: sique cautum fuerit, ne fraudes committantur, licitus erit hujusmodi Ludus, seu contractus appellatus *Lotto*.

5 Porro quicquid sit circa honestatem & justitiam ejus, certum est, Reipublicæ parùm prodesse, imo nocivum reperiri; tùm quia pauperes homines viri, & mulieres, spe sortis bonæ illecti, exhauriunt supellectilia, quæ domi habent; & modicum æs, quo filiolis panem forent empturi, frustra projiciunt, adversam semper sortem in syngraphis extractis reperientes; undè fit, ut plurimi ad maledicta se convertant, blasphemias proferant, & tristes de malo exitu conjuges ad rixam, & verbera descendant; etiam ad uxoricidia, ut recens memoria in hac urbe testatur. Quapropter cæteris prudentiùs scripsisse videtur Mart. Delrius *dict. lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 2. ubi observavit, ludum, seu
6 contractum hunc *periculosum esse, nec debere à Principibus permitti* ob facilitatem collusionum, & fraudum; concludens ibidem, quòd *longè tutius sit, & securius tùm Reipublicæ, tùm privatis, hoc secundo* (Lotti) *genere relicto, prius tantùm exercere*. Et ita respondere debet Confessarius non solùm pœnitenti, sed etiam Judici, ac Magistratui sciscitanti, *an liceat exponere mobilia pretiosa contractui, qui vocatur* Lotto:

Qui plura de Lotto scire desiderat, legat Baldellum *tom.* 2. *lib.* 4. *disp.* 6. *n.* 14. ubi de eo agit, & in fine ostendit, quòd qui fraudem commisit in hoc ludo, seu contractu *Lotto* appellato, teneatur facere restitutionem; adeò ut iterùm convocentur omnes, qui pecuniam dederant, ad iterum extrahendos bollettinos.

DECISIO LXIV.

ARGUMENTUM.

Referuntur rationes ex Jure Divino, Naturali, Ecclesiastico, ac Civili; ob quas Filii tenentur honorare Parentes, ac genitores suos.

SUMMARIUM.

1. *Filii quadruplici jure obligantur honorare Parentes.*
2. *Jus divinum præcipiens honorare parentes, quid intelligat pro ly* honorare?
3. *Præmium, ac punitio filiorum honorantium parentes, vel non.*
4. *Natura obligat filios honorare genitores ob tres rationes.*
5. *Ciconiæ pascunt parentes suos decrepitos.*
6. *Religionis ingressus denegatur filiis habentibus genitores egentes.*
7. *Professus potest vivere extra claustra, ut subveniat suis genitoribus.*
8. *Parentum inhonoratio delictum atrox.*
9. *Casus reservatus est contumelia genitores afficere.*
10. *Exhæredatio filiorum à Jure statuta ob* 14. *causas ingratitudinis.*

Quia Parochi compellati fuerunt, ut colligerent, ac narrarent: *Quibus rationibus gnati suadendi sint, ut honorent parentes?*

Dictum fuit, rationes desumendas esse è quadruplici Jure tanquam à quadruplici fonte; videlicèt à Jure Divino, à Jure Naturali, à Jure Ecclesiastico, & à Jure Civili. 1

In Jure Divino tres habentur rationes. Prima est Præceptum à Deo Optimo Maximo cunctis filiis propositum, quibus præcipiendo dixit, *Exod.* 20. 12. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Honoris autem appellatione quatuor continentur. Dilectio, Obedientia, Reverentia, & Subventio in necessitatibus. Catech. Roman. *part.* 3. *De Quarto Præcepto Decal.* Secunda est præmium gnatis Parentes suos honorantibus promissum; nam *Sicut,* 3 *qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore, & qui obedit Patri, refrigerabit Matrem. Et benedictio patris firmat domus filiorum; Eccl.* 3. *num.* 5. *& seqq.* Tertia est severa punitio; quandoquidem *Maledictio Matris eradicat fundamenta.* ibid. *num.* 11. *Et Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii Aquilæ. Proverb.* 30. *num.* 17. Et hìc narranda exempla filiorum, quos ultio divina feriit, & celeri, ac ignominiosa morte punivit, tanquam parentum contemptores; ut videre est apud Ecclesiasticos auctores, & præcipuè P. Nierimbergh. *in Praxi Doctrinæ Christianæ in part.* 2. *ad quartum Præceptum Decal.* apud Matthæolum *in Sylv. Histor. lib.* 6. *cap.* 1. *tit.* 23. & 24. apud Steph. Menochium *Struore Centur.* 1. *cap.* 53. *& Cent.* 4. *cap.* 86. In Vita B. Stanislai *cap.* 14. ubi filiolam Dæmones obsederunt, Matre imprecante: *Veniant in te diaboli.*

In Jure Naturali tres pariter reperiuntur ra- 4 tiones. Prima ob generationem: Secunda ob educationem: Tertia ob instructionem. Januarius Episc. Veglen. *in Quartum Præceptum Decal. à num.* 342. *& seqq.* Hinc scriptum est: *Ho-*

nora

nora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliviscaris. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Eccl. 7. num. 29. Et Tobias moriturus ajebat filio suo: *Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus; memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Tob. 4. num. 4.* Testantur hanc veritatem Ciconiæ, quæ parentes decrepitos pascunt.
5 Ugo Cardin. *in 2. Cor. 13.* & alii apud Episcop. Veglen. *ubi supra num. 376. & 377.* Et gentiles ipsi lumine naturali id agnoverunt, undè scripsere, quod *Pari vindicta Parentum & Deorum violatio expianda foret.* Val. Max. *lib. 1.*

6 In Jure Ecclesiastico duæ extant fortissimæ rationes, demonstrantes obligationem filiorum erga parentes suos. Una est, quod, si sint in necessitate, & egeant sustentatione, filii non possint ingredi religionem. *cap. Si filii, dist. 30.* S. Th. *2. 2. quæst. 101. art. 4. ad Quartum & quæst. 189. art. 6.* Cardin. Tolet. *lib. 5. cap. 1. num. 5.* Etiamsi haberent Votum ingrediendi. Suarez *tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 5. num. 16.* & Sanchez *in summa Decal. lib. 4. cap. 20. num. 3. & 8.* & adeò Jus Ecclesiasticum præfert obsequium patris, & matris obsequio Divino, & assumptioni Religiosi habitus, ut, etiamsi necessitas parentum superveniat post factam à filio professionem, adhuc ei concedat exire, ut parentibus subve-
7 niat. Sanchez *ubi supra à num. 14. & seqq.* Castropalaus *part. 3. disput. 2. punct. 2. §. 6. num. 5. & num. 9.* ubi hanc reddit rationem: *Quia obligatio filii, comparatione parentis, est ita intrinseca & naturalis, ut non videatur ab ea eximi posse ob statum perfectionis assumptum: censendus enim est assumi salva hac obligatione.*

8 Altera ratio est, quod idem Jus Ecclesiasticum reponat inter atrociora, & graviora scelera inhonorationem parentum: Probatur hæc ratio ex eo, quod Sacrum Trident. Concil. *Sess. 14. de Pœnit. cap. 7.* declarat, inter casus reservandos Episcopis non nisi atrociores, gravioresque numerari, quod & olim fuisse servatum constat *ex cap. penult.* & Glossa ibi *de Pœnit. in 6.* & Clem. *Dudum. §. Per hujusmodi. de Sepultur.* & docet Squillant. *de Obligat. & Privil. Episcop. part. 3. cap. 21. num. 1. & 2.* Porrò in casibus reservatis Episcopo tùm in pluribus Diœcesibus (quarum Synodos legi) tùm in hac Patavina Ecclesia, primus est *Blasphemia in Deum, Deiparam, & Sanctos*; Secundus verò est *Percussio parentum,*
9 *& quævis gravis actualis injuria, atque gravissima verbalis contumelia*, ut ex pagella casuum reservatorum constat, & ex hoc desumitur, post gravissimum blasphemiæ scelus, cæteris majus esse illud, quod filii inhonorantes parentes suos factis, aut verbis patrant; ac propterea, ubi Parochi in concionibus suis arguere, & insistere studuerint in hoc argumento, suasos reddent gnatos, ut abstineant à tam gravi piaculo, & parentes suos impensius honorent.

10 In Jure tandem Civili unica, sed potentissima est ratio, videlicèt exhæredatio liberorum à legibus concessa parentibus, in pœnam eorundem filiorum, qui aliquam ex quatuordecim causis ingratitudinis exercuerint contra parentes. Auth. *Non licet. C. de liber. præter. cap. 3.* Auth, *Ut tum de appellat. cognosc.* ubi dictæ causæ referuntur, & easdem recenset Nicolius *Lucubrat. Civil. lib. 2. tit. 13. in princip. num. 3.* Quæ omnia ampliſſimam offerunt materiam Parochis, Concionatoribus, aliisque piis viris, ut rationes desumant ad communiendam reverentiam, obedientiam, & honorem, quem debent filii parentibus suis; præter auctoritatem, & sententias Sanctorum Patrum, quas invenient in Catechismo Romano *ad d. 4. Præcept. Decalogi*, & in Horto Pastor. *in eod. quarto Præcepto.*

DECISIO LXV.

ARGUMENTUM.

Declaratur Quid, & Quotuplex sit Census? & quæ, & quot conditiones sint in eo servandæ ut sit licitus? præcipuè ex Bulla S. Pii V.

SUMMARIUM.

1. *Census quid sit, & ejus definitio?*
2. *Census divisio, & quotuplex?*
3. *Census fructuarius solvendus in area, non ad domum creditoris.*
4. *Pensio pecuniaria solvenda est per debitorem ad domum creditoris.*
5. *Census vel realis, vel personalis, vel mixtus.*
6. *Conditiones quinque necessariæ in Censu ob ejus naturam.*
7. *Fundus si pereat, in quo fundatus est Census, perit etiam Census.*
8. *Census à quibus personis contrahi non possit?*
9. *Constitutio S. Pii V. super creatione Censuum.*
10. *Ejus non usus allegari non potest: Requirit 12. conditiones.*
11. *Conditiones Census ex Bulla Piana an omnes de essentia?*
12. *Carmina complectentia conditiones Census.*
13. *Notarius scribens contractus Usurarios peccat mortaliter.*

Post tractatum de Usuris, quia hæ solent committi etiam in Censibus, ideò Primò quæritur. *Quid sit Census?*

CONcordarunt omnes scribentes in responsis ad hoc quæsitum, dicentes: Censum nihil aliud esse, nisi *Jus legitimum percipiendi pensionem aliquam super re alterius immobili, utili, & fructifera.* Cencius *de Censibus part. 1. cap. 1. quæst. 3. art. 2.* & Mastrius *in Theol. Mor. disput. 5. num 95.* Dicitur *Jus*, quia qui censum acquirit (nempè Censualista, vel Censitor) nullum dominium habet rei, super qua census est impositus, sed Jus ad exigendam pensionem annuam à Censuario, id est, rei illius domino. Dicitur *Legitimum*, ad denotandas conditiones justas, & formalitate legales servandas in constitutione Census, præcipuè attenta Bulla S. Pii V. de quibus in tertio quæsito. Dicitur *Pensionem aliquam*, sivè in pecunia, sivè in fructibus, puta tritico, oleo, vino, & similibus. Dicitur *Super re alterius*, quia Censuarius, assumens onus solvendi censum, remanet dominus fundi, super quo Census constituitur. Dicitur, *Immobili, Utili, & fructifera*, quia neque super re mobili, neque super fundo infructuoso, seu sterili Census potest creari, sed opus est, ut res immobilis sit, & tot fructus annuatim saltem colligantur ex fundo, quot sufficiant ad solutionem census; ut docent supradicti omnes DD. præcipuè ex forma Constitutionis Pianæ, & dixerunt infra studiosi nostri ad sequens Quæsitum. 1

Secundo Quæritur: *Quotuplex sit Census?*

2 OMnes responderunt; quod Census sit duplex. *Reservativus, & Consignativus.* Ille dicitur *Reservativus* census, in quo Censualista, proprium fundum dat, & tradit Censuario, in eundemque transfert plenum ipsius fundi dominium, reservando sibi super eo pensionem annuam. Covaruv. *Var. resol. lib. 3. cap. 7. num. 1.* Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. In Rubr. de Constit. annui census quæst. 17. num. 2.* Sotus *de Justit. & Jur. lib. 6. quæst. 5. art. 1.* Menoch. *De Præsumpt. lib. 3. Præsumpt. 107. num. 4. & consil. 983. à num. 12. & seqq.* Et iste census Reservativus est parùm in usu extra Lombardiam, & ideò de eo Doctores ex professo non tractant. Cencius *de Censib. d. part. 1. cap. 1. quæst. 1. art. 1. num. 20.* & propiùs accedit contractui libellario, in quo venditur fundus, & retroceditur venditori ad livellum. Peregrin. *lib. 1. consil. 97. num. 4. & 5.* & de hoc Clerus noster scripsit in sequenti materia de livello *à Decis. LXVI. & seqq.* Alius *Consignativus* census est ille, in quo datur pecunia, sed non fundus, & est multiplex.

Nam alius est *Temporalis*, qui scilicèt creatur ad tempus determinatum, putà tres, vel quinque annos tantùm, & alius est *Perpetuus*, qui caret hac taxatione temporis; nihilominus etsi possit durare in perpetuum, est tamen redimibilis ad arbitrium Censuarii.

Vel alius est *Pecuniarius*, quando pensio solvitur in pecunia, & alius est *Fructuarius*, tunc nimirum, quando pro pensione redduntur fructus. Cencius *d. quæst. 1. art. 2. & 3. à num. 8. 9. & 10.* ubi notat, Censum fructuarium, seu
3 pensionem consistentem in fructibus solvendam esse in area, nec posse obligari Censuarium debitorem, ut eam mittat ad domum creditoris. *l. 1. §. Licèt autem ff. de Pericul. & Commod. rei Vendit.* Quod tamen non dicit Roder. *de annuis reditib. lib. 2. quæst. 6. num. 3.* Secus autem de pensione pecuniaria, quæ à debitore de-
4 ferenda est ad domum creditoris. Maurus *de Solut. cap. 29. num. 1.* ubi *num. 21.* limitando dicit, quod quando species est consignanda, tunc debet consignari in loco, ubi reperitur, ut per Ursill. ad Afflict. *dec. 316. num. 3.* & tradit Card. Tuscus *lib. 7. Conclus. 350. per totam*, quod neque inutile, neque injucundum est scivisse.

5 Aut tandem Census consignativus alius est *Realis*, qui fundatus est in fundo stabili, & immobili. Alius *Personalis*, cujus fundamentum est industria alicujus personæ, ex cujus laboribus proveniat lucrum pro solutione census. Alius verò est *Mixtus*, qui constituitur super re simul, & persona; ita ut, si res pereat, persona remaneat obligata; at personalis, & mixtus Census quamvis de sui natura licitus videatur, ut demonstrat Covaruv. *Var. lib. 3. cap. 7. num. 5.* nihilominus ob periculum usurarum prohibitus omnino fuit per Bullam S. Pii Quinti. Cencius *d. part. 1. cap. 3. quæst. 1. art. 6.* & Nicolius *lib. 3. tit. 24. sub. num. 23.*

Tertio quæsitum fuit: *Quæ requirantur conditiones pro legitimitate, & validitate Census?*

DIctum fuit, alias conditiones requiri ex natura contractus; alias autem ex solennitate Juris, nimirum ex Constitutione 8. Pii V.

6 Ex natura contractus quinque conditiones debent intervenire.

Prima est justum pretium; & tale dicitur secundum aliquos, quando pretium datum pro censu esset sufficiens emere tot campos, vel domus, ex quibus deductis expensis tantundem proventus habetur, quot reddit census ipse. Rebell. *dict. lib. 10. quæst. 5. in princip.* Menoch. *cons. 445. num. 11.* Sed hoc non placet, quia possessiones camporum pluris valent ob plenum eorum dominium, & minus reddunt in fructibus deductis expensis, laboribus, & periculis, quàm census. Gratian. *discept. forens. cap. 545. num. 17. & 18.* Cencius *de censib. part. 2. cap. 1. quæst. 1. art. 4.* & Leotard. *de Usur. quæst. 59. num. 20.* Alii dixerunt, justum pretium esse, si census perpetuus ematur non minoris, quàm unus pro triginta, redimibilis vero non minoris, quàm unus pro quatuordecim, videlicèt in censu redimibili pensio non sit major, quàm septem pro centenario, in perpetuo autem tria cum dimidio. Rebell. *ibidem num. 5.* Comitol. *Resp. moral. lib. 3. quæst. 28. num. 10.* Leotard. *d. quæst. 59. num. 20.* Alii scripserunt pro Justitia pretii servandam esse taxam factam à Principe. Salas *de Censib. dub. 22. num. 3.* Alii vero firmarunt, justum pretium dicendum esse, quod universalis consuetudo approbavit. Cardin. Tolet. *lib. 5. cap. 47.* Leotard. *dict. quæst. 59. num. 22.* Covaruv. *Var. resol. lib. 3. cap. 9. num. 6.* Gaspar. Anton. Thesaur. *Quæst. forens. lib. 1. quæst. 32. num. 5.* & Gratian. *disc. for. cap. 141. num. 27.*

Secunda conditio est, ut census fundetur super re immobili fructifera, & quæ saltem tot fructus annuos reddat, quot sufficiant ad pensionem census solvendam; ea enim est fundamentum essentiale census, adeo ut ipsa pere- 7
unte, vel in toto vel in parte, etiam census vel in parte, vel in toto pereat. Rebell. *d. lib. 10. quæst. 6. num. 1.* Cencius *de Censib. part. 3. cap. 1. quæst. 1. art. 1. num. 16.* Nicolius *Lucubrat. Civil. dict. lib. 3. tit. 24. num. 61. & num. 103.* latè Leotardus *de Usur. quæst. 50. quæst. 56. & quæst. 57.*

Tertia conditio est, ut Censuarius, quando census assumit super dicto fundo fructifero, sit ejus liber, & absolutus dominus, habeatque illius liberam administrationem; hinc fit, ut pu- 8
pillus censum constituere non valeat super suis bonis, neque maritus super fundo dotali, neque clericus super terris beneficii, neque Regulares super possessionibus Conventus, neque emphyteuta, feudatarius, aut fideicommissarius super campis subjectis emphyteusi, feudo, aut fideicommisso, neque secundum censum Censuarius creare possit super eodem fundo, nisi ita uberes sint fructus, ut valeant sustinere primam, & secundam pensionem, ut probat Nicolius *d. lib. 3. tit. 24. à num. 25. & seqq.* & Leotard. *quæst. 51. 52. 53. & 54.*

Quarta conditio est, ut contrahentes verè, ac sincero animo intendant constituere censum, quia, si eorum intentio esset mutuare pecuniam, & ita exigere lucrum, usuram committerent. Nicolius *ubi supra num. 24.* Rebell. *d. lib. 10. quæst. 3. num. 2.*

Quinta tandem conditio ex natura contractus est, ut in census creatione circa pacta, in quibus partes convenerunt, servetur æqualitas, nec venditor aggravetur ab emptore contra justitiam, sed si quid majus onus imponatur uni parti, quàm alteri, pars onerata compensetur aut diminutione, aut augmento pretii: Valen-

tia

tia *tom. 3. disput. 5. quæst. 22. part. 2.* & Nicolius *ubi supra.* Et hæ conditiones servandæ veniunt etiam in contractu livelli.

Ex Constitutione autem sanctæ memoriæ S. Pii Quinti, [quæ incipit *Cum onus Apostolicæ servitutis,* lata Romæ *Anno* 1569. *in princip.* Ugolin. *de Usur. cap.* 42. & quæ in *Bullar. la* 79. *tom. 2 pag.* 9 208. & de cujus non usu, vel contrario usu in materia censuum, neminem dicere, aut allegare posse, respondisse Sacram Congregationem te- 10 statur Nicolius *d. lib* 3. *tit.* 24. *num.* 29. quia tanquam declaratoria juris naturalis, & divini est ubique servanda, quod etiam sustinet Comitolus *d. lib.* 3. *quæst.* 27.] duodecim sequentes conditiones requiruntur.

1. Ut census imponatur super re immobili.

2. Quæ sit fructifera.

3. Ut certis finibus sit designata, & sic non sufficit, illum imponere generaliter super omnibus bonis præsentibus, & futuris.

4. Ut in stipulatione Instrumenti pecunia realiter exburset ur, & numeretur ab emptore venditori census in præsentia Notarii, & testium, ideò non sufficit eam ante numerasse, vel creditorem de ea extitisse, quicquid dicat Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 44. pro foro conscientiæ, quæ in Coordinato est *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 69.

5. Nè pensiones census solvantur anticipatæ ex pacto sed terminis maturatis, & semestribus transactis.

6. Ne venditor obligetur ad casus fortuitos, puta si domus incendio periret, vel molendinum excrescentia aquarum, vel chasmate [id est, si terra aperiatur, & ibi fiat voragᵒ] fundus destruatur: in his enim casibus etiam census perit, & censuarius non tenetur ampliùs solvere pensionem.

7. Ne fiat pactum restringens libertatem censuario alienandi rem censui subjectam, vel quod teneatur solvere laudemium censualistæ pro obtinenda licentia illam alienandi.

8. Tenetur tamen censuarius volens vendere rem censitam admonere priùs emptorem census, & illum unicuique præferre, si eandem rem velit acquirere.

9. Ne censuario, moroso in solvenda pensione, imponatur aliqua pœna pecuniaria, nisi ob damnum emergens.

10. Ne pensiones maturatæ, & non solutæ convertantur in capitali, & augmento census.

11. Ut semper sit liberum censuario redimere census, restituendo pretium censualistæ, à quo propterea hæc libertas nunquam auferri, seu limitari potest: debet tamen censuarius id denunciare censualistæ per duos menses, antequam redimat, & eis transactis realiter pecuniam in liberum depositum tradere, & de ea intimationem legalem facere. Rota post Cencium *decis.* 277. *num.* 9.

12. Tandem conditio est, ut censuarius non obligetur ad se affrancandum, seu ad censum redimendum, nisi in duobus casibus: *Uno,* quando ipse priùs denunciaverit censualistæ, velle se affrancare, nam transactis duobus mensibus cogi potest à censualista, ut se affrancet, & census redimat. *Altero,* si censuarius fuerit morosus in pensionibus solvendis, & pactum factum fuisset, quod in tali mora cogi posset ad affrancationem. Rota post Cencium *decis.* 147. *à num.* 7. *& seqq.* Molina *disput.* 391. *clausul.* 11. Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 11. *num.* 69. & Cardin. Mantica *de Tacit. & Ambig. lib.* 8. *tit.* 22. *à num.* 22. Porrò de justitia, seu injustitia hujus pacti latiùs scripsit Clerus noster circa livellum *in Decis. LXVII.* & nos ibi.

Verùm quia disputant Doctores, utrùm supradictæ omnes conditiones vigore Bullæ Pianæ sint de substantia contractus, ita ut si una quæque ex eis deficiat, contractus census sit nullus? Vel potiùs si adjiciantur pacta contraria supradictis conditionibus, vitientur quidem pacta, sed ipsa non vitient contractum? Notarunt scribentes nostri ex communiori Doctorum opinione, si quatuor primæ conditiones tantùm deficiant, deficere contractum, ita ut si res non sit immobilis, vel fructifera, vel certis finibus designata, vel pecunia realiter numerata non sit coram Notario, & testibus in stipulatione Instrumenti, census contractus sit invalidus; at cæteris conditionibus deficientibus per contraria pacta validus est contractus, quia ipsa pacta contraria vitiantur, & non vitiant, ut abundè docent DD. Nicolius *d. lib.* 3. *tit.* 24. *à num.* 54. *& seqq.* Rebell. *dict. lib.* 10. *quæst.* 7. & 8. & Salas *de Censibus dub.* 31. Supradictæ omnes conditiones in his Versibus restringuntur. 11

Quærere si rectè Censum cupis, elige fundum, 12
Qui referat fructus, limitibusque nota.
Et pretium Domino vendenti in limine justum
Dinumera, ut rebus consulat indè suis.
Fraudibus, & pactis careat contractus iniquis,
Quæ vetuit Quinti Sanctio sancta PII.

His stantibus proponitur sequens casus:

PArochus interrogatur à tenello Notario, quot conditiones sint de necessitate servandæ juxta Bullam S. Pii Quinti in constituendo censu? Quæritur, quid dicturus sit Parochus?

Dixere omnes, tradendas esse decisiones has per Parochum Notario, ut eas legat, & se instruat. Addiderunt, posse hac occasione arrepta Parochus ipse monere Notarium, ut à celebrandis Instrumentis contractuum, aut simulatorum, aut fœneratitiorum omninò caveat ob 13 culpam mortalem, in quam incurrit, etiam cum onere restitutionis faciendæ parti læsæ ex magis probabili Doctorum sententia, ut videre est apud Cardin. de Lugo *disput.* 51. *sect.* 2. & Card. Toletum *lib.* 5. *cap.* 41.

DECISIO LXVI.

ARGUMENTUM.

Disputatur famosa Quæstio: An licitè à Judæis exerceantur Usuræ? Vera declaratio text. Deuter. 23. 19. quem Judæi ridiculè interpretantur pro Usuris faciendis, etsi prohibitæ sint cum quocunque.

SUMMARIUM.

1. *Judæi an licitè usuras faciant cum Christianis?*
2. *Deuter.* 23. *Vers.* 19. Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno: *Declaratio.*
3. *Judæis olim permissum fœnerari cum alienis, sed non concessum.*
4. *Amorrhæorum, & Chananæorum bona Judæis à Deo addicta.*
5. *Julius Maurocenus Judæus ad fidem conversus laudatus.*

6. Ju-

6. *Judæorum iniqua interpretatio text. Deuter. ut exerceant usuras.*
7. *Principes, Imperator, Papa an possint concedere Judæis, ut usuras exerceant?*
8. *Judæis ad fidem conversis an Papa possit condonare Usuras?*
9. *Judæis illicitum est cum quocunque Usuras exercere.*

JUdex timoratæ conscientiæ consulit Confessarium, an vigore Testamenti Veteris Judæi possint fœnerari Christianis? Quæritur, quid sit respondsurus Confessarius?

Dictum fuit, à Confessario respondendum esse Judici petenti, quod Judæi licitè non possint fœnerari Christianis, ea ratione, quia usura prohibita est Jure Naturali, & Divino, ut Clerus noster probavit supra *Decis. xxv.* & constat evidenter *ex cap. Quia in omnibus. cap. Super eo, & cap. Consuluit, de Usuris.* Nam à Domino dictum est *Ezech. 18. num. 8. Qui ad Usuram non accommodaverit, & amplius non acceperit, hic justus est, vita vivet, ait Dominus, & num. 13. Ad usuram dantem, & amplius accipientem: nunquid vivet? Non vivet, cum universa hæc detestanda fecerit, morte morietur, & num. 17. Usuram, & superabundantiam non acceperit.* Item *in Psal. 14.* legitur *num. 5. Quis ascendet in montem Domini, &c. Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Quos text. & alios allegat Salas *de Usuris dub. 3. num. 2.* & Molina *disput. 304.*

2 Neque suffragatur Judæis textus, quem adducunt *Deuter. 23. Vers. 19.* ibi: *Non fœneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno. Fratri autem tuo absque usura id, quo indiget, commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere tuo, in terra, ad quam ingredieris possidendam.* Quandoquidem huic textui tres dantur responsiones.

Prima, quod in Textu vero, & Bibliis Hebraicis correctis non habeantur illa verba *sed alieno*: quæ addita fuisse à Concilio Sannedrin, vel à Glossa testantur aliqui, quos citat Salas *dict. dub. 3. num. 6.* & alii plurimi, quos allegat Rota *part. 5. recent. decis. 301. à num. 31. usque in fin.* & qui optimè respondent prædicto textui Scripturæ Sacræ.

3 *Secunda* est, quæ desumitur ex S. Th. 2. 2. *quæst. 78. art. 1. in resp. ad secund.* ubi sic ait: *Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet à Judæis Deum colentibus usuram acciperent propter avaritiam, cui dediti erant, ut habetur. Isaiæ 26.* Idem docet S. Doctor *quæst. 12. de Malo art. ultim.* Igitur permittebatur fœnerari alienis, sicut nunc permittuntur meretrices; non quia licitum est meretricari, sed majoris mali causa evitandi; & sicut permittebatur libellus repudii ad duritiam cordis Judaici. Molina *dict. disputat. 304. num. 15.* Covaruv. *Variar. lib. 3. cap. 1. num. 7.* & Cardin. de Lugo *disput. 25. num. 12.*

4 *Tertia* responsio est, tunc fuisse permissam usuram Judæis in Chananæos, & Amorrhæos, quorum terram possidendam Deus eis tradiderat, & per consequens etiam pecuniam, & bona mobilia, adeò ut sicut non peccabant occidendo Amorrhæos, & Chananæos in bello tanquam hostes Dei, ita neque eorum bona per usuram auferendo; quod colligit ex D. Ambros. *lib. de Tobia cap. 15.* Cornel. à Lapide ibidem, ut dictum est supra *Decis. LVII. num. 10.* & notant Conradus, & Medina quos refert Pignatell. *tom. 4. Consult. 75. num. 46.* ubi eruditè deducit, ex illo textu perperam Judæos inferre, eis licitum esse usuram facere cum Christianis: nos enim neque alieni, hostesvè Dei appellandi sumus, neque bona nostra illis à Deo addicta sunt, sed à nobis ipsi miserrimi tolerantur, & in sinu nostro ex charitate, & pietate foventur.

Porrò non est omittendum, tantam esse Judæorum malitiam, ut neque inter se ipsos abstineant ab usuris, & profiteantur id sibi licere; quod quomodo faciant, jucundè explicat *Julius Maurocenus Venetus*, Lector hebraicæ linguæ in Collegio Romano de Propaganda fide, Vir tùm 5
eruditione rituum hebraicorum, tùm pietate, post amplexam Catholicam fidem, laudabilis. Ipse in opere suo typis impresso Romæ Anno 1683. inscripto *Via della fede mostrata à gli Ebrei, p. 3. cap. 15.* cum ostendisset, Judæos etiam inter seipsos usuras frequentare, ita dicit: *Sentite. In* 6
Roma; Venezia, & altri luochi di Italia, dove tengono aperti i banchi, accommodano le parole di Dio, e le fanno di negative, che sono, diventare affermative. Leggono dunque il testo di sopra in questa maniera, e per via d' interrogatione: Allo straniero darai ad usura, & al tuo fratello nò? *Il che muta in tal guisa la sentenza del periodo, che non solo permette, quanto prima proibiva, mà lo rende meritorio, facendo questo sentimento? Come: darai tu allo straniero ad usura, e non darari al tuo fratello? Fai male: devi più tosto praticarla conquello, cheusarla coll' altro. E così mentre fanno due scelleraggini; l' una di viziare le sacre lettere, e l' altra non obbedire al precetto, si credono di osservarlo, e di meritare.* Ita ille, qui tot annos fuit Rabbi in Synagogis, & informatissimus Judaicarum perversitatum.

Igitur tantum abest, licitum esse Judæis fœnerari virtute Testamenti veteris nobis Christianis, quod imò à Judicibus, & Magistratibus sunt acriter puniendi ob usurarum crimen, ut doctè probat Marquard. *de Judæis l. 1. cap. 11.* & novissimè Pignatell. *d. tom 4. cons. 75. num. 48.* ubi benè adjungit, quod nullus Princeps, neque Im- 7
perator, neque Papa possit concedere licentiam Judæis, ut fœnerentur, resistente lege Divina usuras damnante, contra quam nulla derogatio, aut dispensatio valet, ut firmant DD. ibi per Pignatellum allegati; inter quos Paulus de Castro *consil. 397. lib. 2.* & facit *Clem. 1. de Usur.* Porrò an Judæis venientibus ad fidem Christianam 8
possit Papa concedere, ut retineant acquisita per Usuram, & eos à restitutione liberare? distinguendum est inter usuras ab incertis personis collectas, & in his Papa gratiam facit, ut eas sibi retineant titulo eleemosynæ, quam Ecclesia, cui erant consignandæ, illis elargitur, juxta tenorem Bullæ XXXII. Pauli Papæ III. & inter usuras à certis personis exactas, & in his Papa condonare potest Judæis ad fidem conversis restitutionem alicujus portionis; interpretando, quod eam sibi retineant ratione lucri cessantis, vel damni emergentis; cum Judæorum eorundem pecunia esset negotiationi destinata; ita ut solus excessus in lucro veniat restituendus juxta text. ac DD. à Pignatello *dict. consult. 75. à num. 87. & seqq.* allegatos. Cæterùm iisdem Judæis 9
viventibus in Judaismo nunquam licitum fuit, aut esse potest, usuras exercere, ut benè demonstrat etiam Cornel. à Lapide *in cit. Deut. cap. 23. Vers. 19.* ubi leges Athenienſium, ac Romanorum congerit labem Usurariam proscribentes; quare multò magis Judices Christiani debent esse severi contra Judæos Usurarios.

DE-

DECISIO LXVII.

ARGUMENTUM.

An retardata solutione legati pii, à testatore in pecunia soluti, possit legatarius exigere prodia ad rationem quinque cum dimidio pro centenario ab hæredibus, seu Commissariis ejusdem testatoris absque labe Usuraria?

SUMMARIUM.

1. *Prodia ex legato pecuniario non soluto an licitè exigenda?*
2. *Opinio negativa. Affirmativa* num. 7.
3. *Pecunia non parit pecuniam.*
4. *Legatarii quando possint prætendere fructum ex legato?*
5. *Damna, & interesse debetur à debitore moroso.*
6. *Pecunia investienda si non investiatur, debetur interesse.*
8. *Interesse, & damnum non est usura.*

ANno 1687. obiit R. D. Antonius Rimundus Parochus S. Gregorii de Padua, testamento priùs condito, in quo ordinavit Commissario suo Nob. D. Aloysio Trivisano, ut Ven. Congregationi Parochorum consignaret Ducatos mille, [quos in tot Ducatinis Venetis argenteis habebat in quadam capsa,] per eandem Congregationem investiendos, & dandos ad livellum; ex cujus canone quinque anniversaria cum Missa solenni, ac Missis privatis de Requie in eadem Ecclesia S. Georgii per omnes Sacerdotes de Congregatione celebrandis, annuatim pro anima sua fierent. Supradictus Commissarius eosdem mille Ducatos argenteos in proprium usum convertit, promittens Ven. Congregationi, donec, & quousque illos consignaret, solvere ducatos quinquaginta quinque annuatim, prout de facto illos solvit, per nonnullos annos. Dubitatum fuit, an Ven. Congregatio licitè exigeret eosdem Ducatos 55. absque Usuraria labe? Consimilem Casum ponit Reverendissimus Pignatellus Jurisconsultus, ac Theologus Romanus in suis Consultationibus Canonicis *tom.* 10. *consult.* 46. ita scribens: *Pius Testator in hunc modum disposuit. Lego Patribus Religionis A. ex mea hæreditate scuta viginti millia, ut Monasterium in meis ædibus construant. Quæritur, an dictis Patribus, donec eis non solvantur dicta scuta viginti millia, debeantur aliqui fructus sine labe Usurarum?* Et respondit, nullos fructus deberi. Ratio ejus opinionis negativæ fuit; nam legatum est pecuniarium, undè legatarii habent tantùm actionem ad pecuniam, pecunia autem nullum ex se fructum reddit, quia pecunia non creat pecuniam; ideòque non possunt prætendi aliqui fructus sine labe Usurarum, *ad text. in cap. Salubriter, de Usur.* traditque Rota *decis.* 130. *num.* 1. & *decis.* 301. *num.* 4. *part.* 5. *recent.* Estque certum, quod creditor pecuniarum, ut consequi possit aliquod lucrum licitum, debeat probare adesse requisita Pauli de Castro *in lib.* 3. *in fin. ff. De eo, quod certo loco*; juxta opinionem Rotæ *in Decis.* 90. *num.* 3. *part.* 2. *divers.* Cum igitur in hoc casu ex pecunia legata testator jusserit construi Monasterium, certè nec ob retardatam solutionem, neque ob non adimpletum opus, aut ob aliquem alium prætextum Patres legatarii possunt prætendere lucrum, cum ipsi non sint passi aliquod damnum. Surdus *Decis.* 365. *num.* 39. & *cons.* 101. *num.* 24. *lib.* 1. Nec obstat, quod legatariis à die motæ litis debeantur fructus: nam id locum habet, quando res legata est ex se fructifera, ut si fuissent legata bona stabilia, vel loca montium, tunc enim pendente lite fructus debentur legatario: nos autem versamur in casu, in quo legata est pecunia, quæ non potest ex se parere fructus legatario, & ideò si Patres agerent pro fructibus, sine actione agerent, & esset manifesta Usura. Hucusque Pignatellus *dict. tom.* 10. *consult.* 46. *à num.* 41. *usque in fin.*

Sed hac doctrina non obstante dixi Nob. D. Aloysium Trivisanum Commissarium, & Executorem testamentarium jure solvisse, & fuisse obligatum solvere prodia Ducatorum mille Ven. Congregationi Parochorum, ipsamque Ven. Congregationem ea exegisse, ac exigere potuisse absque labe Usuraria; & ratio est, quia obligatus ad factum, si sit in mora, tenetur ad damna, & interesse. Rota *part.* 19. *recent. decis.* 207. *num.* 1. ubi text. ac DD. loquentes in facto ordinato per testatorem. Rota coram Coccino, quam refert Gratian. *discept. forens. cap.* 540. & coram Dunozetto Juniori *decis.* 627. quæ fraternizat cum legato RR. Parochorum; siquidem ibi Testator ordinaverat, ut ab hærede investiretur pecunia in locis montium pro dotanda muliere, & quia hæres non fecit investimentum, Rota condemnavit illum ad damna, & ad quanti intererat, investimentum non fuisse factum. Sic in præsenti casu R. D. Antonius Rimundus Testator jusserat executori testamentario dare illos Ducatos mille Ven. Congregationi Parochorum statim investiendos ad livellum, ut ex fructibus livellariis celebrarentur dicta quinque annua Anniversaria; cumque executor fuisset in mora solutionis legati, & Congregatio non potuisset investire dictam pecuniam, resultabat damnum, & interesse annuum Ducatorum 55. & ad hoc damnum, & interesse solvendum idem executor tenebatur. Nec poterat refricari labes Usuraria, quia Ducati 55. solvebantur non tanquàm usuræ, sed tanquàm fructus investimenti, seu livelli faciendi, ut docet Covaruvias *Var. resol. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. & decisum fuit in terminis hujus casus à Rota coram Orano posita post Merlin. *de legitima decis.* 29. & ab eadem Rota *dict. part.* 9. *recent. decis.* 207. *num.* 8. & 9. Novissimè, & strictissimè ad hunc casum Emin. Cardin. de Luca *de Usuris. disc.* 30. *num.* 5. *disc.* 31. *num.* 5. ac cæteris clariùs *disc.* 32. *num.* 7. & ita practicatum fuit, donec, & eò usque urgente Congregatione, eidem fuerunt soluti Ducati mille ab executore. Nec obstat casus Domini Pignatelli, quia in eo non agebatur de damno, aut interesse legatariorum ex dilata solutione legati.

DECISIO LXVIII.

ARGUMENTUM.

Decem motiva, rationes, ac argumenta, quibus Parochi suadebunt fidelibus, ut omninò caveant à perjuriis, falsisque juramentis.

SUMMARIUM.

1. *Juramentum debet fieri cum veritate, justitia, & judicio.*
2. *Jurare falsum est gravissima Dei offensa.*
3. *Etiam in re levi.*
4. *Maledictiones Divinæ contra pejerantes.*
5. *Perjurium in judicio quam grave sit?*

6. *Casus*

6. *Casus est reservatus Patavii.*
7. *Perjurium majus peccatum homicidio.*
8. *Falsi testis conscientia difficillimè sanatur.*
9. *Falsus testis in criminalibus qua pœna puniatur?*
10. *Falsus testis non absolvendus, nisi se retractaverit.*
11. *Restitutio damnorum facienda à falsis testibus.*
12. *Falsus testis sit infamis, & irregularis.*
13. *Falsi testes puniti à Deo etiam in hac vita.*

Ut homines retrahantur â pejerando, & possint Parochi ab hoc piaculo eos retrahere, utile visum fuit, si *Referantur argumenta, & rationes ad horrorem, ac terrorem incutiendum iis, qui falsò jurant, præcipuè in judicio.*

1 PRæmiserunt ad majorem contra pejerantes invectivam, Juramentum esse quidem actum Religionis & licitum, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 3. *art.* 4. dummodò tamen proferatur servatis tribus illis conditionibus, quæ notatæ sunt per *Jer.* 4. 2. *Jurabis: Vivit Dominus, in Veritate, in Judicio, & in Justitia. Veritas* requirit, ut, quod asseritur, verum sit, & qui jurat, id ita esse arbitretur, non quidem temerè, aut levi conjectura adductus, sed certissimo argumento. *Judicium* expostulat, ut non juretur inconsideratè, sed consultò, & necessitate urgente. *Justitia* autem insinuat, ne quis injustum aliquid, vel inhonestum jurejurando promittat. Itaque si una ex his conditionibus deficiat, illicitum est juramentum, præcipuè verò, si Veritas absit: siquidem qui falsò Deum testatur, insignem Deo in-
2 juriam facit, quippè qui aut insciliæ notam Deo inurit, dum ipsum alicujus veritatem latere arbitratur, aut certè improbitatis, aut pravi affectus, qui mendacium testimonio Dei velit confirmare. Catechism. Roman. *part.* 3. *de* 2. *Præcept. Decal. à num.* 11. *& seqq.*

His ita præmissis, dictum fuit, terrendos esse homines, ne audeant pejerare, eosque à tanto facinore retrahendos, ex sequentibus.

3 Primò: Quia piaculum gravissimum est juramentum falsum, etiamsi agatur de re levi; etenim gravissima injuria fit Deo, illum in testem vocando falsitatis, qui est summa, ac perfecta veritas. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. Sanchez *in Decal. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 6. *&* 7. Etiamsi jurans joci causa juraret. S. Th. 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 3. *ad* 2. & Sylvest. *Verb. Perjurium, num.* 3. *& Verb. Juramentum.* 6. *quæst.* 6.

4 Secundò: Quia minatus est Dominus gravissimas pœnas contra pejerantes, ait enim: *Neque enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Exod.* 20. 8. *Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. Eccl.* 23. 12. *Et maledictio veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter. Zachar.* 5. 4.

5 Tertiò: Quod si perjurium committatur in judicio, enormissimum crimen est, quia tres sunt, qui gravissimè uno actu offenduntur, scilicet Deus, Judex, & proximus, *cap.* 1. *De Crimin. falsi.*

6 Quartò: Ideò perjurium in judicio, etiam officiosum, est Casus reservatus in hac Diœcesi Patavina. Tabell. *cas. reservator. num.* 7.

7 Quintò: Nec absque ratione; nam perjurium gravius peccatum est homicidio, & aliis peccatis, quæ in proximum committuntur; quippè perjurium tendit directè contra divinum honorem. S. Thom. *Quodlib.* 1. *art.* 18. Sotus *de Justit. & Jur. lib.* 8. *quæst.* 2. *art.* 3. & alii, quos refert, & sequitur Sanchez *in Decal. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 37.

Sextò: Hinc nil difficilius, quàm conscientiæ falsi testis mederi; eò quia tenetur retractare suam depositionem, & in hac retractatione imminent ei gravissimæ pœnæ, & severa 8
judicialis punitio ob crimen falsi. Jul. Clar. *lib.* 5. §. *Falsum*, & ibi Bajard. *in addit.* ubi sic ait: *Crimen falsi est gravissimum: & nullum crimen est in mundo, quod ita vituperet famam, & statum hominis, sicut ipsum.* Adeò ut si testis dolo malo deposuerit falsum contra innocentem in causa capitali, de Jure civili ultimo supplicio sit afficien- 9
dus, Cacheran. *decis.* 19. Riccius *in Collect.* 2065. *part.* 5. & Antonell. *de Regim. mil. Eccles. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 8. ubi subdit, quod saltem ad triremes prævia fustigatione sint damnandi falsi testes. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol.* 16. Quæ in Coordinato est *tom.* 5. *tract.* 12 *resol.* 16.

Septimò, Itaque, qui falsum testimonium cum Juramento protulit in judicio in damnum innocentis, absolvi à Confessario in foro pœni- 10
tentiali non potest, nisi priùs vadat ad judicem, & se retractet, etiamsi, (quod terribile est, & horrorem incutit cuique,) ex sua retractatione debeat subire vel mutilationem membrorum, vel ultimum supplicium; tunc scilicèt, quando ob suum perjurium similis pœna esset infligenda innocenti, ut ex Valentia, Bannes, Azorio, Molina, Filliuccio, & Bonacina docet Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 9. *num.* 6. Quapropter idem Tamburin. *in Decal. lib.* 9. *cap.* 3. §. 3. *num.* 21. *in fin.* rationem reddit de hoc dicens: *Quia justitia requirit, ut in periculo æquali, potiùs subeat illud damnum nocens, quàm innocens.* Et concludit his minacibus verbis: *Væ testibus falsis!* Quam obligationem si animarum Pastores frequenter expostulaverint populis in suis sermonibus, iisdem terrorem, & horrorem tantum incutient, ut à crimine falsi, & à perjurio prorsùs eos abstinere faciant.

Octavò: Tanto magis, si addiderint, eosdem falsos testes teneri ad restitutionem damno- 11
rum, quæ proximo resultant ex eorum falso testimonio. Jul. Clarus *d.* §. *Falsum, num.* 19. & Bajard. *in addit. ibid. num.* 66.

Nono: Ulteriùs, ob falsum Juramentum præstitum incurritur infamia Juris. *cap. Infames* 6. *quæst.* 1. & per consequens irregularitas, 12
ita ut si ille, qui pejeravit in judicio, sit laicus, efficiatur inhabilis ad ordines, & ad beneficia consequenda; si vero fuerit clericus beneficiatus, privandus sit beneficiis. Garzias *de benef. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 167. Thesaur. *de Pœnis Eccles. part.* 2. *Verb. Perjurium. Vers. Quinta pœna.*

Decimo, & Ultimo: super falsis testibus, & Deum in testem falsitatis invocantibus ultio Divina severis punitionibus exardescit in præ- 13
senti vita, prout constat ex pluribus exemplis Annalium Cardinalis Baronii, ex Historiali Sylva Joan. Baptist. Matthæoli *part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. *Tit.* 22. & ex Sermonib. familiar. Gennari Episcopi Veglensis *super Decalog. ad Secund. Præcep.* quos legisse juvabit quemcunque Parochum, ac Confessarium ad eliminanda perjuria, & amorem Veritatis in corde, & ore fidelium communiendum.

DE-

DECISIO LXIX.

ARGUMENTUM.

Declarat præsens Decisio, quid sit Livellus ? & in quibus differat à Feudo, ac à Censu, & præcipuè ab Emphyteusi ? Et in quibus cum eâ conveniat ?

SUMMARIUM.

1. *Livellarius contractus similimus cum Feudo, Censu, & Emphyteusi.*
2. *Feudum quid sit ?*
3. *Angaria nomine quid veniat ?*
4. *Pasculum, seu* Posta di Pecore, *quo tempore sit in usu ?*
5. *Decima Ecclesiastica quid sit ?*
6. *Quartesia quibus, & quo jure debeantur ?*
7. *Locatio quid sit ?*
8. *Census quis intelligatur ?*
9. *Emphyteusis quid sit ?*
10. *Livelli, seu Libelli contractus definitio.*
11. *Livellus est, dum traditur dominium utile fundi, retento directo.*
12. *Livelli, ac Census contractuum notabilis differentia.*
13. *Livellus in quibus differat, & in quibus conveniat cum Emphyteusi ?*
14. *Emphyteusis dat rem sterilem ad culturam.*
15. *Pensio modica datur in Emphyteusi, æqualis fructibus in Livello.*
16. *Livellus, ac Emphyteusis conveniunt in octo requisitis.*

QUia frequenter disputare, ac dubitare contingit, An in contractibus livellariis committatur Usura ? ideò declarare oportet : *Quid sit Libellus ? seu Livellus ?* Ad hoc quæsitum plures plura dixere, sed doctiores notarunt, contractum libellarium, seu livellarium adeò fraternizare cum Feudo, Locatione, Censu, & Emphyteusi, ut, nisi reperiatur vera, & propria differentia, quà distinguuntur adinvicem, vix fieri possit, ut quid præcisè Livellus sit, cognoscatur. Doctores enim de eo scribentes intricantur, & confunduntur superfluis, futilibusvè divisionibus, & differentiis, à quibus exituri concludunt, supradictas voces esse synonymas, & ex communi usu loquendi nomina, vocabulaque Census, Livelli, ac Emphyteusis promiscuè adhiberi, ita ut nulla videatur differentia quoad effectum inter hos contractus. Clarus *in §. Emphyteusis num.* 1. Cardin. Mantica *de Tacit. & Ambig. lib.* 3. *num.* 4. Cardin. Paris. *consil.* 77. *num.* 13. *& cons.* 85. *num.* 4. *lib.* 3. & Menochius *cons.* 391. *num.* 7. 1

Cæterùm ne animarum Rectores, Confessariivè involucris scribentium de his contractibus confundantur, eos scire juvabit, differre inter se *Feudum, Angariam, Pasculum, Decimam, Quartesium, Locationem, Censum, Emphyteusin, & Livellum.*

Feudum propriè est concessio bonorum facta per Dominum alicui cum juramento fidelitatis, & cum onere servitii personalis. M. Anton. Peregrin. Patavinus *consil.* 9. *num.* 17. *&* 18. *l.* 1. Dictum fuit *propriè ;* quia ubi conceduntur bona sub juramento fidelitatis, & recognitione annua alicujus rei, tunc Feudum dicitur impropriè. *cap. Ad Apostolicæ. de Re judic. in* 6. ubi Regnum Siciliæ datum esse ab Ecclesia Friderico Imperatori dicitur in Feudum ; quod notat Peregrinus *dict. consil.* 9. *num.* 18. 2

Angaria est præstatio quædam personalis, quæ imponitur ob communes necessitates. Gloss. *in capit. Quæ sint Regalia. In Vsib. feudor. l. Munerum. §. Patrimoniorum. ff. de Muner. & honor.* Marcus Mantua Jurisconsultus Patavinus *consil.* 106. *num.* 5. *tom.* 1. 3

Pasculum (vulgò *la Posta*) est jus pascendi oves super campis alienis. Idem Mantua *dict. cons.* 106. *num.* 7. à die tamen S. Michaelis usque ad festum S. Georgii : sed in pratis, quæ secantur, per totum mensem Martii tantùm. Statutum Patav. *noviss. pag.* 330. *&* 331. 4

Decima est portio fructuum ex prædiis provenientium, Dei ordinatione Ecclesiæ debita, pro Ministrorum ejus sustentatione, *cap. Parochianos, & cap. Tua, de Decimis.* De qua Clerus noster Patavinus scripsit supra *Decis. XVI. num.* 10. *& seqq.* 5

Quartesium est ipsius Decimæ quarta pars, specialiter reservata Sacerdoti Sacramenta populis administranti, ex ipsa Decima extrahenda, quando aliis Ecclesiæ Ministris ex immemorabili consuetudine, vel legitima præscriptione est debita. Ferrettus *consil.* 123. *num.* 2. *&* 7. 6

Locatio est personæ, vel rei ad usum facta concessio per modicum tempus pro pensione à conductore locatori solvenda, quæ fructibus correspondeat. Menoch. *dict. consil.* 291. *num.* 4. & Cardin. Mantica *de Tacit. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 2. 7

Census est pensio, quam solvit rei immobilis, ac frugiferæ dominus, & possessor, ratione fructuum, quos ex eadem re percipit. Glossa *in c. Constitutus. Verb. Juxta ratam. de relig. domib.* Jul. Clarus *dict. §. Emphyteusis num.* 2. Menoch. *d. cons.* 291. *num.* 5. & Mantua *d. cons.* 106. *num.* 4. 8

Emphyteusis est traditio rei sterilis, ut ad culturam redigatur, unà cum ejus utili dominio, cum obligatione modici canonis, in recognitionem dominii directi annuatim solvendi. *l.* 2. *& l. fin. C. de Jure Emphyt.* Clarus *dict. §. Emphyteusis. quæst.* 1. Cardin. Mantica *de Tacit. dict. lib.* 22. *tit.* 1. *num.* 2. & Redoanus *de Reb. Eccl. non alien. quæst.* 2. *cap.* 22. *num.* 5. 9

Livellus (seu *Libellus*) *est concessio rei immobilis, & frugiferæ, unà cum ejus dominio utili, ac possessione, alicui per dominum, retento sibi dominio directo, facta ; singulis viginti novem annis renovanda, sub certa pensione annuatim solvenda, quæ fructibus ejusdem rei correspondeat, nisi ex speciali pacto redimatur.* Cardin. Tuscus *Lit. L. conclus.* 399. Marta [qui de anno 1614. in hoc Patavino Publico Gymnasio primæ Cathedræ Juris Canonici Præses erat] in Tractatu de Clausulis *part.* 2. *claus.* 3. *Ad solitum livellum, num.* 6. *&* 7. & in libro ejus consiliorum *consil.* 126. *per totum*, ubi formam hujuscemodi contractus livellarii rationibus, & Doctorum auctoritate propugnat. Decian. *respons.* 23. *num.* 26. *vol.* 5. Alex. de Nevo *consil.* 95. *per totum* ; & ex Theologis Paul. Comitol. *in suis responsis Moralib. lib.* 5. *quæst.* 29. 10

Ex his tria notabilia resultant. Primum, à veritate alienum esse [saltem in hisce regionibus] Livellum tunc dici, quando Feudatarius, seu Emphyteuta concedit alteri pro annua pensione prædium, quod ipse habuerat à domino in feudum, vel Emphyteusin, & sic, quando concedens non est dominus directi dominii : quam assertionem tàm Legistæ, quàm Summistæ desumpserunt ex Jas. *in l.* 1. *num.* 29. *C. de Jure Emphyt.* & ex Claro *dict. §. Emphyteusis, quæst.* 1.

num. 1. Siquidem praxis quotidiana, & experientia ipsa nos docet, Livellum consistere in
11 traditione fundi, cum ejus utili dominio, quam facit dominus absolutus ejusdem fundi, retento sibi dominio directo; de cujus formalitate faciendi livellos plurimi DD. scripserunt, quos refert Marta *dict. consil.* 126. & Cæsar Manentus in suo Tractatu *de Jure contractus livellarii*; adeò ut mirum sit, plurimos Jureconsultos hujus contractus formæ se ignaros ostendisse, & neminem ex Theologis, præter doctissimum P. Comitolum supracitatum, de livellario contractu in suis præcisis terminis tractasse; quod evenisse credendum est, quia talis contractus livellarius extra statum Serenissimæ Reipublicæ Venetæ non est in usu.

Alterum notabile est discrimen verum, & es-
12 sentiale, quod extat inter contractum *Census*, & contractum *Livelli*, nimirùm quod in contractu censuali resignativo, penes eum prædii nullum omninò remaneat dominium neque utile, neque directum, qui totum transmittit in Censuarium, & in censu consignativo utrumque dominium directum, & utile remanet in eodem censuario, nihil aliud ipso censualista acquirente, nisi jus consequendi annuam pensionem, & responsionem, quam sibi reservat. At in Livello, non transfertur in livellarium dominium directum prædii, sed utile tantùm, remanente dominio directo semper apud livellantem; sivè in ejus bonis multò ante fuerit prædium, quod datur ad livellum, sivè de recenti fuerit emptum, & acquisitum per ipsummet livellantem; ut fatentur Manent. *dict. quæst.* 1. *num.* 1. Marta *d. cons.* 126. Menochius *dict. cons.* 291. *num.* 5. Cencius de Censib. *part.* 1. *cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 16. & 17. P. Comitolus *dict. lib.* 3. *quæst.* 29. *num.* 1. Peregrinus *consil.* 20. *num.* 16. *lib.* 3. & Rota coram Cardin. Seraphino *decis.* 1195. *num.* 1. *tom.* 2. quamvis ibi contractus livellarius appelletur Emphyteuticus.

13 Tertium autem notabile est, quod *Livellus* essentialiter differat ab *Emphyteusi* in duobus; conveniat verò, & fit ei similis in pluribus.

Primò est distinctus ab Emphyteusi, quia Emphyteusis verè, & propriè dicitur, quando traditur res sterilis, ut ad culturam redigatur, & re-
14 stauretur; veluti si fundus sit buschivus, vel domus rupta. At livellus conficitur per traditionem domorum, vel camporum, quæ, quive in bona structura, seu cultura reperiuntur. Redoan. *de Rebus Eccles. non alien. quæst.* 2. *cap.* 22. *num.* 5. & *quæst.* 79. *cap.* 12. *num.* 13. Cardinal. Mantica *de tacit. lib.* 22. *tit.* 1. *num.* 2. ubi ex Natta, græcæ locutionis non ignaro, *consil.* 49. *num.* 6. ait, Emphyteusin descendere à verbo Græco *Emphyteuo*, quod latinè significat *insero, planto, germino.* Sed legendum est ἐνφυτεύω, quod significat inserere, runcare, & plantare; ex quo formatur nomen ἐνφύτευσις, id est, insitio, aut plantatio, sivè etiam res, quæ est insita, vel plantata, ut docet Scapula in suo Lexico *in Verb.* Ἐνφύτευσις. Et concordat Albericus *in Dictionar. eodem Verb.* Ἐμφύτευσις: subdens, quod ἐμφύτευσις græcè, latinè dicatur *Melioratio*, ab initio enim vilia dabantur in Emphyteusin, quæ recipiens meliorabat, & melioramenta sua erant; quod postea permissum est etiam in prædiis fertilibus, & fructuosis, & in his datio dicitur ad livellum & eadem docet Magrius in suo Hierolexico *Verb. Emphyteusis.*

Secundò differt Livellus ab Emphyteusi, quia in ista pensio solet esse modica. Cardin. Mantica *de tacit. dict. lib.* 22. *tit.* 2. *à tit.* 18. *& seqq.* 15 At in Livello pensio tanta constituitur, ut correspondeat fructibus, qui ex fundo colliguntur, aut sit parùm minor. Comitolus *dict. lib.* 3. *quæst.* 29. *num.* 1. *Vers. Quartum.* Decianus *resp.* 23. *num.* 26. *vol.* 5. ubi plurimos allegat. Marta *de clausul. dict. part.* 3. *clausul.* 3. *num.* 7. *& d. cons.* 126. *num.* 5. ubi sustinet, quod pensio ad rationem quinque pro centenario sit justa, & irreprehensibilis, & jure quidem, nam per legem Serenissimæ Reipublicæ Nostræ *die* 1589. 24. *Junii*, Pensiones livellariæ in Territorio Patavino taxantur, & approbantur ad rationem sex pro centenario, prout ex Typis Antonii Pinellii Veneti Impressoris Ducalis sub dicta die, & anno apparet, & testatur Decianus [qui pariter eo tempore erat Juris Cæsarei in prima Sede matutina ordinarius Interpres in hoc florentissimo Gymnasio Patavino] *in cit. Vol.* 5. *resp.* 22. *num.* 25. & legitur in fine Novi Statuti Patavini *pag.* 329. Et in Statuto Veneto *in Decr. pag.* 232. & registrabuntur infra *Decis. LXXI. num.* 15.

Convenit autem Livellus cum Emphyteusi, & ei similis est in pluribus, ita ut plurimi DD. scripserint, Livellum, & Emphyteusin esse synonyma, & indistinctè unum sumi pro alio. 16 Julius Clarus *dict. §. Emphyteusis quæst.* 1. *num.* 1. Cardin. Parisius *consil.* 77. *num.* 13. *& consil.* 85. *num.* 4. *lib.* 3. Menochius *consil.* 372. *num.* 1. & pluribus congestis. Maresc. *Var. resol. lib.* 2. *cap.* 76. *num.* 20. & 21. Similitudo, seu conventio præcipuè consistit in sequentibus.

1. Tam in Livello, quàm in Emphyteusi dominium directum fundi remanet penes livellantem, seu dantem in Emphyteusin. Cardinal. Tuscus *Verb. Livellarii concluf.* 399. *num.* 13.

2. Res immobilis requiritur in utroque contractu Emphyteutico, & Livellario.

3. Scriptura quoque ex forma requiritur tùm in Emphyteusi, tùm in Livello, qui propterea propriè appellandus esset Libellus; unde Eques Octavius Ferrarius [ætatis nostræ literariæ eruditionis splendor, & Græcæ linguæ Publicus in Lycæo nostro Professor] scribens de Origine linguæ Italicæ *in Verbo Livello* ait: *Contractus Livelli fit interveniente chirographo, seu brevi scriptura, unde nomen Libellus:* idemque testatus est Redoan. *de Reb. Eccl. non alien. quæst.* 2. *cap.* 15. & Paul. de Castro *consil.* 157. *num.* 2. *part.* 2.

4. Neque in Emphyteusi, neque in Livello fit remissio pensionis propter sterilitatem, vel tempestatem, aut quamcunque aliam fructuum calamitatem. Cardinal. Tuscus *dict. concl.* 399. *num.* 6.

5. Perpetua est concessio rei tàm in Emphyteusi, quàm in Livello. Cardin. Tuscus *ibid. num.* 7. & Anchar. *cons.* 249.

6. Melioramenta in utroque contractu sunt propria Emphyteutæ, seu Livellarii, ea tamen non sunt alteri vendenda irrequisito domino, qui, si emere illa voluerit, est cæteris præferendus.

7. Collectis, & gravedinibus publicis, quæ per Principem imponuntur, non subjacet Pensio Emphyteutica, seu Livellaria, quæ minor sit sex pro centenario.

8. Ob

8. Ob cessationem solutionis pensionis intrat caducitas, & fundus cadit in commissum tàm in Emphyteusi, quàm in Livello; prout etiam ob alienationem factam sine consensu Domini. Cardin. Tuscus *ibid. num. 9. & 10.* ex Bart. *in l. 1. §. Quod autem : l. 2. de superficieb.* & alii plurimi, quos citat Tiraquell. *de Retract. lin. §. 1.* Gloss. 14. *num.* 84. Decius *consil.* 146. *&* 159. *&* 163. Ruin. *cons.* 161. *num.* 30. *lib.* 1. Natta *consil.* 114. & Marc. Anton. Variar. Resolut. *lib.* 1. *resol.* 62. *per totam*; præcipuè *num.* 8. vigore pacti prælationis, quod in contractu ponitur favore Domini ipsius Livelli.

DECISIO LXX.

ARGUMENTUM.

Propositis quatuor divisionibus Livelli disputatur, an alius sit Prædialis, seu fundiarius, & alius Pecuniarius? Hanc divisionem traditam à Cæsare Manento non esse veram, sed omnem Livellum esse prædialem fortissimis rationibus ostenditur; evacuatis argumentis ejusdem Cæsaris Manenti.

SUMMARIUM.

1. *Livelli divisiones quatuor, & quæ?*
2. *Livellari non possunt bona Ecclesiæ sine licentia Papæ.*
3. *Livelli divisio in fundiarium, & pecuniarium impugnata.*
4. *Cæsar Manentus de Livello pecunia constituto reprobatur.*
5. *Emptio, & venditio simulata quæ sit?*
6. *Locatio perpetua censetur esse Livellus.*
7. *Vendere prædium sine mensura, aut viliori pretio arguit simulationem.*
8. *Obligatio solvendi datium Instrumenti, & expensas ejus, impositas venditori fundi arguit venditionem simulatam.*
9. *Venditio fundi, ut retrocedatur ad Livellum, est venditio vera.*
10. *Livellus factus prævia venditione fundi, & ejus retrocessione, est legitimus, validus, & prædialis.*
11. *Clauf.* Constituti *transfert statim dominium fundi in Emptorem.*
12. *Venditor fundi retinet possessionem ex titulo initi Livelli.*
13. *Malignitas est interpretari contractum licitum tanquam Usurarium.*
14. *Mensura, & extractio fundi non est de essentia venditionis.*
15. *Pretii inæqualitas rei venditæ quando indicet simulationem?*
16. *Contractus ex conventione partium legem accipiunt.*
17. *Consuetudo generalis facit legitimum pactum.*
18. *Expensæ Instrumenti venditionis ad quem spectent?*
19. *Livelli unica est species, & omnis Livellus est prædialis.*

1 SEquitur ad explicationem hujus contractus, ut sciamus, *Quotuplex sit Livellus?* Et circa hoc quæsitum quatuor divisiones assignatæ fuerunt. *Prima,* quod alius sit *Livellus perpetuus,* qui francari non potest invito Domino, & alius *Temporalis,* qui quandocunque, vel post alicujus temporis cursum redimi, & extingui valet. *Secunda;* quod alius Livellus sit *fructuarius,* nimirùm qui solvitur in fructibus, putà frumento, uvis, oleo: Alius *pecuniarius,* cujus pensio solvitur in pecunia. *Tertia,* quod alius sit *Secularis,* seu *profanus,* qui scilicet constituitur à personis laicis; & alius *Ecclesiasticus,* quando bona Ecclesiæ dantur ad livellum, vel super iisdem bonis Ecclesiasticis constituitur Livellus, seu, ut vulgò dicitur, recipitur pecunia ad livellum; & in hoc casu requiritur præcedens licentia Sed. Apostolicæ; quia facere Livellum est species alienationis comprehensa in *Extravag. Ambitiosæ, de Rebus Ecclesiæ non alien.* & prohibita sub censuris. The- 2
saur. *de Pœnis part. 2. Verb. Alienatio cap. 1. & 2. & Verb. Usurpatio cap. 2. Quarta* divisio est, quod, sicut Census vel est *Resignativus,* videlicèt formatus cum traditione fundi, vel *Consignativus* constitutus cum pecunia, ita Livellus alius sit *Fundiarius,* seu *Prædialis,* id est factus cum concessione fundi, & alius *Pecuniarius,* nimirùm, qui creatus, & constitutus est cum pecunia. Cæsar Manentus *in dict. Tractatu de Jure contract. livellarii quæst.* 3. ubi post longam impugnationem hujuscemodi Livelli pecuniarii deducit, in nihilo differre à censu consignativo; ac proindè, nisi constitutus fuerit servatis omnibus conditionibus in Bulla S. Pii Quinti suprarelata statutis, contractum esse illicitum, usurarium, & omnino damnandum.

Cæterùm prædicta distinctio livelli *fundiarii,* 3
& pecuniarii, quam facit *Manentus,* non est vera; sed prorsus dicendum, & tenendum, unicam esse speciem Livelli, videlicèt, *fundiarii,* seu *prædialis;* sive fundus, qui traditur Livellario ad livellum, fuerit ab antiquo possessus à domino livellante, sivè per eundem sit nuper emptus numerata pecunia, & receptus à livellario, cum pacto retrocedendi ipsum ad livellum; quandoquidem etiam in hoc casu, qui acquirit livellum, proprium fundum tradit livellario, retinendo in se dominium directum, quod justo pretio acquisivit ex contractu præcedentis emptionis, & venditionis ritè, & rectè facto, ac perfecto, inter ipsos contrahentes, livellantem, scilicèt, & livellarium; qui quidem cum professi fuerint per expressum vendere, & emere, contraxerunt ad invicem illius fundi emptionem, & venditionem; quæ stante re, & pretio determinato, perficitur solo consensu. *l. Consensu. ff. de Act. & Oblig. l. 2. ff. de Contrahen. Empt. l. 1. ff. de rerum permut.* Cardin. Mantica *de Tacit. lib. 14. tit. 11. num. 37.* Igitur perfecta, completaque emptione, & venditione per solutionem pretii, quod actualiter facit emptor fundi, & ejusdem dominio pleno acquisito per clausulam *Constituti,* de qua in instrumento Barbosa *de Clausul. Usufreq. clauf. 31.* volentes ipsæmet partes devenire ad contractum Livelli, emptor, qui jam est dominus fundi, dat illum ad livellum venditori, & in eum transfert solum dominium utile, retento apud se dominio directo; undè sequitur, quod idem emptor, si alteri personæ daret fundum illum ad livellum, diceretur facere livellum fundiarium, seu prædialem; ita venit quoque dicendum, etsi contractus livellarius fiat cum venditore; completa jam, & consummata venditione, & emptione fundi.

Porrò hanc veritatem nixus est impugnare 4
Cæsar Manentus in prædicto suo tractatu *de Jure contractus livellarii pecunia constituti;* asserendo, contractum prædictum emptionis, & venditionis fundi esse simulatum, & nullius roboris, eò quia

venditor non videtur habere animum vendendi fundum, sed recipiendi pecuniam pro suis indigentiis; & econtra emptori non est mens emendi eundem fundum, quem ut plurimùm neque vidit, neque agnovit; sed ejus intentio est dare pecuniam ad lucrum, & mutuum palliare, ut salvo capitali, ex eodem valeat usurariam pensionem impunè percipere: quam assertionem idem Manent. ex sequentibus potissimùm intendit probare.

Primò. Quia illa non est emptio, & venditio, in qua res vendita statim ab eodem venditore recipitur. *l. Non videtur ff. de Reg. Jur. l. Qui sic solvit. ff. de Solut. l. 4. §. 1. ff. de Manumiss.* Siquidem emptiones rerum fieri solent, ut res perpetuò sint apud emptores. *Manent. in d. tractatu quæst. 1. num. 16.* ubi DD. cumulat. Sed in emptione, & venditione, quæ præcedit contractum, imò in ejus possessione, & retentione venditor
5 ipse permanet. Ergo simulata, & fictitia est dicta emptio, & venditio. Prosp. Farinac. *de Falsit. & Simulat. quæst. 162. num. 228.* innumeros DD. cumulans, & Rota Avenion. *decis. 38. num. 4. & decis. 94. num. 5.*

Secundò. Quia quando quis emit fundum, & statim illum retrocedit in perpetuam locationem, ex ea arguitur, emptionem, & venditionem præcedentem fuisse simulatam. Natta *cons. 198. num. 10. lib. 1.* Mascard. *de Probat. conclus. 439. num. 24. 25.* Cepolla *de simulat. contract. num. 52. & seq.* & Farinac. *de Simulat. quæst. 163. num. 115.* Sed qui emit fundum cum pacto retrocedendi ad livellum, illumque statim ad
6 livellum venditori concedit, locationem perpetuam facit. Cardin. Mantica *de Tacit. lib. 1. tit. 1. num. 16.* ubi quod locatio in perpetuum, vel ad annos 29. renovanda nihil aliud sit, quàm emphyteusis. Ergo præcedens emptio, & venditio fuit simulata.

7 Tertiò. Ubi quis fundum emit in confuso, ac sine certa, & determinata mensura, præsumitur simulare contractum, & non habere intentionem veram emendi. Manentus *d. tract. de Jure contract. livellarii quæst. 3. num. 54. & seqq. ubi DD.* Et tantò magis si pretium non sit æquivalens valori ejusdem fundi. Glossa *in cap. Conquestus, in Verb. feudum.* & Abb. *num. 7. de Usur. & in cap. Ad nostram num. 9. De empt.* & Ugolin. *eod. tract. cap. 41. §. 2.* Farinac. *de. Fals. & Simulat. d. quæst. 163. num. 9. & seqq.* At in constitutione livelli pecuniarii prædia, quæ venduntur, non dantur ad mensuram, sed ut plurimùm in confuso nominantur, & pretium non correspondet valori vero eorundem prædiorum. Ergo dicendum venit, simulatam esse præcedentem venditionem.

8 Quartò. Tantò magis, quia ferè semper emptor prædii ad effectum retrocedendi illud ad livellum, imponit onus venditori solvendi datium instrumenti, ac expensas Notario tùm rogitus illius, tùm etiam copiæ authenticæ, eidem emptori consignandæ; ex quo resultat urgentissima præsumptio simulatæ venditionis. Lupus *de Usur. Comment. 2. §. 1. num. 45.* Farinac. *d. quæst. 163. num. 105.* Menoch. *lib. 3. Præsumpt. 122. num. 57. 58. 59.* Cardin. Mantica *de Tacit. & Ambig. lib. 8. tit. 29. num. 25.* & Manentus *dict. quæst. 1. pact. 11. per totum*; quibus aliisque pluribus præsumptionibus nititur probare invaliditatem emptionis fundi, seu prædii, super quo contrahentes intendunt constituere livellum; & exindè deducit, livellum esse pecuniarium, ac imposititium; & omninò distinctum à livello fundiario, seu prædiali; ac similem Censui consignativo.

His tamen minimè obstantibus, non est recedendum à suprafirmata regula; quod unica sit species livelli, scilicèt fundialis, & prædialis, seu tradatur ad livellum fundus Patrimonialis ipsius livellantis, sivè ipse fundus eo instanti prævenditus fuerit ad hunc effectum ab ipso livellario, & ei retrocessus in livellum ab emptore; ea ratione quia, cum ipsi contrahentes sciant, ad legitimum livellum constituendum necessarium esse, ut vera præcedat emptio, & venditio prædii, super quo livellus est fundandus; & iidem contrahentes concordent super ipsa emptione, & venditione; ac verè, & realiter venditor ha- 9
beat prædium vendendum, illudque venditionis titulo tradat emptori; qui econtra verè, ac realiter exbursat pecuniam titulo emptionis, eamque tradit venditori pro pretio prædicti prædii; nihil est, quod impediat essentiam illius contractus, quem agere, & concludere ferò, ac determinatè intendunt utrique contrahentes; cujus vigore contractus emptor fit dominus prædii, & illius acquirit dominium tàm directum, quàm utile, *l. traditionibus. C. de Pactis,* nec non possessionem vigore clausulæ *Constituti* in instrumento emptionis, & venditionis appositæ. Farinacius *dict. quæst. 162. num. 233.* Barbosa *dict. Clausul. 31.* quo dominio, ac possessione acquisitis, descendendo ad secundum contractum livelli, emptor, & dominus prædii dat illud in livellum venditori, concedendo eidem dominium utile, & naturalem possessionem prædicti prædii, retinendo sibi dominium di- 10
rectum, ac possessionem civilem; ita ut livellus censendus sit omninò prædialis, ac fundiarius eodem modo, ac si prælibatus emptor idem prædium pleno jure, & in suo patrimonio retinuisset per decem, viginti, ac majorem numerum annorum: essentia enim, & substantia dominii super dicto prædio non pendet à diuturnitate temporis, quo retinetur ab emptore; sed ab essentia, & substantia emptionis, & venditionis, quam perfectam, & completam, & irrefragabilem esse affirmant Jura, & Doctores ex traditione rei, & pretii, cum intentione contrahentium emendi, ac vendendi. *l. Naturalis, §. 1. ff. de Præscript. Verb. l. 1. & l. Pacta conventa ff. de Contrahend. empt.* Cardin. Mantica *de Tacit. dict. lib. 4. tit. 1. num. 7. & tit. 3. num. 16.* & ex Theologis Molina *de Contract. disput. 337.* Cardin. de Lugo *disput. 26. num. 2.*

Neque obstant contraria fundamenta *Manen-* 11
ti. Non primum, quia verum non est, quod apud venditorem remaneat dominium, & possessio prædii venditi; utrumque enim transfertur in emptorem statim soluto pretio vigore clausulæ *precarii*, vel *Constituti*, quæ in instrumento emptionis, & venditionis apponitur; quæ quidem clausula excludit omnem præsumptionem simulationis resultantem ex retentione naturalis possessionis, ut in terminis scribit Mascardus *d. conclus. 439. num. 21.* Menoch. *de Arbitr. Jud. casu 39. num. 6.* Cardin. Mantica *de Tacit. lib. 13. tit. 36. num. 5.* & Farinac. *de Fals. d. quæst. 162. num. 233.* ubi alios concordantes allegat. Præterquàm quod statim completo

emptio-

emptionis, & venditionis primo contractu partes descendunt ad contractum secundum, nempè livelli, in quo, ut cunctis patet, transfertur dominium utile, & possessio naturalis in livellarium, qui propterea absque scrupulo remanere potest in possessione rei venditæ; ne-
12 que indè resultat simulationis præsumptio ob mutatam causam, & titulum possidendi, ut benè respondet huic objecto Rota *part. 4. recent. decis. 435. num. 50. tom. 1. & part. 2. divers. decis. 116. num. 12.* Cardin. Mantica *d. lib. 13. tit. 36. num. 4.* & Farinacius *d. quæst. 162. num. 241.*

Secundum pariter non obstat (ex pacto scilicèt retrocessionis rei venditæ ad livellum, & ex ejusdem pacti immediata executione, præsumi simulatam fuisse emptionem, & venditionem, & re vera, contrahentes voluisse pecuniam mutuò dare, & recipere, ac ex ea fœneratitium lu-
13 crum constituere.) Talis enim præsumptio, & interpretatio sapit aliquam malignitatem, & ratio est, quia cum datio pecuniæ possit fieri cum justo titulo emptionis prædii, super quo postea fundetur livellus (prout cum hoc titulo datur) non est retorquenda in titulum pravum, & præsumendum, quod contrahentes, qui possunt legitimè, & absque culpa contrahere, velint peccaminosè, & damnatis modis contractum inire. Cardin. Parisius *lib. 1. cons. 60. num. 6.* Cardin. Mantica *de Tacit. lib. 2. tit. 4. num. 18. & lib. 9. tit. 25. num. 2. & 3.* Ideòque respondetur, pactum illud de retrocedendo prædium venditum ad livellum esse pactum licitum, irreprehensibile, & à jure concessum, *l. 2. C. de Pactis inter empt. & vendit.* Honded. *consil. 33. num. 64. & seqq. lib. 2.* Marta *dict. consil. 126. num. 4.* Rota *dict. part. 4. recent. decis. 435. num. 6.* & Farinac. qui plurimos cumulat *de Falsit. & Simulat. quæst. 163. num. 20.* & in terminis docet Borgninus *decis. 13. num. 48. in 2.* quem indebitè carpit Manentus *quæst. 3. num. 20.*

14 Tertium non obstat: quia etsi prædium pro constituendo livello vendatur absque mensura, & sit indivisum, seu extrahendum ex corpore majoris quantitatis camporum, per hoc nullum obstaculum resultat validitati Instrumenti, & sinceritati contractus, cui sufficit realis existentia prædii, & ejus quantitas in Instrumento nominata; ut pluribus juribus, Doctoribus, & rationibus probat Cardin. Parisius *dict. lib. 1. consil. 59. & consil. 60. & lib. 3. consil. 77.* cujus autoritati, & doctrinæ magis est deferendum, quàm opinioni *Manenti*, qui ut suam sententiam laudet, injustè tantum Autorem reprehendit *dict. quæst. 3. num. 58.* Prout etiam non subsistit objectum de pretio non æquivalenti vero valori prædii: eò quia, esto quod ob futuram retrocessionem prædii ad livellum, contrahentes solliciti non sint de ultimo quadrante justi pretii,
15 nihilominùs ob parùm plùs, vel parùm minùs, quàm in veritate prædium esset æstimandum, simulatio emptionis, & venditionis locum non habet, cum ad eam inducendam variatio debeat excedere medietatem justi pretii. Honded. *dict. consil. 33. num. 62. lib. 2.* Covaruv. *Var. resol. lib. 3. cap. 10. num. 1.* & in terminis Rota *dict. part. 4. recentior. decis. 435. num. 7. & 8.*

16 Quartum non obstat, quandoquidem non est cum amaritudine sumendum, si expensæ Instrumenti solvantur per livellarium ex pacto: quia quilibet potest in traditione rei suæ, quam velit, legem imponere. *l. Legem. C. de Pactis. l. In traditionibus. ff. eod. tit.* Et contractus omnes ex conventione partium legem accipiunt. *l. 1. §. Si conveniat, ff. Depositi. & l. In conventionalibus stipulationibus. ff. de Verb. oblig.* & præcipuè livellus, & emphyteusis, quæ suis pactionibus fulciuntur, ut ait Imperator in §. *Adeò autem. Instit. de Locat. & conduct. & l. 1. C. de Jur. Emphyt.* Maximè attenta generali consuetudine regionis sic 17
pacisci, quæ tale pactum excusat. Menoch. *d. lib. 3. Præs. 122. num. 60.* Sed concedamus, tale pactum argui posse de injustitia; (cum de Jure expensæ instrumenti spectent ad emptorem; Cencius *de Censib. part. 2. cap. 1. quæst. 1. art. 2. num. 6.* Bonacina *de contr. disput. 3. quæst. 4.* 18
punct. Unic. num. 32. & Tambur. *de Triplic. Jur. lib. 9. tract. 2. cap. 3. §. 2. num. 14.* Vel saltem pro dimidio ad utramque partem Cepolla: *in l. Debet autem num. 4. ff. de ædil. edict.* quod laudabile erit, si adverterint tùm contrahentes, tùm Notarii, tùm etiam Confessarii;) attamen ex eo non potest deduci nullitas contractus, quia prædictum pactum non est contra substantiam, sed contra naturam contractus, & ideò ipsum pactum vitiatur, non autem contractus, qui eo non obstante in suo robore manet, ut docet Redoan. *de Reb. Eccles. non alien. quæst. 79. cap. 12. num. 6.* Gratian. *Discept. forens. cap. 141. num. 20. & 21.* Scaccia *de Commerc. §. 1. quæst. 2. p. 2. ampl. 20. num. 14. & 15.* & pluribus citatis approbat Cencius *de Censibus p. 2. cap. 1. quæst. 3. art. 1. num. 11. 12. & 13.*

Et ex his inconcussum remaneat, unicam 19
esse speciem livelli, & omnem livellum esse prædialem, seu fundiarium; quia de essentia livelli est, ut livellarius recipiat prædium à domino, & absque dubio emptor prædii factus est dominus ejusdem prædii, antequam illud tradat ad livellum. Igitur livellus est prædialis, & fundiarius, quia talis dicitur, quando fundus originaliter procedit à concedente, ex doctrina Beccii *consil. 35. num. 13.* & Thesaur. Jun. *For. quæst. lib. 4. quæst. 43. num. 2.*

DECISIO LXXI.

ARGUMENTUM.

Livellarium contractum esse de sui natura licitum, probat hæc Decisio. Deindè examinat, an sint justa hæc quatuor pacta? scilicèt: 1. Ut solvantur quinque cum dimidio pro omni centenario. 2. Ut sint libera à publicis gravedinibus. 3. Et ab omni restauro. 4. Et quod in casu venditionis rationum utilium Dominus directarius præferatur cæteris.

SUMMARIUM.

1. *Livelli contractus an sit licitus?* & num. 3.
2. *Livelli in creatione an sint servandæ conditiones Bullæ S. Pii V. de Censibus?* & num. 4.
5. *Conditiones servandæ in livello, ut sit licitus.*
6. *Livelli legitimitas in qua ratione fundetur?*
7. *Cæsaris Manenti argumenta non manentia.*
8. *Bartholomæus Sylvaticus Eques Patricius Patavinus, & in Publico Gymnasio Jurisprudentiæ Professor laudatus.*
9. *Desiderium in quo differat à voluntate?*
10. *Similitudo infirmi cum livellario.*
11. *Livelli legitimitas à DD. & communi usu approbata.*

12. *Pen-*

12. *Pensio livellaria pendet à fructibus fundi livellati.*
13. *Pensio quinque cum dimidio pro omni centenario an sit licita?*
14. *Consuetudo regionis servanda circa Pensiones livellarias.*
15. *Livelli in statu Veneto in qua summa fiant?*
16. *Lex Veneta anni 1647. circa Pensiones livellarias.*
17. *Pensio quinque, cum dimidio libera à gravedinibus, an licita?*
18. *Pensio livellaria an diminuenda ob sterilitatem fundi. vel casus fortuitos?*
19. *Census natura differt à natura livelli.*
20. *Prælationis pactum in livello circa venditionem dominii utilis ad favorem domini directi an licitum?*
21. *Minima non curantur.*
22. *Fundi censiti in venditione dominus census est præferendus.*

QUÆSITUM TERTIUM.

Firmato hoc principio, quod omnis Livellus sit prædialis, nunc quæritur, *An Livellus sit contractus licitus? Et quæ requirantur, ne sit Usurarius?*

1 CÆsar Manentus *in cit. tract. de Jure contractus livellarii pecunia constituti* conatus fuit probare, illicitum esse contractum hujusmodi, eumque esse usurarium, & fœneratitium, nisi serventur conditiones omnes præscriptæ in Bulla S. Pii Quinti *de creatione censuum*, arbitratus, nihil aliud esse Livellum [ut ipse ait] pecunia constitutum, 2 nisi Censum consignativum; ideòque, ubi recesserit à forma prædictæ Bullæ Pianæ, datio illius pecuniæ erit Mutuum, pensio autem livellaria erit fœnus, & usura; nihil aliud denotante prædio, super quo livellus constituitur, nisi pignus cum pacto legis Commissoriæ ad securitatem capitalis; siquidem livellarius indigens pecunia, non intendit vendere prædium suum, sed habere pecuniam, ut subveniat suæ indigentiæ; & qui pecuniam dat, non intendit emere, sed mutuare cum lucro sub velamine, & nomine livelli; & ita argumentatur Manentus per totum librum suum, & præcipuè *quæst. 1. à num. 25. & seqq.* ubi consulentes plurimos utriusque juris DD. asserit ita sentire, & contractus livelli usurarios reputare.

Nihilominùs, quicquid collimat Autor prædictus, scopum non tangit; nam absque hæsitatione tenendum est [ut supra probavimus] 3 contractum livelli [quamvis in prædio recenter empto per livellantem à livellario constituti] esse licitum, legalem, & irreprehensibilem; ut demonstrat eximius Jureconsultus, & Doctor Jac. Ant. Marta, qui [ut testatur Portenarius *Hist. Patav. lib. 7. cap. 4. anno 1608.*] in hoc Patavino Lycæo fuit Professor Publicus, *in præcit. consil. 126. per totum:* nec non in suo Tractatu *de Clausulis part. 2. claus. 3.* Cujus rationem refert Leotardus *de Usuris quæst. 89. à num. 8. & seqq.* & cum eodem Marta tenuerunt Tiber. Decianus *resp. 23. Vol. 5.* & Alexander de Nevo *consil. 95.* apud quos quamplurimi DD. allegantur, qui livellos legitimos contractus esse docuerunt; quibus assentitur P. Comitolus *Respons. Moral. lib. 3. quæst. 19.* ubi monet, quod error iste [Livellum scilicet, & Censum eundem esse contractum] multorum mentes occupaverit; & subindè demonstrat, quod livellus sit contractus omninò diversus, & discretus à censu, & propterea valeat, & licitus sit, quamvis non serventur in eo solennia Bullæ S. Pii V. neque eæ 4 conditiones, quæ sunt humani tantùm juris, modò custodiantur jura divina, naturalia, & gentium, quorum præcipua sunt; *Ut prædium, in quo fundatur livellus, extet in rerum natura: Ut is, à quo veniit, possit illud alienare, ipseque venditor verè velit vendere, & emptor verè velit emere: Ut prædium* 5 *ipsum sit frugiferum: & pensio livellaria non sit exorbitans, sed æquivaleat fructibus ejusdem prædii*; ut infra dicemus.

Justitia autem, & legitimitas contractus livellarii fulcitur ratione, & autoritate. Ratio fundamentalis est, quòd perfecta emptione, & numerato pretio, fructus omnes ad emptorem pertineant. *l. 3. §. 1. in fin. ff. de act. empt. l. Fructus 13. & l. pen. C. eod. l. Venditor 21. ff. de hered. vend.* idcircò si fundus remaneat apud venditorem, nihil vetat, emptorem de certa pensione, 6 loco fructuum præstanda, cum venditore pacisci. *l. Julianus §. Si fructibus ff. de Act. Empt. l. ult. ff. de fund. dot. d. l. Fructus 13. nec non, & l. Curabit. 5. C. de Act. Empt.* Rota apud Cæsar. de Grass. *decis. 187. num. 7.* quæ hanc rationem in hac materia canonizat; & Leotard. *de Usur.* alios multos allegans *quæst. 27. à num. 54. & seqq.* ideòque, cum apud livellarium extet fundus, seu prædium venditum, & ipse ex eo fructus percipiat spectantes de Jure ad emptorem, à quo pretium in pecunia numerata recepit; justum, & legale est, ut ipse emptor prædii exigat pensionem livellariam coæqualem fructibus. Covaruv. *Var. res. lib. 3. cap. 4. num. 7.* Cardin. Paris. *lib. 1. cons. 60. num. 24.* Marta *d. part. 2. claus. 3. & d. cons. 126. num. 15.* Leotardus *de Usur. quæst. 89. num. 10.* & alii plurimi in *dict. Rotali decis. 187.*

Non sunt igitur manentia argumenta *Manenti*, 7 qui minùs rectè negat præcedentis emptionis, & venditionis prædii veritatem, & adstruit contractum mutui ex eo, quia sibi fingit, livellarium velle quidem habere pecuniam, sed non alienare prædium: nam qui vult consequens, vult etiam antecedens, *l. 2. ff. de Jurisd. omn. Jud.* Menoch. *cons. 1120. num. 6.* Bart. Sylvaticus Eques Patritius Patavinus tùm nobilitate, tùm Jurisprudentia Sydus præfulgens in 8 hoc publico Gymnasio Antenoreo in suo *Vol. 1. Respons. cons. 6. num. 41.* Et non haberi non possit pecunia, nisi præcedat vera venditio prædii, affirmare oportet, livellarium voluisse verè, & efficaciter vendere prædium ad consequendam pecuniam per subsequentem contractum livellarium. Et quamvis in ejus animo inesse possit desiderium habendi pecuniam sine venditione prædii, id, quod desiderat, non est deferendum voluntati [quæ est portio sublimis, & dominatrix animæ rationalis] sed inferiori parti concupiscibili, & animali, cujus plurimæ sunt passiones, & inter ipsas desiderium. Aristotel. *Ethic. 2. cap. 5.* ubi P. Sylv. Maurus explicat dicens: *Passiones porro propriè, & strictè non dicuntur operationes potentiarum apprehensivarum, neque operationes voluntatis, sed actus solius appetitus sensitivi.* Si- 9 quidem aliud est desiderare, & aliud velle. Infirmus desiderat sanitatem sine incisione membrorum, seu potationibus amaris: sed quia sa-

nus

nus fieri non potest, nisi vel membrum abscin-
10 datur, vel pocula deglutiantur amara, posthabito appetitu desiderii, ad remedia efficacia, quamvis sibi pœnalia, voluntatem inclinat, eaque verè, & efficaciter sumit, ut sanetur. Idem fit in livellario, cujus desiderium cedit imperio voluntatis, quæ eligit, & vult venditionem prædii, ut indè perveniat ad licitum modum recipiendi pecunias pro suis indigentiis; nempè ad contractum livelli, tanquam minùs præjudicialem, seu læsivum sui patrimonii absoluta, & irrevocabili venditione. Quamobrem cum de existentia prædii non sit dubitandum ex parte venditoris, neque de pretio ex parte emptoris; injustum est, vertere in dubium utriusque mentem circa voluntatem emendi, & vendendi dictum prædium, etsi cum pacto retrocedendi illud ad livellum: attentis enim eorum expressis verbis, de quibus in Instrumento, nec non clara, & manifesta intentione, non est admittenda voluntatis quæstio. *l. Ille, aut ille. ff. Cum verbis. ff. de Leg.* 3. Decian. *vol.* 6. *resp.* 75. *num.* 9.

Auctoritate quoque munitur contractus noster livellarius, quæ desumitur tùm ex assensu
11 plurimorum Doctorum, quos allegat ipse Manentus *quæst.* 1. *num.* 1. & Marta *dict. consil.* 126. *num.* 1. & 2. asseverantes, licitum esse contractum livellarium, & per totam Italiam celebrari, tùm ex ipsa generali consuetudine, à Judicibus, Magistratibus, & supremis Principibus approbata, ex qua benè infert Marta *dict. consil.* 126. *num.* 6. quod *Cum hujusmodi contractus livelli ubique locorum observetur, & executionem habeat, totus mundus esset in errore, si diceremus esse usurarium.*

Neque omittendum venit quod refert idem Manentus *quæst.* 3. *num.* 28. videlicèt, livellarium contractum prodiisse ex doctrina Jasonis *in l.* 1. *in princ. lect. num.* 62. *in* 1. *lect. num.* 41. *C. de Sum. Trin. & Fid. Cathol.* & ex Bald. *in cap.* 1. *num.* 7. *tit. Si de Feud. Vasal. ab aliquo fuerit impetr.* qui DD. docuerunt, emere fundum, & de eo investire livellarium.

Livellus igitur est in se contractus licitus, quia fundatur in fructibus prædii dati ad livellum, à quibus fructibus pendet ipsa pensio li-
12 vellaria, etiam in casu divisionis inter hæredes. Peregrin. *de Fideicom. art.* 49. *num.* 100. Fusar. *de Substitut. quæst.* 625. *num.* 74. Tantummodo dubitari potest de aliquibus pactis, quæ in constitutione Livelli contrahentes stipulantur, & à Notariis in rogitu Instrumentorum ponuntur, an sint justa, vel injusta? Quòcirca, ad integram resolutionem nostri Quæsiti, sex sequentia pacta examinabimus, ut sciant Confessarii, & conscientiarum Judices, an absque læsione justitiæ in livellis inserantur? Videlicèt.

1. An liceat exigere pensionem quinque cum dimidio pro omni centenario?

2. An liberam ab omni gravamine collectarum, vulgò *Pubbliche gravezze*?

3. Non diminuendam ob sterilitatem, vel casus fortuitos?

4. An licitum sit pactum Prælationis? id est, ut in venditione rei quoad utile dominium, Dominus directus præferatur cæteris, cum minori summa solidorum viginti?

5. An pecunia debeat esse præsens, dum livellus constituitur?

6. An justum sit pactum affrancationis?

Hæc duo ultima pacta in sequenti Decisione discutientur. Prima quatuor in præsenti.

PACTUM PRIMUM.

An liceat exigere Pensionem quinque cum dimidio pro omni centenario.

CIrca hoc pactum quatuor reperiuntur opi- 13
niones Doctorum.

Prima, quod licitum sit exigere in censu, (& quoad hoc idem est dicendum in livello) decem pro centenario Bart. *in l. In lege falcidia* 45. *ff. ad Legem falcid.* Tiraquell. *de Retract. conjunct.* §. 1. *gloss.* 6. *num.* 17. & 19.

Secunda, quod quinque tantum liceat pacisci. Covaruv. *lib.* 3 *Var. resolut. cap.* 9. *num.* 5. Lupus *in l.* 2. *C. de pact. inter empt. & vend. Comment.* 2. §. 2. *num.* 77.

Tertia, quod liberum sit contrahentibus convenire in summa intermedia intra supradictas duas, videlicèt à quinque usque ad decem, attentis circumstantiis tùm fertilitatis fundi, tùm pactorum redimendi ad favorem vel unius, vel alterius ex contrahentibus, magis, aut minùs. Cencius *de Censibus part.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 4. *num.* 7. *Vers. Hæc aut opinio.* Gratian. *discept. for. cap.* 545. *num.* 18. Tamburin. *de Triplic. jur. lib.* 9. *tract.* 2. *cap.* 3. §. 2. Salas *de Censib. dub.* 22. & Comitolus *lib.* 3. *quæst.* 28. *ubi num.* 10. refert S. PIUMV. respondisse, *che non si debba passare sette per cento per far bene, & la cosa con buona conscienza.*

Quarta est, quod in hac materia servetur 14
consuetudo regionis. Navar. *de Usur. num.* 104. & 140. Covaruv. *dict. cap.* 9. *num.* 5. Gratian. *discept. forens. cap.* 141. *num.* 32. Præcipuè si summa taxata sit à Principe. Salas *de Censib. dict. dub.* 22. & Cardin. de Lugo *disput.* 27. *num.* 44. Quapropter, cum in hoc Serenissimo Dominio Veneto extet consuetudo, ut livelli, si sint perpetui, 15
æstimentur quatuor pro centum; si verò sint redimibiles cum onere gravedinum, non reddant ultra sex ducatos pro centenario, & sine dicto onere quinque cum dimidio; & hæc consuetudo innitatur legi Venetæ latæ *anno* 1589. *die* 24. *Julii* ad instantiam Magnificæ hujus Urbis Patavinæ, cujus legis nos meminimus supra *Decis. LXIX. num.* 15. & de ea loquitur Decian. *in Volum.* 5. *Resp.* 23. *num.* 25. & quæ legitur per extensum in novissima impressione Statutorum Paduæ *de anno* 1682. *ad pag.* 329. & novissimè emanaverit alia Ducalis Serenissimi Principis *de anno* 1647. mox registranda, absque hæsitatione dicendum venit, licitum esse pactum exigendi pensionem livellariam, quæ reddat quinque cum dimidio annuatim, pro singulis centenis impensis in emptione fundi, super quo constitutus est livellus; dummodo fructus ejusdem fundi non minorem summam conficiant, Marta *dict. cons.* 126. *num.* 35. Prædictæ autem literæ Ducales *de anno* 1647. sunt sequentes.

FRANCISCUS MOLINO Dei gratia Dux Venetiarum, Nobili, & Sapienti Viro Leonardo Coccho de suo mandato Capitaneo Vincentiæ fideli dilecto salutem, & dilectionis affectum.

Vedendosi dal contenuto di vostre lettere delli 3. *co-* 16
rente le difficoltà, che incontrano li Governatori di co-testo Territorio in esiggere il denaro delle tre Partite get-tate già per conto de galeotti; e quelle ancora, che molto più grandi si differirebbero loro con sconcerto uni-

versale, e con Pubblico disservitio, quando si volesse ne gittassero due altre, che si rappresenta per impossibile à pratticare.

Risolvemo col Senato di permettere di prendere a livello li Ducati sei mille, di che ci hanno fatto l' istanza; sino à cinque, e mezo per cento liberi da gravezze; o a sei per cento pagando le mede sime, con gli obblighi nel rimanente soliti, & consueti in conformità dell' uso, & delle disposizioni delle leggi; con dichiarazione che non possano essi Ducati sei mille essere impiegati in altro, che nell' occorrenza di provedere a galeotti: e che l' affrancazione d' esso livello seguir debba nello spazio d' anni tre a venire; & in ogni anno la contingente porzione. Quare &c.

Datum in Nostro Ducali Palatio die 8. *Februarii* 1647. *more Veneto.*

Paolo Garzoni Segretario.

PACTUM SECUNDUM.

AN licitè eadem summa exigatur libera ab omni gravamine collectarum, vulgo Pubbliche gravezze?

Affirmativè est respondendum quadruplici ratione, videlicet de Jure civili, ex æquitate Ca-
17 nonica, ob generalem consuetudinem, & ob autoritatem Doctorum.

Jus civile licitam reddit livellariam pensionem, liberam ab omni onere publicarum gravedinum; quia in hoc capite livellus non distinguitur ab emphyteusi, cujus natura est, ut omnes collectæ, & onera solvantur ab emphyteuta vigore pacti, cui se obligavit, & ad quod servandum Jus civile prorsus vult eundem emphyteutam esse indissolubiliter adstrictum, *l.* 1. *C. de Jur. Emphyt.* ut benè docet Alvar. Valasc. *de Jure Emphyt. quæst.* 17. *num.* 6. & probat plenè Sylvan. *in cons.* 47.

Æquitas Canonica in idem tendit, quandoquidem potuisset dominus livelli exigere pensionem majoris summæ, usque ad decem pro centum. Rota *post Cencium de Censib. decis.* 93. *in prin.* & saltem sex juxta legem Venetam, de qua supra: quocirca illud dimidium, quod dimittit in singulis centenis, deservit ad compensandum onus gravedinum solvendarum, cum potuisset sex exigere. Cardin. Parisius *cons.* 60. *num.* 29. *lib.* 1.

Consuetudo generalis hujus regionis suffragatur dominis livellorum: hi enim omnes conveniunt, ut summa quinque cum dimidio libera sit ab omni onere collectarum; & ex consuetudine regionis contractum justum, & licitum reputari docet Baldus *in l.* 1. *num.* 39. *C. de his, quæ pœnæ nom.* Gratian. *Discept. for. cap.* 14. *num.* 14. & Leotard. *de Usur. quæst.* 99. *num.* 5.

Autoritas etiam Doctorum confirmat justitiam hujus summæ livellariæ exemptæ ab omni onere. Menoch. *toto cons.* 983. Valasc. & Sylvan. supra citati, ac alii plures apud Leotard. *de Usur. d. quæst.* 57. *à num.* 11. *& seqq.* & Marta *d. cons.* 126.

PACTUM TERTIUM.

AN dicta annua livellaria Pensio quinque cum dimidio sit diminuenda ob sterilitatem, vel casus fortuitos? Respondetur, non esse diminuendam; quia etiam in hoc Livellus similis est Emphyteusi, cujus privilegium est, ut ob quamcunque fructuum destructionem non possit Emphyteuta petere remissionem canonis à Domino, nisi totus fundus in sua substantia periret, juxta vulgare illud carmen:

Si pereat res tota, nihil dabit Emphyteuta.
Si non tota perit, non ita salvus erit.

Quod docent scribentes *in l.* 1. *C. de Jure Emphyt. & in §. adeò in fine. Instit. de Locat. & conduct.* Cardin. Mantica, qui plurimos allegat, *de* 18
Tacit. & ambig. lib. 22. *tit.* 2. *num.* 22. Et quamvis plures Doctores velint, id procedere tantummodò, quando per Emphyteutam solvatur parvus canon, secùs autem si solvatur pensio, quæ fructibus respondeat. Cardin. Mantica *ibid. num.* 26. & Thesaur. Jun. *Qu. forens. lib.* 1. *quæst.* 32. *num.* 30. secundùm quorum opinionem Livellaria pensio quinque cum dimidio esset diminuenda, cum non possit dici modica, sed potiùs correspondens fructibus, qui ex fundo colliguntur: Nihilominùs prævaleat opinio Doctorum docentium, etiamsi modica non sit pensio, nullam remissionem faciendam esse Emphyteutæ, & ita nec Livellario, ut scripsit Thesaur. Sen. *dec.* 20. *part.* 1. novissimè Surdus *decis.* 198. *per totam*, ac Vivius *decis.* 500. *lib.* 3. quibus adstipulatur Marescot. *Var. res. lib.* 2. *cap.* 76. *num.* 32. Quare cum hoc jure utamur, & ita servet generalis consuetudo, scrupulus non remanet circa prædictum pactum, tantò minùs, quia de jure licitum est circa casus fortuitos paciscì etiam contra, & præter naturam contractus, *l. Contractus* 24. *ff. de Reg. Jur. l. Si quis fundum, ff. locat.* Leotard. *de Usur. quæst.* 64. *num.* 1.

Neque obstat supradictis, contrarium sanxisse Constitutionem Pianam de Censibus, ut tenuit Rota post Cencium, *de Censib. dec.* 146. *num.* 12. & coram Cardin. Seraphino *dec.* 1418. *num.* 19
14. Quia respondetur, diversam esse naturam census à natura Livelli, in quo dominium directum fundi remanet apud Livellantem, ut supra demonstratum est; & illa Constitutio S. PII QUINTI non comprehendit Livellos in his, quæ non repugnant juri divino, naturali, & gentium; ut docet Comitolus *Resp. mor. d. lib.* 3. *quæst.* 29. *num.* 2.

PACTUM QUARTUM.

An licitum sit pactum Prælationis? Ut in venditione rei quoad dominium utile, dominus directus præferatur cæteris, cùm minori summa solidorum 20
viginti

NOn esse licitum, imò odiosum, & usurarium respondit Manentus *d. quæst.* 1. *part.* 10. *num.* 1. *per text. in l. Dudum, C. de Contrahen. Empt.* & per Cardin. Parisium *cons.* 82. *num.* 2. *lib.* 4. At amaro nimis animo digladiatur contra Livellarios contractus: quamobrem ejus assertio neque timenda, neque approbanda est: siquidem supradictum pactum & licitum, & justum, & honestum reperitur.

1. Ex Jure communi per *text. in l. Si sterilis* 22. *§. Sed & si tibi, ff. de Act. Empt.* ubi approbatur pactum, quod nulli alii possit emptor fundum vendere, nisi ipsi venditori.

2. Ex Jure Codicis idipsum expresè statuentis in re emphyteutica per *l. fin. C. de Jure*
emphy-

emphyteut. in qua, etiamsi hoc pactum insertum non fuerit, sancitur, ut Emphyteuta venditurus melioramenta sua teneatur præferre dominum, & ad hunc effectum eidem voluntatem suam vendendi denunciare teneatur, & eum per duos menses expectare. Igitur hoc idem jus servandum est etiam in Livellis, qui ab Emphyteusi non distinguuntur in hac parte ob directum dominium, quod remanet apud dominum Livelli, ut in terminis dicit Leotard. *de Usur. quæst.* 65. *num.* 9.

3. Ob pactum expressum, super quo convenere ipsi contrahentes in contractu Livellario, cujus observantiam præstare tenentur, *l. ultim. C. de Pact. inter empt. & vend. l.* 2. *&* 3. *C. de Donat. quæ sub modo, vel cond.*

Neque obstat, quod Livellarius obligatus sit vendere domino Livelli utiles rationes suas viginti solidis minùs. Nam, cum id sit in signum, & obsequium directi dominii, & versetur in re
21 minima, non est de eo curandum, *l. Omninò* 12. *ff. de Impens. in reb. dot.*

Prout non officit *textus in l. Dudum, C. de contrahen. empt.* neque autoritates Gardin. Parisii à Manento supra allegati. Quia loquuntur de privilegio consanguineorum circa jus retractus, quod ex jure communi erat prohibitum, sed vigore statutorum servandum venit, quamvis strictè sit interpretandum, ut ait Cardin. Parisius *in dict. cons.* 82. *num.* 4. *lib.* 3.

Tandem non intrat objectum Constitutionis Pianæ, prohibentis in censibus pacta omnia auferentia, vel restringentia facultatem alienandi rem censui suppositam, ut notat Navar. *de Usur. num.* 117. Molina *disput.* 390. *num.* 8. Ugolin. *de Usur. cap.* 45. *§.* 2. Nam respondetur, illam legem Pontificiam non arctare Livellos, ut diximus supra, saltem in his, quæ non sunt contra Jus divinum, naturale, vel gentium. Comitol. *dict. lib.* 3. *resp. Mor. quæst.* 29. *num.* 2. Sed ulterius eadem Bulla Piana non vetat, imò con-
22 cedit prælationem domino census, quoties censuarius rem censui suppositam vendere vellet, ut ex ejus lectura apparet, & advertit Leotard. *d. quæst.* 65. *num.* 23. Navar. *de Usur. d. num.* 127. Lessius *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 84. & Ugolin. *d. cap.* 45. §. 3. *num.* 1. eò quia aliud est, quod nulli alii, quàm mihi, res vendi possit, & aliud, quod in venditione Livellarius meipsum præferat eodem pretio, quod ab aliis potest habere, minùs solidis viginti.

DECISIO LXXII.

ARGUMENTUM.

Disputatur de justitia, vel injustitia aliorum duorum pactorum circa contractus Livelli. Unum, An Livellariæ pensiones non solutæ possint converti in capitale? Aliud circa pacta affrancationis Livelli potissimùm ad beneplacitum Livellantis.

SUMMARIUM.

1. *Prodia Livelli non soluta an possint converti in capitale?*
2. *Pecunia est realiter numeranda in actu creationis Census.*
3. *Pecunia præsens in Censu an sit de natura Census?*
4. *Capitale Livelli augeri potest ex prodiis non solutis in puncto Juris.*
5. *Secùs in Praxi, & de honestate.*
6. *Abstinendum ab eo, quod honestum non creditur.*
7. *Livellario non solvente pensiones quid agendum?*
8. *Pactum adstringendi Livellarium ad affrancationem, an sit licitum?*
9. *Census affrancatio in obligationem deduci non potest.*
10. *Livelli perpetui quomodo constituantur?*
11. *An de Jure sint liciti?*
12. *Pactum francationis tripliciter fieri contingit.*
13. *Pactum francationis pro arbitrio tùm Livellarii, tùm Livellantis licitum.*
14. *Ad libitum solius Livellarii multò magis licet.*
15. *Recuperatio fundi venditi, quo pretio sit facienda?*
16. *Pactum francationis Livelli ad certum tempus quem effectum habeat?*
17. *Livellum faciens cum pacto, ut ad sui libitum affrancetur, videtur mutuum cum Usura facere.*
18. *Commoda si sentis, junge onus emolumentis.*
19. *Pactum affrancationis idem est ac retrovenditionis fundi.*
20. *Emptio & Venditio fundi expellit contractum mutui.*

Sequitur examinandum pro justitia contractus Livellarii.

PACTUM QUINTUM.

Videlicèt: *An pecunia debeat esse præsens, dum Livellus constituitur?*

INtelligentia hujus pacti pendet à resolutione sequentis Casus.

Petrus, ob Livellarias pensiones decursas, & non solutas, debet tibi quingentos ducatos: & non habens, undè solvat, rogat te, ut illos in novum Livellum francabilem convertas super eodem fundo, ad rationem quinque cum dimidio pro centenario. Quæritur, An licitè fieri possit? 1

In contractu census post Constitutionem S. Pii Quinti extra controversiam est, non posse 2
creari novum censum ex pensionibus decursis, & non solutis, eò quia Summus Pontifex in ea statuit, *Censum, seu reditum annuum constitui nullo modo posse, nisi verè in pecunia numerata, præsentibus testibus, & Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem priùs,* & ita tenent Molina *disput.* 390. *num.* 2. Rebell. *lib.* 19. *quæst.* 9. *num.* 4. *& quæst. ult. num.* 1. Salas *de Censib. dub.* 8. *num.* 8. *&* 11. Ugolin. *de Usur. cap.* 51. *§.* 1. Cencius *de Censib. part.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 1. *art.* 5. *num.* 36. & Rota *post dict. tractatum decis.* 81. *dec.* 92. *& decis.* 119.

Tota quæstio reducitur, An ex Jure Naturali 3
sit necessarium, ut in creatione Census pecunia sit præsens, & actualiter numeretur censuario? Et in hoc dissident Theologi: quia alii affirmant, & alii negant, ut videre est apud Salas *de Censib. dict. dub.* 8. *num.* 12. & Cardin. de Lugo *disput.* 27. *num.* 84. ubi, non esse de necessitate, ut præsens pecunia sit, verius esse concludit de jure naturæ. Porrò quicquid sit in creatione census seclusa Bulla Piana, in acquisitione Livelli, si in puncto juris, & ex justitia, ac securitate conscientiæ quæramus, resolvendum est, pensiones Livellarias decursas, & non solutas posse deservire ad constituendum novum Livellum, 4
etiam super eodem fundo, si sit capax reddendi tot fructus, quot valeant pro solutione pensionis veteris, ac novæ, sin minùs, super alio

fundo. Ratio resolutionis est, quia quilibet potest vendere rem suam creditori, & illi eam pro debito dare. *l. In numerationibus 44. ff. de Solutionib.* & tradit Bartol. *in l. Singularia. num. 26. ff. si cert. petat.* Cum itaque Petrus in proposito casu velit vendere tibi creditori aliam fundi Livellarii portionem, ut tibi satisfaciat pro decursis pensionibus Livellariis; tu jure potes emere dictam fundi portionem, & eam in solutum recipere pro tuo credito; tunc enim datio hæc in solutum habet vim pretii, *l. Si prædium, C. de Evictionib.* Navar. *consil. 1. de Empt. & Vendit. lib. 3.* Cardin. Paris. *consil. 75. num. 32. lib. 4.* Rota post Cencium *de Censib. decis. 81. num. 2. & decis. 92. num. 5.* Leotardus *de Usur. quæst. 60. num. 9.* Qua postea completa fundi emptione, quæ est fundamentum contractus Livellarii, poteris retrocedere eundem fundum, id est ejus novam portionem acquisitam, Petro ad Livellum ad rationem quinque cum dimidio pro centenario, prout in Casu.

5 Hæc dicta sunt in puncto juris, & ex justitia, ac securitate conscientiæ: nam totum contrarium pro praxi dicendum erit, tùm respectu utilitatis, tùm etiam respectu honestatis. Utile non videtur, facere novum Livellum cum debitore moroso, & contumace in solvendo, qui, sicut defecit in præteritis solutionibus, idem præsumitur facturus in futuris, *cap. Scribam 9. de Præsumpt.* Glossa *in capit. Semel malus, de Regulis jur. in 6.* Honestum quoque esse non potest, pensiones decursas in Livellum convertere, ne scandalizentur pusilli, ob illud brocardicum: *prodia non faciunt prodia: sivè pecunia pecuniam non parit.*

6 Decianus *volum. 1. resp. 2. num. 22.* decet autem probum virum in suis contractibus non solùm facere, quod est licitum, sed etiam abstinere ab eo, quod honestum non creditur, *l. Semper 197. ff. de Reg. Jur.* Pichardus *Institut. Civil. titul. 1. §. 4. num. 13.* Quare tutius, & laudabilius erit, executiones reales facere contra debitorem prædictum ad consequendas pensiones Livellarias decursas, cui si bona mobilia non forent ad solvendum, poterit creditor intrare in tenutam, ac possessionem fundi Livellarii ex decreto

7 Judicis, prævia æstimatione valoris ejusdem, juxta Statutum Patavinum *sub Rubr. de Pignorib. & Tenutis, Vers. Si aliqua res immobilis.* Vel eundem fundum subhastari facere, & vendi ad publicum incantum, & in defectu emptorum, ipse creditor illum emet cum beneficio quinti, id est quinta parte minùs valoris, æstimationisvè ejusdem fundi, juxta Ordinationes, & Decreta Illustrissimorum, & Excellentissimorum Syndicorum, Inquisitorumque in Terra firma à Serenissimo Principe cum autoritate suprema Deputatorum *Anno Domini 1675.* & pro foro Patavino promulgatorum die 28. *Januarii ejusdem anni*, quæ leguntur impressa in calce Statuti Patavini *pag. 350. terg. num. 8.* Sic enim creditor, & utilitati propriæ prospiciet, consequendo quod sibi debetur, & fundi dominium directum, & utile adipiscendo absque scrupulo, majorique securitate, & honestati obsequetur, abstinendo à suspicione fœnoris, quod prima facie præsumi posset ab iis, qui in animo vel multam invidentiam fovent, vel parvam habent intelligentiam. Nam, ut ait Cicero *in Orat. pro Corn. Balb. est aliquid quod non oportet, etiamsi liceat.* Et Claudianus admoniturus Honorium ita cecinit:

- - - Sed comprime motus,
Nec tibi quid liceat, sed quid feciſſe decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.

Tandem ad plenam intelligentiam contractus Livellarii, restat adhuc explicandum

PACTUM SEXTUM.

In quo *Quæritur, An in Livello licitum sit pactum adstringendi Livellarium ad francationem ad omne beneplacitum Livellantis, seu creditoris Livelli?* 8

CLerus noster respondit, extra omnem controversiam esse, quod in censibus tale pactum illicitum habeatur, ob expressam prohibitionem Pianæ Constitutionis, quæ quidem præcipit, ut censuarius ipse possit ad suum beneplacitum redimere censum, & se affrancare, quocunque pacto in contrarium non obstante, & nulla præscriptione temporis impediente, etiamsi de hac facultate redimendi nihil dictum esset in contractu, quæ facultas transit etiam ad hæredes censuarii, ejusque successores: At vice versa eadem Piana Constit. prohibet censualistæ, dominovè census, obligare, seu cogere censuarium ad redimendum, & francandum censum, uno casu tantùm excepto, videlicèt, quando 9
censuarius denunciasset eidem censualistæ, se velle redimere censum, & francare; tunc enim, ne videatur censuarius illudere domino census, cogi potest ad redimendum, & solvendum pretium census intra annum à die denunciationis, ut cantant verba Bullæ Pianæ, & tradunt Theologi, & Jurisperiti, quos cumulat Salas *de Censib. dub. 25. num. 1.* & Leotard. *de Usur. quæst. 67. & 68.* novissimè Eminent. Cardin. de Luca *de Censibus disc. 10. 11. & 12.*

Porrò, utrùm sit idem jus, eademque prohibitio in Contractu Livellario? varii varia scripserunt: quamobrem ad evitandam obscuritatem, seligendo certa ab incertis, ut clarè, & manifestè pateat tùm confessariis, tùm contrahentibus, nec non Notariis, Advocatis, Judicibus, quid licitum, & justum sit in hac materia francationis, & redemptionis Livellorum, placuit, eam radicitùs attingere, & notare, quod Livelli vel sint perpetui, & irredimibiles, vel sint redimibiles, & francabiles.

Livelli perpetui, & irredimibiles sunt illi, in quorum constitutione contrahentes expressè 10
convenerunt, eos in perpetuum duraturos esse, admissa tantummodo renovatione Instrumenti singulis viginti novem annis, cum honorantia unius paris gallinarum, vel modico alio dono in obsequium directi dominii; contra quam investituræ renovationem blaterat Manentus *dict. quæst. 1. Pact. 12.* ob falsum principium, in quo residet, quòd scilicèt dominus Livelli non sit dominus fundi, cujus venditionem imaginariam, & simulatam fibilat: quam opinionem erroneam esse demonstravit Marta *d. cons. 126. & de Clausul. part. 2. clauſ. 3.* & nos supra comprobavimus. Idcircò, quamvis census perpetuos, & irredimibiles vetuerit Constitutio Piana certis de causis, quas recenset Leotardus *de Usur. d. quæst. 67. num. 4.* & quæ non militant in Livellis ob disparem naturam horum contractuum, ex eo potissimùm, quod in Livello dominium directum, & proprietarium fundi remanet apud Livellantem, at in censu nullum do-

mi-

minium habet censualista super fundo, cui innixus est census; certum est, perpetuitatem
11 Livellorum non esse à jure reprobatam, eosque perpetuos fieri posse, & irredimibiles, si minor pensio Livellaria constituatur, & minùs Livellarius gravetur, ut testantur & universalis consuetudo totius Italiæ; & Doctores, qui de hac materia scribunt, concedentes, etiam census de jure posse fieri perpetuos, & irredimibiles, circumscripta Constitutione Pontificia S. PII QUINTI, si justum pretium intercedat, & diminuatur annua pensio, quæ apud nos restringitur ad quatuor pro centenario, si Livellus sit perpetuus. Leotard. *de Usur. dict. quæst.* 67. *num.* 15. & ibi Felician. *de Censib. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 5.

Igitur firmum remanet, Livellos perpetuos esse licitos, in quibus pensio solvitur ad rationem quatuor pro centenario, habito respectu ad valorem fundi, & de his nulla quæstio, aut disputatio esse potest.

Quod si Livelli sint temporales, & ut vulgò appellantur, francabiles, ad cognoscendam justitiam pactorum, quæ fieri solent super facultate francandi, distinguendi sunt tres casus,
12 eò quia tripliciter pactum francationis, & redemptionis Livelli emitti potest; videlicèt vel in gratiam utriusque contrahentis, scilicèt Livellarii, & Livellantis, vel in gratiam, & arbitrium Livellarii tantùm, vel in arbitrium, & favorem solius Livellantis.

Primus casus est, quando pactum francationis ponitur in arbitrio utriusque contrahentis,
13 ita ut tam Livellarius, quàm dominus Livelli possit petere francationem, vel quandocunque, vel intra, aut extra tempus communiter determinatum; & in hoc casu nulla est difficultas; & conceditur à Doctoribus, ut scribunt Bonacina *tom.* 2. *de Contract. disput.* 3. *quæst.* 2. *punct.* 3. *num.* 15. Lupus *in lib.* 2. *C. de Pact. inter empt. & Vend. Comment.* 2. *in Præf. num.* 25. Cardin. de Lugo *disput.* 26. *num.* 183. Cardin. Toletus *de Sept. peccat. mortal. capit.* 52. Cardin. Mantica *de Tacit. lib.* 4. *tit.* 31. *& tit.* 32. ubi leges, & DD. & Mastrius *in Theol. Mor. d. disput.* 5. *num.* 30. *&* 31.

Secundus casus est in gratiam, & arbitrium Livellarii tantùm, quando scilicèt Livellarius vendidit fundum alicui, cum pacto retrocessionis illius ad Livellum, à quo quidem quandocunque valeat se francare ad omne suum beneplacitum, sed adstringi non possit per Livellantem ad dictam francationem faciendam,
14 ita ut à sola sua voluntate, & arbitrio pendeat, facere, vel non facere francationem. Tale pactum pariter licitum esse, omnes Doctores concedunt Molina *de Justit. & Jur. disput.* 374. Lessius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 14. Navarrus *cap.* 17. *num.* 248. ubi advertit etiam, quod emptor justè possit locare venditori ipsum fundum honesta pensione, *l. Fundi partem, ff. de Contrab. empt. cap. Cùm Joannes, de fide Instrum.* Cardin. de Lugo *disp.* 26. *num.* 184. & Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 3. *§.* 8. *à num.* 15. *& seqq.* & fulcitur tùm autoritate, *l.* 2. *C. de Pactis inter emptor. & vend.* ubi permittitur venditori, rem suam vendere cum pacto illam ad suum beneplacitum recuperandi; tùm ratione, quia pacta inter contrahentes inita sunt servanda, *l. Contractus, ff. de Reg. Jur.* præcipuè quæ sunt ad favorem venditoris circa francationem onerum; res enim favorabilis est liberare res suas. Glossa *in l. ult. C. de Pactis pignor.* & publicè interest, prædia libera possideri, & debitores posse exonerari. Leotardus *de Usur. dict. quæst.* 67. *num.* 4. & Decianus *Vol.* 2. *resp.* 68. *num.* 19. ubi unum valdè notabile dicit, quod scilicèt hoc pactum possit in quemcunque cedi; quod etiam videmus practicari, & ejus vigore multi divites emunt tale pactum, & cum eo cogunt emptores restituere bona priùs empta; quod docuit idem Decianus etiam *Volum.* 5. *respons.* 64. *num.* 24. Et Card. Mantica *dict. lib.* 4. *tit.* 32. *num.* 13.

Disputant nihilominùs Doctores circa hunc casum, quale debeat esse pretium restituendum 15
emptori? & concordant omnes, quod, si pactum fuerit, retrovenditionem fieri eodem pretio, quo fuit priùs res vendita, servandum sit pactum: si nihil dictum sit, probabile asserunt, quod emptor prætendere possit pretium currens tempore redhibitionis; vel si emptor grave dispendium pateretur redhibendo, compensandum sit arbitrio prudentum. Tambur. *dict. lib.* 8. *tract.* 3. *§.* 8. *à num.* 19. *& seqq.* & Cardin. de Lugo *dict. disput.* 26. *num.* 189.

Tandem notant circa hunc secundum casum; facultatem recuperandi fundum, & francandi Livellum ad favorem venditoris, seu Livellarii, fieri solere aliquando cum aliqua exceptio- 16
ne temporis, puta posse francare Livellum, & redimere fundum, sed tribus annis, vel sex, aut octo transactis; & tunc dicunt, nullum aliud versari discrimen, nisi expectare cursum temporis præfiniti. Decian. *Volum.* 1. *resp.* 2. *num.* 131. *& Volum.* 2. *resp.* 13. *num.* 32. Tamburin. *ubi prox. num.* 15. Cardin. de Lugo *num.* 187. ubi vice versa scribit, quod si facultas prædicta restricta foret ad determinatum numerum annorum, iis transactis, Livellus fieret perpetuus, neque ampliùs posset Livellarius illum francare. *l. Æmilius:* ubi Bart. *& DD. ff. de Minoribus.* & Marta *cons.* 81. ubi tenet hoc pactum præscribi spatio annorum triginta.

Tertius casus est, quando Pactum francationis factum est ad favorem solius emptoris, qui sibi libertatem, & facultatem reservavit, quandocunque sibi placuerit, adstringendi Livellarium ad recuperandum fundum & francandum Livellum cum restitutione pecuniæ, seu pretii ab initio dati: & in hoc casu plurimis DD. pactum visum est injustum, iniquum, & usurarium, nisi pensiones Livellariæ antea 17
exactæ computentur in sortem. Nam

1. Qui dat alicui pecuniam, cum facultate eam repetendi ad suum beneplacitum, mutuum committit, *l.* 2. *in princip. ff. Si cert. petat. & l. Cum quid ff. eod. l.* 1. *§.* 1. *& l.* 4. *ff. de oblig. & act.* Sed ubi est mutuum, & aliquid recipitur ultra sortem, usura committitur, Sotus *de Justit. lib.* 6. *quæst.* 1. *art.* 1. & Clerus noster supra *Decis. XXV. num.* 1. Ergo cum pactum faciat contractum mutui, sequitur illud esse usurarium.

2. Qui dat alicui pecuniam, & ab eo recipit pignus fructiferum, tenetur computare fructus in sortem, aliàs committit usuram. *cap.* 1. *& 2. de Usuris. cap. Cum contra. cap. Significante. de Pignoribus. l.* 1. *& 2. de Pignorat. act.* Sed in casu Livelli fundus videtur deservire loco pignoris; quia in eo consistit securitas denariorum, quibus formatur Livellus. Ergo non computatis Livellariis pensionibus in sortem, erit usura.

3. Facit textus *in cap.* 25. *Levitici*, ubi ſtatutum legitur, quod filii Iſrael, qui ſuas vendidiſſent poſſeſſiones, poſſent eas quandocunque redimere reddito pretio, at in eo fructus computarentur.

4. Urget *text. in cap. Ad noſtram* 5. *de Empt. & Vendit.* in quo declaratur uſuraria emptio bonorum facta cum pacto recuperandi, per reſtitutionem pretii.

5. Idem confirmatur in conſimili caſu venditionis per textum *in cap. Illos vos.* 4. *de Pignoribus.*

6 Quandocunque in contractibus plus oneratur una pars, quàm altera, niſi compenſetur aliundè, committitur injuſtitia, & contractus eſt injuſtus. Reginald. *lib.* 25. *num.* 293. ubi ait
18 *Commoda ſi ſentis, jungas onus emolumentis.* Sed in hoc caſu emptor imponit onus grave venditori, dum vult illum adſtringere ad ſui beneplacitum ad francationem, quam venditor facere non poteſt, & nullam recipit compenſationem. Ergo hoc pactum eſt iniquum, & injuſtum; prout illud eſſe uſurarium docuerunt Sotus *de Juſtit. lib.* 6. *quæſt.* 5. *art.* 3. *concluſ.* 1. Covaruv. *Var. lib.* 3. *cap.* 9. *num.* 4. Navar. *in Commentar. de Uſur. num.* 122. Cardin. Mantica *de Tacitis & amb. lib.* 8. *tit.* 22. *num.* 22. Rota poſt Gencium *de Cenſib. deciſ.* 147. *num.* 6. ubi plurimos allegat; Et coram Cardin. Seraphino *deciſ.* 1006. Noviſſimè Emin. Cardin. de Luca *de Cenſibus dict. diſc.* 10. *ſub num* 3. & Gonzalez *in Comment. ad capit. Ad noſtram* 5. *de empt. & Vendit. num.* 3. ubi innumeros DD. numerat.

His tamen minimè obſtantibus firmatum fuit per ſtudioſos noſtri Cleri, ampliſſimis votis, pactum, de quo in caſu, adſtringendi Livellarium ad francationem Livelli, licitum, & juſtum eſſe,
19 quamvis ad beneplacitum emptoris; ea ratione, quia nihil aliud eſt, niſi pactum redimendi fundum, quem emit à Livellario cum hoc pacto; omnes autem doctores Theologi, Canoniſtæ, & Juriſperiti concedunt, tale pactum poſſe contrahentes ſtipulari in actu emptionis, & venditionis non tantùm ad utriusque commoditatem, & voluntatem, ſed etiam ad beneplacitum ſolius emptoris, ne ſit deterioris conditionis venditore, ſeu Livellario, ad cujus arbitrium francatio remitti poteſt. Lupus *dict. comment.* 2. *num.* 26. Vgolin. *de Uſur. cap.* 42. Molina *diſput.* 377. *num.* 8. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 22. *dub.* 10. Valent. *diſput.* 15. *quæſt.* 22. *punct.* 6. *& quæſt.* 25. *punct.* 2. Salas alios allegans *de Cenſib. dub.* 25. *num.* 1. *&* 2. ubi rationes reddit; Cardin. de Lugo *dict. diſput.* 26. *num.* 200. Bonacina *dict. diſput.* 3. *quæſt.* 2. *part.* 3. *num.* 6. Leotard. *de Uſuris dict. quæſt.* 68. *à num.* 4. *& ſeqq.* & plurimis congeſtis Farinac. *de Falſ. & ſimulat. dict. quæſt.* 163. *num.* 20. quibus adſtipulatur Gonzalez *ubi ſupra, num.* 4. & ibi Fachineus, Caſtillo, Maſcardus, & alii ita tenentes, inter quos Cevallos *Commun. contra com. quæſt.* 224.

Neque obſtant rationes contrariæ.

Non primum de Mutuo; quia cum in hoc caſu interveniat res, & pretium, & ſic contra-
20 ctus emptionis, & venditionis fundi, non poteſt eſſe locus contractui mutui, quo ceſſante, ceſſat etiam omnis labes fœnoris; neque enim Livellarius ſolvit penſionem ſuper ſortem, ratione mutuatæ pecuniæ, ſed ratione fructuum, quos colligit ex fundo, eidem retroceſſo in Livellum ab emptore, cujus mens, & intentio fuit emptionis contractum inire, non autem mutui; & eſſentia, ac natura contractus pendet à mente, & intentione contrahentium. Molina *d. diſput.* 377. *num.* 8. & Bonacina *dict. tom.* 2. *de contractibus diſput.* 3. *quæſt.* 2. *punct.* 3. *num.* 8. 9. & 10. ubi alios allegat. Latè prædictus Gonzalez *in dict. c. Ad noſtram, de Empt. & Vend. num.* 4.

Non obſtat ſecundum, ex ſupradicta ratione, contractum ſcilicèt fuiſſe emptionis, & venditionis, non autem mutui, neque pignoris. Et quamvis Livellarius venditionem ſimulaſſet, & intendiſſet mutuò pecuniam recipere, & dare fundum loco pignoris, nihil officere poſſet emptori; nam inquit Bonacina ubi ſupra, *Emptorem tutum eſſe in conſcientia, emendo cum intentione ineundi verum contractum emptionis, etiamſi venditor occultè ſimulet inire contractum venditionis cum intentione recipiendi mutuò pecuniam. Ratio eſt, quia venditor non debet ſua ſimulatione, & fictione præjudicium, & detrimentum afferre emptori, ipſius fictiones ignoranti, ſed illum debet ſervare indemnem, ſic enim poſtulat natura contractus, & juſtitia, ut perſpicuum eſt inter omnes.* Ita Navar. *cap.* 17. *num.* 248. Trullench. *in Decal. lib.* 7. *cap.* 20. *dub.* 14. Nec non Gonzalez *d. num.* 4.

Non obſtat tertium ex textu Levitici *cap.* 25. quia ut obſervat Cardin. de Lugo *dict. diſput.* 26. *ſub num.* 184. illa fuit lex poſitiva, & ſpecialis pro Judæis, ne unus diteſceret ſupra alium, & ideò, cum præcepiſſet Deus, poſſeſſiones eorum eſſe quodammodo inalienabiles, ita ut ſi alienarentur, anno Jubilæi deberent reſtitui priſtino domino absque pretio, ſi fortè emptor ad effugiendam gratuitam reſtitutionem prædictam coegiſſet venditorem ad redimendum fundum venditum cum reſtitutione pretii, debebat & ipſe computare fructus perceptos ad ejus pretii diminutionem. Sivè dicemus cum Maſtrio *dict. diſput.* 5. *num.* 32. ibi non interveniſſe venditionem prædiorum, quæ non poterant alienari ex Dei præcepto, ſed tantummodò venditionem fructuum, qui propterea debebant computari in pretio.

Non obſtat quartum *ex cap. Ad noſtram.* 5. *de Empt. & Vendit.* Quia in eo textu uſuraria, & injuſta fuit emptio pronunciata ob quatuor rationes.

1. Quod partes intenderunt mutuum contrahere, quod palliatum fuit poſtea ſub nomine emptionis, & venditionis.

2. Quia pretium fuit injuſtum, nam vix attingebat dimidium juſti valoris fundi.

3. Quia emptor ſolitus erat fœnerari.

4. Quia prohibuerat recuperationem ante ſeptennium, & poſt novennium; undè cum pretii exiguitate volebat lucrari fructus. Ita Covaruvias *Variar. lib* 3. *cap.* 8. *num.* 3. *&* 4. Molina aliis citatis *diſput.* 375. *num.* 7. Azor. 3. *part. lib.* 8. *cap.* 12. Maſtrius *d. diſput.* 5. *num.* 32. & cæteris clariùs antedictus Gonzalez *ibid. num.* 4.

Non obſtat quintum *ex cap. Illos vos.* 4. *de Pignorib.* Siquidem in prædicto textu non intervenerat venditio fundi, ſed datio in pignus; cumque ibi creditor recepiſſet pecuniam ſupra ſortem, & eſſet ſolitus exercere uſuram, contractus declaratus fuit uſurarius. Gloſſa, & Abbas *ibid.* Sed in noſtro caſu contractus non fuit pignoris, ſed veræ, & realis emptionis. Molina *d. diſput.* 377. *num.* 8. Maſtrius *ubi ſupra num.* 32. & Gonzalez *num.* 4. *usque in finem.*

Non

Non obstat Sextum, & Ultimum, quod ex hoc pacto francandi ad beneplacitum solius emptoris oneretur venditor & gravamen ei inferatur; ex quo, nisi compensatio fiat in pretio, resultat injustitia. Nam non negatur in hoc casu esse compensandum Livellarium, & pensionem, quam solvit ex Livello, esse debere ad rationem quatuor pro centum, ac si Livellus perpetuus foret: quia cum dependeat francatio à beneplacito emptoris, qui potest nunquam velle francationem, Livellus sapit perpetuitatem respectu Livellarii, cui debita est compensatio ob hoc gravamen, & sic diminutio pensionis Livellariæ, juxta communem doctrinam scribentium. Reginald. *dict. lib. 25. num. 294.* Bonacina *d. tom. 2. de contract. disp. 3. quæst. 2. punct. 63. num. 6.* Azor. *d. p. 3. lib. 8. cap. 12. Vers. Octavo quæritur.* Molina *d. disp. 377. num. 8.* & Cardin. de Lugo *d. disp. 26. num. 201.*

Illud tandem corollarii loco, & pro conclusione materiæ Livellariæ notarunt studentes nostri; quod etsi rarò videatur in praxi hoc pactum francationis in solius emptoris arbitrio constitutum, optimum fuerit à Confessariis, & Parochis tùm contracturos, tùm Notarios monere, ut ab eodem pacto prorsùs abstineant, cum præseferat talem qualem usuræ suspicionem; laudabilius namque erit, inire pactum ipsum commune & Livellanti & Livellario; prout ego vidi in instrumentis hujus contractus ab honestis viris, & prudentibus Notariis practicari; sic enim servatur æqualitas, & per consequens justitia, quæ principalis scopus semper esse debet contrahentium, ut ex Gregor. de Valen. & aliis Theolog. notat Leotard. *de Usur. d. quæst. 68. num. 4.*

DECISIO LXXIII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, non esse dicendam illicitam constitutionem Livelli super minori numero camporum existentium in corpore, & de corpore possessionis, seu campaneæ majoris summæ, etsi confines illorum paucorum camporum individualiter non specificentur in Instrumento Livelli.

SUMMARIUM.

1. *Confines camporum in Livellum datorum an sint specificandi?*
2. *Praxis Notariorum instrumentandi Livellos super minori numero camporum de corpore terræ majoris numeri.*
3. *Venditio fundi præcedere debet constitutionem Livelli.*
4. *Venditio minoris quantitatis camporum in corpore majoris quantitatis terræ existentium, eis non specificè designatis valet.*
5. *Dominium directum camporum stat in Livellante: Utile in Livellario.*
6. *Veritas venditionis fundi ubi est certa, ibi non debet esse dubium de Livello subindè constituto in eodem fundo.*
7. *Bulla S. Pii V. de Censibus non est extendenda ad Livellos.*
8. *Census fieri potest super fundo non expressis confinibus ejus.*
9. *Confinium camporum expressio tribus modis fieri potest.*
10. *Tornatura quid sit? & quid significet?*
11. *Tenuta camporum Livellatorum pro pensionibus non solutis quomodo apprehendatur?*
12. *Confines sufficiunt totius possessionis, pro Livellandis aliquibus campis de ejus corpore.*
13. *Melioramenta fundi post Livellum spectant ad Livellarium.*

INvaluit scrupulus in mente zelantis Concionatoris ex ordine RR. PP. Capuccinorum, qui piè, ac fructuosè contra Usurariam labem prædicaverat, quod peccaminosa, & non tolerabilis sit praxis, quæ in hoc Serenissimo Statu Veneto viget, dandi ad Livellum [Exempli gratia] quatuor campos è corpore unius possessionis camporum centum, recepta pecunia convenitis valoris eorundem quatuor camporum, absque tamen specifica extractione, aut declaratione confinium, seu terminorum camporum eorundem quatuor, sed tantummodò expressa situatione totius integri corporis prædictorum camporum centum. Talis scrupulus fundabatur in Bulla 79. S. Pii Quinti Incipien. *Cum onus Apostolicæ servitutis &c.* circa creationem Censuum; de qua dictum est supra *Decis. LIX. num. 6.* In ea enim inter cætera requisita pro validitate Censuum præcipitur, ut bona, super quibus Census constituitur *nominatim suis finibus designata sint.* Quapropter præfatus R. P. Capuccinus Concionator voluit me consulere super hoc dubio, cui ego respondi esse merum scrupulum, ideòque flocci faciendum, ac Notariorum praxim ita instrumentandi non esse criminandam, nec redarguendam, quia irreprehensibilis est; & Livelli ut supra creati, sunt liciti, & ab omni labe usuræ, seu nullitatis vitio immunes. 1 2

Siquidem ad constituendum Livellum opus est, ut præcedat venditio fundi, quam facit ille, qui indiget pecunia, & eam recipit ab emptore cum pacto, ut retento apud ipsum emptorem directo dominio fundi venditi, sibi retrocedat ejusdem fundi dominium utile; cujus respectu promittit se soluturum quatuor vel quinque; & ad summam quinque cum dimidio pro centenario habita relatione ad pecuniam solutam pro emptione ejusdem fundi à Livellante, ut expositum est supra *Decis. LXXI. à num. 3. & seqq.* & ex Theologis docent Comitolus *in Resp. Moral. lib. 3. quæst. 29.* ex Jureconsultis Decianus *Resp. 23. num. 26. vol. 5.* Marta *clausul. 3. num. 7. part. 3.* nec non *consil. 126. num. 5.* ubi alii multi. Porrò si quis vendat quatuor campos amplioris agri, campaneæ, seu possessionis, nec designet individualiter in qua parte iidem quatuor campi existant, aut à quo latere sint extrahendi, nihilominùs venditio valida est; quia in eis extrahendis, & specificè designandis, ac individualiter specificandis electio est venditoris juxta textum *in l. Si ita, 25. & in l. Si in emptione 34. §. emptio, ff. de Contrah. empt.* Leotardus *de Usuris quæst. 58. num. 54.* ubi alios DD. cumulat. Igitur cum valida sit emptio, & venditio eorundem quatuor camporum è corpore amplioris possessionis, seu agri, etsi non designentur eorum confines; valida etiam erit retrocessio eorundem ad Livellum, in quo emptor retinendo sibi dominium directum, ritè, verè, ac rectè jam acquisitum, tradit venditori dominium utile; & constituit se Livellantem, illum autem Livellarium; siquidem fundamentum Livelli est præcedens emptio fundi, super quo Livellus 3 4 5

est

est constituendus; & ubi de veritate emptio-
6 nis, ac venditionis prædicti fundi legitimè constat, de constitutione Livelli super eodem dubitari non debet; ut probatum est supra *Decis. LXXI. num.* 6. ex doctrina Leotardi *de Usuris quæst.* 27. *à num.* 54. *& seqq. & quæst.* 89. *num.* 10. cum quo concordat Marta *d. clausul.* 3. *part.* 2. *& cons.* 126. *num.* 15. nec non Rota Romana coram Cæsare de Grassis *decis.* 187. ac communiter DD.

7 Neque officit Bulla S. Pii Quinti ex adverso considerata. Primò, quia ipsa loquitur de Censibus, non autem de Livellis, qui sunt contractus valdè differentes, & distincti inter se, ut demonstratum est supra *Decis. LXIX. num.* 12. Secundò quia etiam in materia census non est
8 necessaria individualis specificatio, & confinium demonstratio fundi, super quo Census imponitur ut in puncto tenuit Rota *part.* 4. *recent. decis.* 636. *num.* 3. ubi præter alios Doctores canonizavit doctrinam Menochii *in consil.* 287. *num.* 8. *& seqq.* advertentis, quod demonstratio expressa
9 fundi tribus modis fieri possit; Uno, in genere dicendo: *Constituo censum super omnibus fundis meis.* Altero in specie, dicendo: *Constituo Censum super fundis meis in Villa N. existentibus, ac in tali contracta.* Tertiò individualiter eos exprimendo, ac demonstrando, putà *super tot fundis existentibus in tali loco, nominando eorum confines.* Ex his tribus modis secundus, ac tertius satis est ad Censum constituendum ritè, ac rectè etiam in rigore Constitutionis S. Pii Quinti, ut pluries determinavit Rota, ac præcipuè *decis.* 95. *num.* 6. *& decis.* 99. *num.* 1. inter impressas apud Cencium post ejus tractatum de Censibus; & advertit Bellarminus *in addit. ad Gregor. XV. decis.* 355. *num.* 6. ita scribens: *Et quod valeat Census impositus super quibusdam tornaturis unius prædii multò majoris quantitatis, etiamsi non fuerit expressum, à quo latere dicti prædii sint dictæ tornaturæ: dummodo ex signis, & demonstrationibus constare possit, super quibus tornaturis dicti prædii fuerit fa-*
10 *cta impositio tenuit Rota d. decis.* 95. *&c.* Non lateat Lectorem, quod tornatura sit vox Bononiensis, significans certam mensuram terræ, ut docet Vocabularium *della Crusca d. Verb. Tornatura.* Idcircò etiamsi tornaturæ, id est aliquæ partes fundi non sint designatæ per specificos confines, censum super eis constitutum valere docet etiam Ferentillus *in Annot. ad Burattum decis.* 10. *num.* 29. undè multò magis valere debet Livellus factus super aliquo numero camporum de corpore alicujus possessionis amplioris quantitatis specificè nominatæ, etsi ejusdem numeri camporum Livello oneratorum non sint specificati confines.

Minùs officere potest, quod in casu affrancationis Livelli ob non solutas pensiones, nesciat Livellans, quales sint sui campi, quos apprehendere possit in solutum, & consolidare eorundem utile dominium, quod habebat Livellarius, cum dominio directo existente apud ipsum Livellantem. Nam respondetur, notum esse versantibus in foro, quod in hujusmodi casu apprehensio, ac consolidatio prædicta non fiat auctoritate propria, sed de mandato Judicis, ad quem creditor Livelli recurrere debet, & petere, ut eum mittat in tenutam tot camporum de corpore illius amplioris possessionis, quot sufficiant pro suo credito tùm capitalis pe-
11 cuniæ, tùm prodiorum decursorum, & non solutorum cum beneficio quinti, de quo dixi supra *Decis. LXXII. num.* 7. Deindè faciendi sunt tres incantus super iisdem campis, & postea eorum æstimatio per publicum pretium, ne aliquid terræ ultra justum valorem habito respectu ad creditum Actoris apprendatur. Propterea nullum sequitur inconveniens, etsi à principio in constitutione Livelli, non fuerint specificati confines prædictorum quatuor camporum, de quibus in themate, quando certi sunt confines, & indubitatus situs totius possessionis, seu agri majoris quantitatis, ex prædicta fundamentali ratione, quod creditor ca- 12
pere non potest nisi tantam quantitatem terræ, quanta sufficiat pro ejus credito ex decreto Judicis. Imò si ipsi quatuor campi fuissent specificè, & individualiter designati à principio in instrumento Livelli, & valerent pluris, illud 13
plus remanere deberet apud Livellarium titulo melioramentorum, & econtra si minùs valere reperti essent in æstimatione ex decreto Judicis facta, supplendum esset ex campis contiguis usque ad integram summam totius crediti ejusdem Livellantis, ut ex doctrina Eminentiss. Cardin. Parisii *lib.* 1. *cons.* 59. *& cons.* 60. nec non *lib.* 3. *cons.* 77. demonstravi supra *Decis. LXX. num.* 14.

Ex quibus omnibus suasum reddidi antedictum zelantem Concionatorem, quod neque Usuraria, neque reprehensibilis sit praxis regionis nostræ vendendi minorem numerum camporum de corpore majoris summæ absque illorum individuali specificatione, aut confinium expressione, ad effectum, ut ab emptore retrocedatur statim eidem venditori ad Livellum; quia sufficit certitudo totius possessionis, seu totius corporis agrorum majoris quantitatis, in quo insunt, vel cui adhærent, & cohærent illi campi minoris summæ, ad effectum, ut super ipsis ritè, ac rectè constituatur Livellus.

DECISIO LXXIV.

ARGUMENTUM.

Domus, & Campi relicti à Testatore Monialibus, ut ex eorum fructibus Capellaniam pro ejus anima erigant, sed cum prohibitione eosdem campos alienandi, hypothecandi, seu livellandi, possunt à Monialibus dari ad Livellum ob difficultatem illos locandi.

SUMMARIUM.

1. *Legatum relictum pro capellania Missarum.*
2. *Livellus domi, & agrorum factus contra prohibitionem testatoris an sit sustinendus?*
3. *Alienari potest fundus sterilis contra testatoris prohibitionem.*
4. *Testatoris intentio magis, quàm verba, est attendenda.*
5. *Judex debet interpretari mentem Testatoris non secundum sonum verborum, sed secundum intentionem illius.*
6. *Testator quod fecisset, si viveret, etiam Hæres facere potest.*
7. *Lex non verbis, sed voluntati favet Testatorum.*
8. *Voluntatem Testatoris, non autem verba scrutari oportet.*
9. *Verba Testatoris improprianda, ut ejus mens impleatur.*
10. *Livellus alius activus, alius passivus.*
11. *Livellus prædialis est utilior, quàm simplex locatio.*

12. *Actus*

12. *Actus favorabilis menti Testatoris est sustinendus.*
13. *Bona stabilia relicta Ecclesiis de Jure Veneto alienantur.*
14. *Alienatio à Lege ordinata non comprehenditur in prohibitione Testatoris.*
15. *Livelli passivi fieri non possunt super bonis Ecclesiarum sine licentia etiam Ser. Dom. Venetiarum.*
16. *Missarum onera ubi veniunt, requiritur licentia Episcopi.*

CAsus factus, non fictus paucis abhinc annis talis est. N. N. Pius Testator reliquit tres campos cum Domo Dominicali ex muro
1 affabrè per illum super eis constructa in quadam Villula Territorii Patavini RR. Monialibus N. N. in quarum Ecclesia suam habebat sepulturam, cum onere locandi eosdem campos, ac domum, & ex annua pensione ipsorum celebrare faciendi pro anima ejusdem Testatoris tot Missas, quot juxta consuetam eleemosynam comportaret ipsamet annua pensio, & prohibuit per expressum iisdem Monialibus legatariis, ne prædictos tres campos, ac domum *alienarent, hypothecarent, vel livellarent*; ad hoc, ut semper remaneant pro fundamento, & dote suæ Capellaniæ. Defuncto Testatore, & possessione fundi legati per Moniales apprehensa, contigit, ut nemo reperiretur, qui vellet agros illos, ac domum conducere, quamvis honesta pensione, quia campi tres parvum fructum reddebant, domus verò tanquàm dominicalis requirebat non modicum affectum, ad quem solvendum, & ad quam inhabitandam, utpotè constitutam in Villula paupere, incommoda, à solis rusticis frequentata, nemo ex civibus opes habens se offerebat. Post multum spatium temporis, quo domus illa inaffectata stetit, & post multas diligentias, comparuit Sacerdos quidam, dicens, se accepturum eandem domum, & agros, non ad simplicem locationem, sed ad Livellum pro annua pensione Ducatorum triginta, juxta summam à peritis æstimatam. Moniales, exposito supradicto legato Curiæ Episcopali, obtinuerunt ab ea licentiam dandi ad Livellum prædictos tres campos ac domum in perpetuum pro antedicta pensione Ducatorum triginta eidem Sacerdoti, cum quo subindè Instrumentum perpetui Livelli celebrarunt. Post biennium obiit Sacerdos ille, cujus hæredes nolentes onus antenominati Livelli sustinere, citare fecerunt Moniales coram Judice, & petierunt declarari nullum Livellum ipsum, cassari, ac rescindi Instrumentum ejusdem Livellarii contractus tanquam initi contra expressam prohi-
2 bitionem Testatoris. Quapropter fuit acriter disputatum, an sustinendus esset Livellus? hæredesque Livellarii jam mortui obligandi essent continuare in illo, & promissam pensionem annuam Ducatorum triginta solvere? Nec ne?

Ego de hac controversia consultus respondi ad favorem RR. Monialium, & dixi, eas potuisse de jure dare ad Livellum prædictam domum, & agros, instrumenrumque super ipso Livello celebratum esse validum, ac irretractabile, & illud observandum fore ab hæredibus Livellarii prædefuncti ex rationibus sequentibus.

Primò, quia ante constitutionem dicti Livelli domus illa dominicalis in antedicta Villa fabricata erat fundus sterilis; cum enim non haberet apud se amplam possessionem terrarum, magnumvè numerum camporum, difficile, imò impossibile erat reperire occasionem illam locandi, ut experientia docuit; certum est autem apud jurisperitos tàm theoriam, quàm praxin 3
forensem profitentes, quod fundus sterilis possit alienari, non obstante expressa prohibitione Testatoris; ut docet Castrensis *in Auth. Res quæ. num.* 6. *ff. ad Trebellian.* Fusarius *de Substit. quæst.* 734. *num.* 5. Farinacius *in Repert. Ultimar. Volunt. quæst.* 1. Peregrinus Eques Patavinus *de Fideicom. art.* 40. Philippus Portius *cons.* 38. *à num.* 20. *& seqq.* Honded. *vol.* 1. *cons.* 58. *num* 32. Et Rota coram Eminent. Othobono [qui ad Cathedram Petri elevatus, nominavit se Alexandrum VIII.] *in Decis.* 210. Attenta itaque sterilitate, & inutilitate prædictæ domus, quam locare Moniales non poterant, & quæ vacua, & illocata remanebat, ritè, ac rectè potuerunt eam dare ad Livellum.

Secundò, quia in dispositionibus testamentariis attendendum magis est ad intimam intentionem, ac voluntatem Testatoris, quàm ad extrinsecum sensum verborum ejusdem. Rota *part.* 7. *recent. decis.* 93. Honded. *d. vol.* 1. *cons.* 58. *num.* 15. & Cardin. Mantica *de Conjectur. ult. volunt. lib.* 3. *tit.* 3. *num.* 9. Modò voluntas intima, & enixa antedicti pii Testatoris fuit, ut sibi celebrarentur Missæ pro suffragio animæ suæ à Capellano percepturo fructus, ac pensiones annuas illorum trium agrorum, domusque dominicalis; quam voluntatem exequi, adimplerevè non valebant RR. Moniales legatariæ, ex deficientia conductorum, quorum nullus reperiebatur, qui eandem domum conducere vellet, aut tenere ad affectum, simplicemvè locationem. Igitur pro exequenda voluntate ejusdem Testatoris opus fuit dare ad Livellum eandem domum, & agros, reperto illo & illos Sacerdote, qui ad Livellum erat paratus illam recipere, & hoc non obstante extrinseca prohibitione resultante ex verbis ejusdem Testatoris, quæ quidem verba extrinseca cedere debent juxta supracitatos Doctores, ac Rotam Romanam, intimæ, ac enixæ voluntati ipsius. 4

Tertiò, quia axioma legale est, quod Judex debeat interpretari voluntatem Testatoris non à significatu, vel sensu verborum, sed à proposito, & intentione, quam habuit ipse Testator in disponendo de rebus suis, quando fecit Testamentum. *l. In fraudem. §.* 1. *ff. De Milit. Testam.* Cardin. Mantica *dict. lib.* 3. *tit.* 1, *num.* 30. Sed propositum, & intentio nostri Testatoris fuit, ut erigeretur Capellania ex pensionibus ejusdem domi, & trium agrorum dotanda pro habendo suffragio Missarum, ut dictum est supra. Igitur quamvis prohibuerit dare ad Livellum dictam domum, ne ejus propositum ac intentio habendi Missas destruatur, eadem prohibitio non est attenta. 5

Quartò, ulteriùs docent omnes Jurisperiti, quod, ubi dubitare contingit circa ea quæ ordinata sunt à Testatore, eligendum, & faciendum sit id, quod faceret ipse Testator, si in humanis esset, & suam voluntatem cuperet ad executionem deducere. *l.* 3. *ff. de Milit. Testam.* Afflict. *decision.* 44. *num.* 25. Calcaneus *cons.* 103. *num.* 2. Modò si Testator, de quo in præsenti casu, vivus esset, & vellet Missas sibi celebrare facere ex reditibus ejusdem domus, & trium agro- 6

rum, nullumque inveniret, qui eos, & illam ad simplicem locationem acciperet, sed unum haberet obvium, qui ad Livellum dictam domum, & agros acceptaret, utique huic daret titulo Livelli dicta stabilia. Ergo judicandum venit, hoc idem esse faciendum à Monialibus legatariis post mortem ejusdem Testatoris.

7 Quintò confirmatur hæc doctrina pluribus aliis Jurisprudentiæ regulis; videlicèt: *Lex non verbis, sed voluntati favet defunctorum. l. 2. C. Commun. de Legatis.* Item: *Diligenter cavendum, ne dum nimia utimur verborum subtilitate, vera judicia defunctorum non subvertantur. §. Nostra. Instit. de le-*
8 *gat.* Prout etiam: *Non propriam verborum significationem oportet scrutari; sed quid Testator senserit, & demonstrare, seu significare voluerit. l. Quoniam indignum. C. de Testam.* Quibus regulis inhærendum est in præsenti casu; in quo Testatoris voluntas fuit dotare Capellaniam ex affictu, seu Pensionibus prædictorum agrorum, ac domus, & ideò si subtiliter ejus verba volumus perscrutari, quibus vetuit *Alienare, hypothecare, aut Livellare* eosdem agros, & domum, cum nemo sit, qui velit eam, & illos conducere titulo simplicis locationis, subvertetur Testatoris judicium, & ejus voluntas penitùs destruetur; nam cessante locatione, & deficiente affictu, deficit Capellania, & cessant suffragia Missarum. Econtra permanente Livello constituto, & creato ab iisdem Monialibus, sustinetur Capellania, ejus dos exigitur, Missæ celebrantur, & judicium, ac voluntas Testatoris fortitur adimplementum. Igitur omisso, ac neglecto verborum sono, ad judicium, & voluntatem ejusdem Testatoris mens est dirigenda; & pro validitate Livelli est pronunciandum; ut differit Cardin. Mantica *eod. tract. de Conject. Ultim. Vol. d. lib. 3. tit. 3.* per totum.

9 Sextò, sed fortiùs argui potest pro sustentatione Livelli prædicti ex eo, quia pro adimplenda testatoris voluntate, ejus verba lato modo sunt intelligenda, & interpretanda, & quatenùs opus est, etiam in sensu improprio sumenda. Idem Mantica *dict. lib. 3. tit. 5. num. 4. & 5.* ubi DD. cumulat. Modò prohibitio, quæ legitur facta per Testatorem, quod agri, & domus prædicta non alienentur, neque hypothecentur, neque allivellentur, quoad illud verbum [*Non allivellentur*] dupliciter intelligi potest, prout duplicem habet sensum. *Unus* est, quod non dentur ad Livellum, *alter* quod super iisdem non recipiatur pecunia ad Livellum; ita ut primo modo possit intelligi de Livello activo, fundiario, & prædiali, secundo modo de
10 Livello passivo, & ut dicebat Manentus, de quo in *Decis. LXX. num. 2* de Livello pecuniario. Igitur verba testatoris prohibentia allivellare agros, & domum suam restringenda sunt ad Livellum pecuniarium, seu passivum, ita ut prohibuerit, ne ullo unquam tempore à Monialibus darentur ad Livellum recipiendo pecuniam super ipsis cum obligatione solvendi domino directario Livellum, videlicèt annuas Livellarias pensiones, & Jure quidem; nam Livellare hoc modo agros, & domum, est eos alienare, dum eorum fructus, ac reditus annui exigentur non amplius à Monialibus, sed à tertio domino, neque expendentur pro celebratione Missarum, sed convertentur in commodum, & lucrum Livellantis. Econtra si verba testatoris intelligantur primo modo, nullum præjudicium resultat ejus dispositioni, aut voluntati; nam dare agros illos, ac domum ad Livellum fundiarium idem est ac dare illos ad locationem; cum pensio annua sit in æquali summa tàm in locatione, quàm in Livello; imò cum majori emolumento, & securitate Dotis 11
ordinatæ capellaniæ, quia onus publicarum gravedinum, & periculum tempestatum, aliorumvè infortuniorum transeunt in Livellarium, qui recipit eosdem campos, ac domum ad Livellum. Igitur improprianda sunt verba testatoris circa hunc primum modum Livellandi, & dicendum est, ea esse intelligenda tantùm de secundo modo, id est de Livello passivo, ut bene considerat Rota Lucensis *decis. 64. p. 1.* & Farinacius *in Repert. Ult. Volum. quæst. 1. num. 55.* & per consequens cum RR. Moniales abstinuerint à secundo modo Livellandi, sed primum modum practicaverint ex necessitate, ne vacua domus staret, pensionem non reddens, & non possent Missæ pro anima testatoris celebrari; hunc inquam primum Livellandi modum in prohibitione testatoris non esse comprehensum judicandum est, neque de eo ipsum locutum fuisse, quando dixerit, quod prohiberet agros illos ac domum Livellare.

Septimò: tantò minùs, quia ut dictum est, ex hac factura Livelli activi nullum præjudicium resultat voluntati testatoris, cum pensio sit ejusdem quantitatis, quam Moniales exegissent ex simplici locatione, & præter onera publicarum gravedinum, ac infortuniorum translata in Livellarium, liberata est capellania ab obligatione servandi illam domum sartam, & tectam; ad quem effectum annuatim opus fuisset expendere partem pensionis cum diminutione numeri Missarum. Quapropter cum Li- 12
vellus prædictus fuerit in beneficium, & utilitatem testatoris, venit omninò approbandus, ac manutenendus. Fusarius *quæst. 734. à num. 1. & seqq.* ubi quod gesta in favorem testatoris, etiamsi ab eo prohibita, sustineantur.

Octavò: Quia circumscriptis etiam tot, ac talibus rationibus hucusque adductis, Moniales alienarunt eosdem agros, & domum titulo Livelli perpetui pro debita executione Legis Sereniss. Reipublicæ Venetæ *die 2. Martii* 13
1605. Certum est autem apud omnes in foro versantes, quod prohibitio alienandi facta per testatorem non comprehendat alienationem à lege præceptam, & quæ fit pro ejusdem legis obedientia, ut latè probat Bartolus *in l. Cum* 14
pater. §. Cum inter, ff. de legat. 2. & Peregrinus Eques Patavinus *tom. 4. cons. 98. num. 7.*

Neque obstat objectum, quod faciunt præfati hæredes Livellarii defuncti, quod pro dandis ad Livellum iisdem agris, & domo Moniales non obtinuerint licentiam à Principe Laico, prout opus esse videbatur juxta diversa Decreta Excellentissimi Senatus Veneti, potissimùm *diei 27. Junii 1620. diei 20. Septembris 1627.* & *diei 20. Aprilis 1657.* Nam respondetur pri- 15
mò, eadem decreta loqui de Livellis passivis,

qui

qui constituuntur super bonis Ecclesiarum, recepta pecunia ab eorum administratoribus; & hujusmodi non est Livellus, de quo disputatur; cum sit prædialis, non pecuniarius, ut dictum jam fuit. Respondetur secundò, alienationem factam à Monialibus prævia datione in Livellum perpetuum dictæ domus, & agrorum, esse alienationem necessariam pro executione legum Serenissimi Domini, ut dictum est supra, & circa talem alienationem non est opus alio decreto, ut benè advertit idem Peregrinus *in tr. de Fideicommiss. art.* 40. *num.* 23. *&* 24. Obtinuerunt quidem ipsæ Moniales licentiam à Curia Episcopali dandi ad Livellum eosdem agros, & domum ad majorem cautelam, attento quod reditus annui eorundem deputati sint à testatore pro celebratione Missarum; quarum intuitu sa-
16 tis est decretum Episcopi ad tradita per Loterium *lib.* 2. *quæst.* 47. *num.* 69. *&* 70. Sed ad Magistratum Laicum non erat necessarius recursus.

Quare disputata causa, & supradictis rationibus per Judicem intellectis, confirmatus fuit Livellus, & obligati hæredes prædicti ad ejus perennem solutionem.

DECISIO LXXV.

ARGUMENTUM.

De Livellis debitis cuidam Moniali, decursis, & non solutis in magna quantitate, potest ipsa Monialis de licentia Abbatissæ compositionem facere super iisdem cum suis parentibus egenis, illis aliquam portionem crediti decursi relaxando, condonando, ac remittendo.

SUMMARIUM.

1. *Fœminæ secundum Platonem sunt aliud genus hominum.*
2. *Moniales de licentia Abbatissæ relaxare possunt consanguineis suis aliquam portionem Livellorum decursorum.*
3. *Moniales de licentia Abbatissæ possunt eleemosynam facere.*
4. *Consanguinei pauperes Monialium ab eis adjuvari possunt.*
5. *Telemachi olla, proverbium quid significet?*
6. *Abbatissa sibi ipsi licentiam donandi aliquid potest tribuere.*
7. *Paupertas qualiter consideranda in personis nobilibus?*
8. *Bulla Clem. VIII. prohibet Religiosis largitiones munerum.*
9. *Eleemosynas facere non prohibet Religiosis Bulla Clem. VIII.*
10. *Munera ex motivo virtutis, & meriti Regulares possunt largiri.*
11. *Relaxare aliquam portionem debiti, an sit præjudiciale Monasterio?*
12. *Licentiam concedere Monialibus, ut eleemosynas faciant, expedit valdè.*
13. *Monasterium exigit jure spolii Livellos decursos Monialium defunctarum.*
14. *Monasteriorum difficultas in exigendis Livellis Monialium defunctarum.*

EX generali consuetudine Monachis, ac Monialibus, antequam hæ, & illi profiteantur in Religione, eorum genitores assignant annuum Livellum vitalitium, exigendum ex fructibus bonorum paternorum, ac de licentia Abbatis, & Abbatissæ respectivè in rebus necessariis iisdem Religiosis utriusque sexus expendendum. Sæpè accidit, ut genitoribus eorum defunctis, fratres, aliivè hæredes deficiant in solutione prædictorum Livellorum sub diversis prætextibus vel infortuniorum, vel paupertatis, verius tamen ex defectu charitatis, pro nihilo habentes Moniales consanguineas suas, quasi existiment verum, quod dicebat Plato *lib.* 6. *de legib. Fœminas esse aliud genus hominum, & differens à nobis.* Contigit in facto nonnullis 1
abhinc annis, quod duæ Moniales nobili ex familia progenitæ creditrices essent à suis germanis fratribus ducatorum mille pro suis Livellis vitalitiis decursis, & non solutis. Allegabant ipsi germani fratres suam paupertatem & impossibilitatem solvendi hanc totam summam; sed offerebant sororibus Monialibus se eis satisfacturos, si ex benignitate, ac liberalitate vellent ipsis quartam, aut saltem quintam partem totius debiti condonare, ac relaxare. Requisitus fui, an prædictæ Moniales possent tuta conscientia eandem condonationem, ac relaxationem facere? Et respondi affirmativè, si accedat licentia Abbatissæ ex rationibus sequentibus. 2

Primò, quia Abbatissa potest concedere facultatem Monialibus, ut ex eorum Livellis vitalitiis valeant eleemosynam facere, egenis succurrere, & eosdem Livellos in pios usus juxta 3
earum beneplacitum insumere. Ita testantur omnes Theologi Morales, & in specie Sanchez *in Decal. lib.* 7. *cap.* 19. *num.* 44. *&* *num.* 104. Bordonus *de Paupertate Relig. cap.* 20. *num.* 33. *&* 35. Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatissar. disput.* 9. *quæst.* 3. *num.* 23. Donatus *de Regularib. tom.* 4. *tract.* 15. *quæst.* 36. Beja *de Casib. Conscient. part.* 4. *cas.* 32. Et Diana Coordinatus *tom.* 7. *tractat.* 3. *resol* 51. alios plures DD. congerens, qui omnes ulteriùs concedunt, posse Moniales ê sola licentia Abbatissæ impendendi earum Livellos in rebus utilibus, ac virtuosis, suffragari egenis earum parentibus, seu consanguineis relaxando, 4
ac condonando iisdem aliquam portionem Livellorum decursorum, & non solutorum. At in casu proposito germani fratres prædictarum duarum nobilium Monialium angustantur paupertate; non est enim novum, quod in quibusdam nobilium domibus verificetur proverbium illud, *Telemachi olla*, de quo Polyanthæa *in* 5
Verb. Paupertas, & quod multi ex sanguine nobili fiant similes Michaeli Palæologo, qui regno potitus tres tantùm aureos domi habuit, vel Ladislao Secundo Regi Ungariæ, qui in eas angustias rei familiaris venerat, ut interdum, mensæ quod apponeretur, vix habuerit. Igitur prædictæ Moniales poterunt titulo eleemosynæ, ac pietatis quartam, aut quintam partem summæ sibi debitæ ob Livellos decursos iisdem germanis fratribus relaxare. Quod si una ex iisdem Monialibus esset Abbatissa, sibi ipsi posset eandem licentiam tribuere, ita ut propria autoritate licitum ei foret, eandem relaxationem facere; ut in puncto scribunt idem Sanchez *dict. cap.* 9. *num.* 26. & Bordonus *in eod. tractat cap.* 17. *à num.* 60. *&* *seqq. usque ad num.* 79. 6

Secundò, quia inter alios pauperes, quibus Moniales possunt facere eleemosynam de suis Livellis vitalitiis, Abbatissa permittente, primum

mum locum obtinent earum parentes nobiles,
7 si in egestate reperiantur; quæ quidem egestas consideranda est non in solo victu, & vestitu, sed habito respectu ad decentiam eorum status, ac familiæ; ut benè observat Jo. Valerus *de Differ. utriusque fori. Verb. Munera num.* 90. cujus hæc sunt verba: *Munera tribui possunt intuitu eleemosynæ, & pro sublevandis veris Christi pauperibus: nomine autem pauperum intellige non solùm egenos, qui ostiatim petunt eleemosynas, nec solùm eos, qui indigent necessariis ad vitam servandam, quales sunt omnes, qui labore manuum suarum sustentantur, & alii non habentes sufficientes reditus, aut pecunias, unde possint se, ac familias suas sustentare, sed etiam eos, qui licèt habeant necessaria ad vitam, non tamen ad se decenter pro sua qualitate, & convenientia sui status sustentandum, quales sunt quamplures Nobiles, Domicelli, & ingenui.* Et pro confirmatione hujus doctrinæ allegat textum *in cap. Considerandæ. & in cap. Probandæ. 86. dist.* quam etiam tradiderant Cajetanus *in 2. 2. quæst. 43. art. 3.* Bart. *in l. 1. num. 36. C. de Sacrosanct. Eccl.* Navarrus *de Redit. Eccles. quæst. 1. num. 3.* & in Manuali *cap. 17. num. 93.* Ergo antedictæ Moniales suffragari poterunt suis germanis fratribus prævia condonatione alicujus summæ suorum Livellorum, ut reliquum crediti sibi solvant, etsi iidem germani fratres non sint egeni quoad victum, & vestitum, sed quoad convenientiam sui status, ac familiæ, quæ plura sentit onera, ac majores patitur expensas, ut cum decore sustineatur, ut etiam admittit Tamburin. *de Jure Abbatissar. dict. disput. 9. quæst. 3. num.* 24.

8 Nec officit, si quis objiciat, per Bullam Clementis VIII. de largitione munerum de anno 1594. *Incipien. Religiosæ Congregationes,* [quæ in Bullario Romano est *tom. 3. Constit. 28.* & quam per extensum ponit Donatus *de Regular. tom. 1. tract. 15. in princ.*] prohibitum esse Regularibus utriusque sexus donationes facere, mittere munera, aut aliquid largiri secularibus quamvis suis parentibus, sivè consanguineis. Quoniam respondetur, per prædictam Bullam prohibentem largitiones munerum, non esse prohibitas
9 eleemosynas, quæ dantur ad sublevandas egentium necessitates, ut advertit Bonacina in explicatione ejusdem Bullæ, *in tom. 1. disput. 3. punct. 1. num.* 11. Imò in declarationibus factis circa eandem Bullam à Sacra Congregatione, & confirmatis per Urbanum VIII. in alia sua Bulla *diei* 16. *Octobris* 1640. Incipien. *Nuper à Congregatione,* [quam per extensum ponit Donatus *de Regularib. tom. 1. tract. 15.* statim post d. Bullam
10 Clementinam] concessum est Regularibus utriusque Sexus, dare munera *ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel conventum, aliisvè causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen, ac discretè, & de Superiorum localium licentia.* Idcircò cum sit actus virtutis, & meritorius sublevare nobiles pauperes, qui respectu conveni-
3 entiæ sui status dicuntur pati egestatem, quales sunt germani fratres prædictarum Monialium, iisdem non censetur prohibitum per Bullam Clementis VIII. gratiam facere, & aliquam portionem sui crediti remittere, ac condonare, ut reliquum sibi promptè, ac benevolè solvant, quod admittit sub titulo eleemosynæ idem Donatus *dict. tractat. 15. quæst. 9.* ita scribens *num.* 2. *Hinc Religiosi, de licentia tamen suorum Superiorum, poterunt erogare eleemosynaliter id, quod superest, vel detrahendo sibi aliquid de victu, ac pauperibus dare; & multò magis si pauperes essent consanguinei nobiles, aut senes.* Et hoc idem docent, & concedunt Grassius *consil. 1. de Regularib. num. 26.* Riccius *in Praxi part. 2. resolut. 25.* Lezana *in Summa part. 3. Verb. Dare num.* 12. Peyrinus *de Religioso subdito tom. 1. quæst. 2. cap. 2. §. 6.* & Diana *part. 1. tract. 6. resolut. 19.* quæ posita est in Coordinato *tom. 7. tract. 3. resolut. 29.*

Multò minùs obesse potest, quod prædictæ 11
Moniales condonando aliquam portionem sui crediti, & relaxando certam summam Livellorum decursorum parentibus suis faciant præjudicium Religioni, & damnificent Monasterium. Quia id negatur; veritas enim est, quod eædem Moniales tantummodò sibi ipsis præjudicent, privando seipsas commodo illius pecuniæ, quam exigere non possunt, & suis consanguineis relaxant; Monasterium verò, aut Religio nullum damnum sentit, quia si exacta fuisset, etiam ad earum arbitrium, & in ipsarum commodum, prædictæ Moniales eam impedissent, ut benè considerat Diana *in d. resolut. 29. tom. 7. tract. 3.* & Beja *p. 4 casu* 32. ubi cum dixisset, quod, si Moniales possunt suos Livellos vitalitios consumere in usum corporis, multò magis eos expendere valeant in beneficium animæ, illos relaxando titulo eleemosynæ; postea subdit: *Et Prælatus voluntate justa, & rationabili debet velle potiùs, quod Religiosus sic concessa ad* 12
suos usus expendat, sobriè, abstinenter, & parcè vivendo, quàm quod ea lautè, & opiparè comedendo, & potando, seque, ac cellam suam curiosè nimis ornando, consumat Et idem docet Navarrus *Comment. 3. de Regular. num. 30. Et de Reditib. Eccles. quæst. 1. Monit. 33. num. 2.*

Neque insistat aliquis addendo, & dicendo, quod imò relaxatio, & condonatio alicujus por- 13
tionis Livellorum decursorum à Moniali creditrice facta præjudicet Monasterio, quia ea defuncta Monasterium ipsum integrum creditum exiget, jure spolii, à parentibus debitoribus ejusdem Monialis. Nam iterum respondeo, hanc rationem esse metaphysicam, & merè speculativam, quæ rarò, aut nunquam in praxi fortitur effectum. Scio, noluisse quandam Abbatissam durioris intellectus ab inexperto, & tenacis opinionis Vicario consultam dare licentiam Monialis se componendi cum suo consanguineo debitore Livellorum decursorum, relaxando eorum quintam partem & alias quatuor brevi tempore recipiendo. Paulò post obiit Monialis, Monasterium intentavit coram Judice contra eundem debitorem totius summæ solutionem. Debitor ipse excipiendo opposuit plura fideicommissa transversalia, primogenituras, dotem uxoris suæ, cum quibus omnia ejus bona cooperuit, & in tuto posuit, adeò ut Monasterium non paucam pecuniam projecerit in Advocatos, Procuratores, ac Notarios, & tandem
14 nihil obtinere potuerit à fratre defunctæ Monialis, & tunc cognovit Abbatissa duri capitis, pessimum consilium fuisse, recusare quatuor partes Livellorum decursorum, quas debitor offerebat Sorori suæ viventi, si quinta pars ei condonaretur; quapropter in similibus casibus expedit, & semper utile erit, remittere, condonare, ac relaxare aliquam portionem consanguineis egestate pressis, si reliquum debiti solvere

vere sint parati; ut benè considerat, & laudat etiam Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatissar. dict. disput. 9. quæst. 3. num. 24.*

DECISIO LXXVI.

ARGUMENTUM.

Declaratur Quid, & Quotuplex sit Cambium? Quibus titulis cohonestetur lucrum in Cambiis? Quæ, & quot conditiones sint in eis servandæ, ne committatur Anatocismus?

SUMMARIUM.

1. *Cambii definitio.*
2. *Permutatio tripliciter fieri solet. Et quomodo?*
3. *Pecuniæ usus duplex, & qualis?*
4. *Cambium quomodo differat à Venditione, & à Mutuo?*
5. *Campsores, & Campsarii qui dicantur?*
6. *Pecunia quo anno cœpit esse expendibilis?*
7. *Abraham pecuniam obtulit pro emenda terra ad sepeliendam Saram.*
8. *Cambium dividitur in Siccum, & Reale. Quid sit Siccum?*
9. *Cambium Siccum cur sic appellatum?*
10. *Cambia Sicca damnantur Bullis Pii IV. & S. Pii V.*
11. *Cambium reale quadruplicis generis. Et quodnam Cabium minutum?*
12. *Cambium per Literas qualiter fiat?*
13. *Cambium ad nundinas quodnam sit?*
14. *Cambio in minuto quo titulo recipiatur lucrum?*
15. *Famulus cambiendo pecuniam Domini sibi datam ad expendendum, an possit aliquid lucrari sibi?*
16. *Cambia per literas quibus titulis reddant lucrum?*
17. *Cambiorum ad nundinas lucrum quomodo justificetur?*
18. *Cambiis in maritimis quo titulo recipiatur lucrum à Campsore?*
19. *Conditiones necessariò servandæ in Cambiis minutis, & per literas.*
20. *P. Joannes Tubba Servita acriter reprehensus à Capuccino Concionatore circa literas civicas usurarias.*
21. *Tolerantia Superiorum non facit Usuram licitam.*
22. *Leges Pontificiæ non abrogantur ex non usu.*
23. *Literæ ad nundinas realiter transmittendæ, & exequendæ.*
24. *Campsor an certus esse debeat, quod Campsarius negotietur in nundinis?*
25. *Lucrum in Cambiis ad nundinas non est determinandum ab initio.*
26. *Cambia non nisi ad proximas primas nundinas facienda.*
27. *Loca propinqua, vel distantia nundinarum minuunt, vel augent lucrum in Cambiis.*
28. *Interpellatio judicialis necessaria pro interesse consequendo in Cambiis.*
29. *Cambiorum materia satis est involuta, neque Theologis benè cognita.*
30. *Anatocismus quid sit?*
31. *Cambiis in minutis quando committatur Usura?*

QUoniam in cambiis, & prætextu cambiorum frequenter, ne dicam jugiter, committuntur Usuræ, ideò ad complementum harum Decisionum de Usuris, & ad perfectam Usurarum notitiam, quam Confessarios, animarumque Rectores habere decet, restat, ut summatim videamus.

1. *Quid sit Cambium, & undè sic dicatur?*
2. *Quotuplex sit Cambium?*
3. *Quibus titulis Cambium sit licitum?*
4. *Quibus conditionibus debeat esse vallatum?*

Quoad Primum. Omnes Theologi communiter definiunt contractum cambii, quod sit *Permutatio unius pecuniæ cum altera.* Tamburin. *de Triplici Jure lib. 9. tract. 3. cap. 1. num. 1.* Collegium Salmantic. in Cursu Theolog. Moral. *tom. 3. tract. 14. cap. 4. punct. 1.* & Mastrius in Theolog. Moral. *disput. 5. num. 116.* dicitur autem Cambium *à cambiare*, quod est nihil aliud nisi rem cum re permutare, ut observat Tiraquellus *de Retract. lib. 1. cap. 30. in princip.* qui quidem juxta doctrinam Aristotelis 1. *Physic. cap. 6.* notat, quod tripliciter fieri possit permutatio, videlicèt rei cum re, ut si dem tibi vinum pro frumento; pecuniæ cum re, ut si dem tibi aurum pro vino, & pecuniæ cum pecunia, ut si dem tibi pecuniam auream pro pecunia argentea, vel æreа. Primo modo est contractus permutationis. Secundo modo emptionis, & venditionis. Tertio modo Cambii. Tamburinus *d. cap. 1. num. 1.* Colleg. Salmantic. & Mastrius *ubi supra*, qui ex hac definitione tria colligunt. *Unum*, quod duplex sit usus pecuniæ: Primarius, ac principalis, ut sit aliarum rerum pretium, & Secundarius, seu minùs principalis, ut ipsamet pecunia possit permutari, emi, vendi, & commodari; ratioque hujus secundarii usus est, quia aurum, & argentum non relinquunt naturam suam, suamque æstimabilitatem materiæ, ex eo quod per consensionem gentium sint instituta in pretium aliarum rerum, quod benè notavit Sanctus Thomas 2. 2. *quæst. 78. art. 1.* & de Regimine Principum *cap. 14.* & Aristoteles ubi ante. *Alterum* est, quod Cambium differat tùm à venditione & emptione, in qua pretium est diversum à merce, in Cambio autem idem est pretium cum merce; tùm à mutuo, quod potest esse in omni materia consumptibili, tritico, vino, oleo, & similibus, at Cambium in sola pecunia esse potest: Quod si dicas, etiam mutuum fit, & esse potest, imò ut plurimùm concipitur cum pecunia; nihilominùs differt à Cambio, quia illud dat pecuniam restituendam post dilationem temporis, & in eodem loco; istud autem solet fieri dando pecuniam pro pecunia præsenti, vel in alio loco solvenda, ut dicemus infra. *Tertium* est, quod qui dat pecuniam ad Cambium, vocetur Campsor, ille verò, qui pecunia indiget, & eam ad cambium recipit, dicatur Campsarius ad similitudinem aliorum aliquod donum, legatum, vel beneficium recipientium, qui vocantur donatarii, legatarii, beneficiarii. Quod si petat curiosus Lector, quo anno, & quo autore pecunia facta sit pro aliis rebus emendis? legat Plinium *lib. 33. cap. 3.* qui Romanos facit pecuniæ auctores, Isidorumque, Epiphanium, & Cedrenum, quos refert Salianus *ad Annum Mundi* 3343. volentes nummos dictos esse à Numa, qui prior illos cudit: at certum est, quod tempore Abrahami, *qui Anno Mundi* 2039. natus est, pecunia fuerit in usu; cum enim Sara ejus uxor esset defuncta, rogare fecit Ephron filium Seor, ut daret ei terram ad

construendum sepulchrum, & obtulit pecuniam pro pretio dicens: *Pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri. Genes.* 23. 9. Igitur multò ante Imperium Romanum pecunia erat in usu, id est tempore Abrahami.

8 Quoad secundum. Cambium dividitur à Doctoribus concorditer in duas species, nempè in Siccum, & in Reale. Cambium Siccum est illud, in quo fingitur commutari pecunia cum alia, vel alibi solvenda, sed verè, ac propriè datur pecunia ad mutuum cum Usuris; & tunc fit, quando quis eam petit, & recipit à bancherio, seu Campsore titulo cambii, promittens lucrum, quod in nundinis futuris ab aliis solvetur, quasi sit eam ad nundinas delaturus, & ibi eam restituturus cum lucro taxando in nundinis ipsis, sed eam domi suæ expendit in propriis necessitatibus, & donec eam restituat, solvit usuras cum campsore conventas; quod quidem Cambium Siccum est contractus Usurarius, & damnatus apud omnes Theologos; vocatur enim Siccum, tanquam sterile, & carens humore justi tituli, ad afferendum lucrum, ut ait Molina *de Justit. & Jure disput.* 398. *num.* 6. Lessius *eod. tract. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 5. & passim omnes; nisi potiùs dicere velimus, vocari Siccum, quia illud exercentes apti sunt comburi in igne æterno, juxta illud, quod Salvator dixit mulieribus deplorantibus ejus Passionem: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Luc.* 23. 31. quibus verbis Tirinus *ibidem* ait, significari peccatores impœnitentes, quales sunt Campsores Usurarii, æternis flammis tanquâm arida ligna 10 mancipatos. Contra hæc cambia Sicca extant duæ Pontificiæ Constitutiones illa damnantes, & gravibus pœnis eorum exercitores puntentes: Una Pii IV. *incipien. Cum Sicut.* Alia S. Pii Quinti. *In eam* 118. quas utinam humana malitia non eluderet, præcipuè dum Campsores fingunt ignorantiam intentionis Campsarii petentis pecuniam pro suis necessitatibus ad mutuum, quamvis asserat, eam ad nundinas se delaturum, & in nundinis restituturum, & exindè lucrum soluturum, ut pluribus in casibus demonstrat Eminent. Cardin. de Luca *de Cambiis disc.* 1. *& seqq.*

11 Cambium reale, & verum subdividitur in quatuor classes. Prima est, quæ continet cambia minuta, id est quando mutatur pecunia major cum minori, pulchra cum deformi, nova cum veteri, vetita cum legitima, usualis in hac civitate cum usuali in alia civitate, & tale cambium vocatur purum, simplex, ac manuale, quia fit de manu ad manum. Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 23. *punct.* 1. Tamburinus *d. lib.* 9. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. Mastrius *d. disput.* 5. *num.* 117. & Salmanticenses *dict. tract.* 14. *cap.* 4. *punct.* 1. 12 *num.* 2. Secunda classis Cambii continet cambia per literas, quæ vocantur etiam cambia localia & fiunt, quando præsens pecunia commutatur cum absente; & quia in his dantur literæ, vocantur cambia per literas & sunt in usu tùm apud mercatores, tùm apud Ecclesiasticos, qui soluturi Romæ vel Pensiones, vel expeditionem Bullarum, consignant hic Patavii, vel Venetiis pecuniam; quàm Campsores faciunt Romæ exbursari absque alio incommodo debitoris. Tertia classis comprehendit cambia, quæ dicuntur 13 ad nundinas; quæ quidem talia dicuntur, quia pecunia, quam Campsor exbursat Campsario, est eidem Campsori restituenda in nundinis, de quibus partes convenerunt cum lucro, quod nundinarum tempore taxabitur, quæ quidem pecunia ut plurimùm non restituitur realiter in ipsis, sed mediante recambio, quod est majoris summæ, ob inclusum illud lucrum in eo, & vocatur etiam cambium cum recambio, & cambium cum recursa; de quo latè agunt Lessius *d. lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 6. Navar. *in Manuali cap.* 17. *num.* 300. Tamburin. *d. tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 4. *& cap.* 5. *§.* 1. *per totum.* Eminent. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. disput.* 38. *sect.* 3. Mastrius *d. disput.* 5. *num.* 123. & Eminent. Cardin. de Luca *de Cambiis disc.* 3. *num.* 8. Quarta classis continet cambia maritima, quæ contrahuntur per quandam speciem societatis, quod scilicet super navi piscatoria, vel piratica, seu etiam mercatili ineatur societas, in qua unus ponit pecuniam, & alter navim, & industriam vel sub mutuo periculo: Cardin. de Luca *de Credito disc.* 3. *num.* 8. vel cum assecuratione inter ipsosmet principales contrahentes. d. de Luca *de Usuris disc* 3. *num.* 3. vide infrà *Decis. LXXVIII.*

Quoad Tertium: Ut intelligat studiosus Lector, quibus titulis licita sint cambia cum aliquo lucro, & emolumento? differendum est summatim de singulis quatuor cambiorum realium speciebus. Igitur in cambio minuto, sivè exerceatur à ministro publico, sivè à persona privata justi tituli pro lucro recipiendo hi sunt. 14 *Primus* obsequium, quod Campsor præstat Campsario, ei ministrans pecuniam desideratam. *Secundus* est labor, quem patitur Campsor numerando, ac renumerando pecuniam, quam dat, & recipit pro cambio. *Tertius* est qualitas materiæ magis æstimabilis, qua Campsor se privat, dum dat monetam auream pro argentea, vel æreà sivè æream magis expendibilem pro argentea, aut aurea. *Quartus* commoditas, qua Campsor se privat, & quam transfert in Campsarium petentem monetam sibi magis commodam ad expendendum, vel ad alibi transportandum. *Quintus* utilitas, quam reportare intendit ipsemet Campsarius, petendo scilicèt monetam auream, putà Zecchinos, pro æreà, vel argentea; quia aurea in alia Provincia, quò est iturus, magis valet. Ex his titulis licitum esse lucrum in cambio minuto affirmant Navar *d. cap.* 17. *num.* 288. Palaus *tom.* 2. *tract.* 32. *disput.* 7. *punct.* 3. Lessius, Villalobos Serra, & alii, quos citant Salmanticenses *dict. tract.* 14. *de Contract. cap.* 4. *punct.* 1. *num.* 6. & Mastrius *dict. disput.* 5. *num.* 126. ubi notant, quod, si dominus dederit pecuniam 15 auream famulo suo, ut emat, Exempli gratia, equos, boves, aut pecora pro usu propriæ familiæ, possit famulus illam pecuniam auream commutare cum æreà, & sibi retinere lucrum cambii illius tanquam fructum debitum industriæ suæ, ita tamen, ut nullum damnum resultet ex hoc cambio ipsi Domino.

Circa cambia per literas, tituli pro recipiendo lucro absque usuræ labe sunt sequentes: *Primus* est translatio, seu transportatio pecuniæ de loco, in quo mercator campsor dat literas cam- 16 bii, ad locum, in quo per suum correspondentem facit eam solvere campsario, aut cui campsarius voluerit. Hæc autem translatio, seu transportatio est pretio æstimabilis, quia si petens literas cambii vellet suam pecuniam transferre Romam, solvere deberet mercedem vel

nun-

nuncio, vel tabellario, vulgò *al Corriere*; & quamvis campſor actualiter non transferat illam pecuniam individualiter, virtualiter tamen facit prædictam translationem, quia habet in alio loco, putà Romæ, pecuniam propriam cumulatam ex mercibus ſericeis, aut laneis, vel alterius ſpeciei ibi inantea tranſmiſſis, pro quarum tranſportatione mercator, qui dat literas cambii, fecit multas expenſas. *Secundus* titulus eſt ſecuritas ejuſdem pecuniæ, qua gaudet campſarius, cui mercator campſor obligatus eſt certè, & infallibiliter eam exburſare facere in loco, ubi idem campſarius poſtulat eam exburſari: ſiquidem ſi ipſe illam mitteret ad illum locum per nuncios, aut etiam perſonaliter portaret, ſubiret periculum latronum in via, & alia incommoda. *Tertius* titulus eſt inæqualis valor pecuniæ in loco, in quo exburſatur campſori, & in loco, in quo eſt ſolvenda campſario; convenit enim æquitati, ac juſtitiæ, ut campſor ſervetur indemnis circa valorem monetæ. Hinc, quia Romæ, ubi mercator Patavinus tenet plura Scutorum millia, Scutum valet libras Venetas novem, Patavii verò valet libras decem, ſolvendum eſt mercatori Patavino per campſarium aliquid plus pro uno quoque Scuto; nam majorem quantitatem auri, vel argenti recipit campſarius Romæ, quàm mercator campſor recipiat hìc Patavii à campſario; & ulteriùs ſi ipſe campſor ſibi tranſmittere faceret ab Urbe Roma Patavium pecuniam ſuam vel in moneta aurea, vel argentea, quæ ibi minus valet, vel in aliis mercibus emptis ad eundem valorem; utique reportaret augmentum valoris, quem eadem pecunia habet hìc Patavii. *Quartus* titulus eſt labor, quem ſubiit mercator, qui dat literas, eas ſcribendo, dum eas dat campſario, ac eas regiſtrat in libro, & dum de eis monitum facit ſuum correſponſalem per alias literas, quas per tabellarium, & ut dicitur *per la poſta* ei tranſmittit, quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia. *Quintus* eſt obſequium, quod præſtat campſor, & commoditas, quam recipit campſarius, dum ſine alio incommodo ſolvit quod debet, in alia Civitate & ſua negotia gerit, terminat, & complet; ut conſiderant DD. quos cumulant Salmanticenſes *dict. tract.* 14. *de contract. cap.* 4. *à num.* 9. *& ſeqq.* Leſſius *de Juſtit. & Jur. lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 3. Molina *eod. tract. diſput.* 403. Tamburin. *lib.* 9. *de Contract. tract.* 3. *cap.* 4. *num.* 2. & Maſtrius *d. diſput.* 5. *num.* 119.

Circa cambia ad nundinas, in quibus pecunia non eſt reſtituenda campſori niſi in loco nundinarum, & completis nundinis, quæ ſolent abſorbere tempus diverſorum menſium, aut integri anni, ut declarat Tamburinus *dict. tractat.* 3. 17 *cap.* 5. tituli juſtificantes lucrum hujuſcemodi cambii ſunt: *Primus* lucrum ceſſans in ipſo campſore, qui cum illa pecunia, tibi ad cambium in nundinis conceſſa, non poteſt ampliùs negotiari, & lucrari. *Secundus* eſt periculum, cui pecunia à campſore data exponitur, niſi ſit datum pignus, aut fidejuſſor. *Tertius* eſt, quia dum expectatur ſolutio, plures poſſunt eſſe, qui petant cambia, & pauciores, qui dare illa poſſint. *Quartus* trajectio aut realis, aut ſaltem virtualis pecuniæ ad locum, & de loco nundinarum. *Quintus* diminutio, aut augmentum valoris pecuniæ in loco, in quo ſolvitur à campſore, & in eo, in quo à campſario reſtituitur. *Sextus* labor, ac expenſæ, quas facit campſor conducendo, vel habendo alibi ſuum correſpondentem, cui committat literas cambii, & in ſcribendo, regiſtrando, ac computa faciendo in cambiis ipſis. Ita Tamburinus *dict. cap.* 5. *à num.* 6. *& ſeqq.* & Nicolius *in Inſtit. Civil. lib.* 3. *tit.* 24. *num.* 120. *&* 121. ubi ulteriùs advertit, quod ſi campſor ipſe acceperit ad cambium à tertia perſona pecuniam illam, quam tradit campſario, & iſte ſit in mora in ea reſtituenda, ita ut ſolvenda ſint cambia, & recambia propter illam, alius titulus eſt damnum emergens, quod campſor patitur, dum tenetur ſolvere cambia tertio creditori, & ex hoc titulo recipit recambia à campſario, donec pecuniam reſtituat. Sed de hoc cambio cum recambio, & de aliis modis, quibus inter mercatores conficitur, ac titulis cohoneſtatur, legendus eſt Tamburinus *dict. lib.* 9. *tractat.* 3. *cap.* 5. §. 2. *&* 3. ubi de eo plenè diſſerit, & plurimos DD. de eodem diſſerentes allegat: nec non diſcurſus de Cambiis Italico ſermone exaratus per Emin. Cardin. de Luca *in tract. de Cambiis poſt diſc.* 26.

Circa tandem cambia maritima præter omnes titulos ſupra relatos, qui etiam concurrunt ad juſtitiam lucri, quod campſores in illis reportant, adeſt præcipuus alius titulus, nempè aſſecuratio, quam campſor facit de pecunia per mare trajicienda, aſſumens in ſe pericula omnia naufragii, piratarum, & ignis, quæ ſolent occurrere navigantibus; ſicut enim quilibet alius poteſt aſſecurare dictam pecuniam, & propter talem aſſecurationem lucrum recipere, ut docent Theologi apud Dianam *part.* 1. *tract.* 8. *reſolut.* 37. Quæ in Coordinato ejus opere habetur *tom.* 3. *tract.* 2. *reſolut.* 41. & concedit Maſtrius *dict. diſput.* 5. *num.* 67. Ita ipſe campſor in cambio maritimo poteſt abſque uſura aliquod conſiderabile lucrum ſibi reſervare; ſed de hoc agemus infra *Deciſ. LXXVIII.* 18

Quoad Quartum, & Ultimum; conditiones, quibus cambia debent eſſe vallata, ut ſint licita, 19
& à labe fœnoris immunia, ſunt ſequentes. *Prima*, quod tàm in cambiis minutis, quàm in cambiis per literas, & ad nundinas, ac maritimis lucrum non excedat illam quantitatem, aut ſummam, quæ vel taxata eſt à lege, vel approbata ab univerſali prudentum, ac Deum timentium virorum judicio. *Secunda*, ut in cambiis per literas ad nundinas reipſa literæ ſcribantur, ac tranſmittantur, & ibidem ſolutio pecuniæ fiat: quandoquidem ſi fingantur literæ ipſæ, nec tranſmittantur, imò aſſertus Campſarius verè, ac realiter accipiat pecuniam expendendam in ſuis neceſſitatibus, & illam aſſertus Campſor det verè ad mutuum ſub nomine cambii cum lucro; tale cambium eſt cambium Siccum, uſurarium, & fœneratitium, ac expreſsè damnatum *in Bulla* 118. S. Pii Quinti. Tamburinus *d. lib.* 9. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. & Maſtrius *d. diſput.* 5. *num.* 123. P. Joannes Tuba Servita *in Curru peccati quæſt.* 4. *cap.* 24. *num.* 491. *&* 492. ubi refert verba ejuſdem Bullæ Pianæ prohibentis has literas fictas. Idem Tuba *in eod. Curru cap.* 25. *num.* 498. ubi has literas vocat Civicas, id eſt ceremoniales, ſed falſas, & ſpurias. Porrò quia ibi ſubdidit: *Queſte tali lettere civiche, ò cittadine io non ardiſco dannarle, eſſendo note, e tolerate de Superiori Eccleſiaſtici &c.* fuit acriter reprehenſus à R. P. Bonaventura ex Capuc-

puccinis Prædicatore zelantissimo in libello per eum typis dato contra Usurarios, ac Usurariam pravitatem *cap.* 14. adeòut ipse P. Tuba in secunda parte *sui Cursus quæst.* 4. *cap.* 17. respondens P. Capuccino conetur suam assertionem justificare, sed non absque difficultate; quia tolerantia Superiorum non est sufficiens ad reddendam licitam usurariam pravitatem; nam resistunt Bullæ Pii IV. & S. Pii V. & contra leges Pontificias non potest dari de non usu, nisi probata scientia, & consensu Papæ. Baldellus *de Legib. lib.* 5. *disput.* 18. *num.* 5. ubi DD. & Rota Romana; præterquàm quod Antistites nostrorum temporum satis agant, si super Ecclesiasticorum moribus invigilent; & hinc est, quod grassentur inter laicos concubinatus, adulteria, & Usuraria labes; quæ sunt gravissima quidem piacula, ac nemo catholicus licita affirmabit. Oportet igitur in cambiis per literas ad nundinas, ipsæ literæ realiter transmittantur, & transmissis executio detur per actualem numerationem pecuniæ Campsario faciendam in ipsis nundinis ad præscriptum Bullæ S. Pii Quinti, omni fictione remota. *Tertia* conditio est, ut Campsor dans pecuniam petenti, restituendam sibi in nundinis, certus sit, ipsum Campsarium habere in nundinis pecuniam, seu merces, ex quarum exitu possit dictam pecuniam restituere, ut benè probat Tamburinus *dict. tract.* 3. *cap.* 5. §. 1. *num.* 15. etsi *num.* 16. concedat sufficere in Campsore bonam fidem, reclamante tamen Bonacina *de contract. quæst.* 5. *num.* 24. *Quarta* est, ut in cambio restituendo in nundinis non fiat pactum ab initio de certo interesse solvendo, sed remittatur ad id, quod communiter practicabitur in nundinis. Lessius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 9. Tamburinus *d. cap.* 5. §. 1. *num.* 19. & §. 7. *num.* 13. & 14. ubi hanc conditionem, ait, non esse in usu, sed eam esse necessariam, & observandam ostendit Eminent. Cardin. de Luca *de Cambiis disc.* 3. *num.* 9. *disc.* 14. *num.* 4. & *disc.* 24. *num.* 8. *Quinta* est, ut cambia cum lucro fieri non possint nisi pro proximis nundinis; ne si protrahantur ad secundas, tertias, vel posteriores nundinas, multiplicetur lucrum ex dilatione temporis, & transeat cambium in mutuum cum usuris. Tamburinus *d. cap.* 5. §. 1. *num.* 20. *Sexta* conditio est, ut lucrum cambii commensuretur cum vicinitate, vel longinquitate locorum, in quibus celebrantur nundinæ, ita ut minus sit, si nundinæ, in quibus restituenda est pecunia Campsori, parùm distent; majus, si in magis longinquo loco celebrentur; ea ratione, quia ex majori distantia crescit in campsore damnum lucri cessantis, & difficultas, ac expensæ recipiendi pecuniam suam. Tamburinus *ubi proximè num.* 22. & *seqq.* etsi *num.* 24. ex Molina, & aliis extendat augmentum lucri, ubi longiores sint termini concessi ad restituendam pecuniam Campsori, scilicèt ob majus detrimentum, quod ipse Campsor patitur, cum non possit cum illa pecunia negotiari, & majora pericula, quibus remanet expositus. *Septima* tandem conditio est, quod si Campsarius morosus sit in restituenda pecunia habita ad nundinas, & Campsor prætendat ex illa mora sibi deberi interesse, ac alia damna emergentia, debeat inprimis, & ante omnia judicialiter interpellare eundem Campsarium ad prædictam restitutionem pecuniæ faciendam, cum protestatione, intimatione, ac notitia damnorum, ac interesse sibi decurrentium, seu imminentium; aliàs dicta intimatione neglecta nec petere, nec consequi possit ipsum interesse, vel damna, ut advertit Gratian. *Discept. forens. cap.* 829. *num.* 9. Rota *part.* 1. *recent. decis.* 52. *num.* 3. & coram Sanctiss. Alexandro VIII. in antea Eminent. Card. Othobono *decis.* 92. *num.* 1. & 2. Novissimè Eminent. Cardin. de Luca *in tract. de Cambiis disc.* 2. *disc.* 11. & *disc.* 13. in quibus, & in aliis ejusdem tractatus differit de hac involuta materia cambiorum & recambiorum non satis cognita neque Theologis ob subtilitates Mercatorum ad lucra capessenda, in quibus, ut plurimùm, Anatocismos committunt, ut considerat idem Eminent. Cardin. de Luca *eod. tract. de Cambiis disc.* 3. *num.* 8. & *disc.* 8. *num.* 6. ubi demonstrat quando in Cambiis debeantur fructus fructuum, & non committatur Anatocismus, id est labes usuraria, ac fœneratitia? quod etiam docent mea Erotemata *cap.* 93.

Tandem corollarii loco notandum venit, quod etiam in cambiis minutis possit Anatocismus intervenire, si scilicèt quis daret Campsori monetas aureas pro argenteis, cum pacto restituendi easdem argenteas, seu in argento post aliquod spatium temporis, & interim lucrum solveret sub titulo *aggii*, vulgò *lazo*; nam talis solutio lucri esset ob dilationem temporis ad restituendam illam pecuniam argenteam, & ita esset tacitum mutuum, & ex eo lucrum usurarium, ut benè advertit Eminent. Cardin. de Luca *eod. tract. de Cambiis disc.* 24. *num.* 7.

DECISIO LXXVII.

ARGUMENTUM.

Resolvitur, non esse Cambium usurarium, si Campsarius petat, & insumat pecuniam in suis necessitatibus, ac promittat pro lucro Cambii quatuor pro centenario, licèt non habeat alibi modum negotiandi ad cambia, si tamen Campsor det pecuniam cum bona fide, & non habeat certam scientiam intentionis, ac egestatis ejusdem Campsarii.

SUMMARIUM.

1. *Cambii Romani casus.*
2. *F. Bonaventura de Montaneana Capuccinus fervens Prædicator.*
3. *Campsario accipiente pecuniam sine animo girandi ad cambia, Cambium dicitur Siccum, & usurarium.*
4. *Scientia requiritur in Campsore de intentione Campsarii insumendi pecuniam in suis necessitatibus, ut cambium sit Siccum.*
5. *Bona fides Campsoris, quod pecunia data, vel æquivalens alia giretur in Cambiis, excusat eum ab usura, &* num. 9.
6. *Rotæ Romanæ decisio, quod d. bona fides excuset ab usura.*
7. *Dominium pecuniæ datæ ad cambium pro nundinis statim transit in Campsarium, & potest ea uti ad placitum, si habeat alibi aliam.*
8. *Campsario sufficit habere amicum cambiantem loco pecuniæ cambiandæ.*
10. *Campsor ab initio pacisci non potest de certo lucro.*
11. *Pactum de certo lucro in cambiis quando sustineatur?*

12. *Pa-*

12. *Pactum lucrandi quatuor pro centenario in cambiis est honestum.*

13. *Pactum moderati lucri sustinetur in cambiis, etsi factum à principio.*

1 PRopositus mihi fuit sequens casus Romanus, cum instantia, ut responderem, an in eo sit, vel non sit Usura? Casus est hujusmodi. Petrus se constituit debitorem Pauli in Scutis mille pro tot pecuniis ab eodem Paulo acceptis; & quia ipse Paulus non solet retinere suas pecunias otiosas, ut Petrus asseruit, se scire, & esse benè informatum, assumpsit ipse Petrus in se onus cambiendi, & recambiendi eadem Scuta mille pro duobus annis, quibus transactis promisit restitutionem. Sed quia idem Petrus non est mercator, neque Campsor, ad prædictum effectum deputavit Andream Campsorem in eadem civitate Romæ, ut expensis, risico, ac periculo ejusdem Petri faciat hujusmodi cambia, & recambia. Pacto inito interim cum Paulo, ut dicta cambia, & recambia non debeant excedere Scuta quatuor in anno pro quolibet centenario, & si excederent, debeant esse in utilitatem debitoris, & si non ascenderent, in damnum creditoris. Hæc cambia & recambia dictus Petrus promisit solvere de semestri in semestre, & eo deficiente, seu ejus mercatore non cambiente, aut recambiente, loco damnorum, & interesse lucri cessantis, & damni emergentis dicti Pauli creditoris, Paulus debitor teneatur solvere dicta cambia, & recambia, ut supra; & sic liberavit eundem Paulum creditorem ab omni onere, cura, & solicitudine prædictorum cambiorum, & recambiorum, & Petrus assumpsit in se omne onus, & hæc omnia servare promisit cum juramento, & in forma Cameræ observare. Quæritur, an in tali casu intret labes Usuraria, & Anatocismus?

Et equidem casum hunc esse contractum Usurarium, & illicitum pluribus rationibus probavit R. P. Bonaventura de Montaneana Prædi-
2 cator Capuccinus, zelo fervens, & invehens in suis concionibus contra usurariam pravitatem, de quo dictum est supra *in Decis. anteced. num.* 20. sed præcipuè, quia prædictus Petrus assertus Campsarius nullam intentionem, neque habilitatem habebat girandi ad cambium dicta Scuta mille, quæ imò accepit à Paulo ob proprias necessitates, in quarum levamen ea consumpsit;
3 undè fit, quod talis contractus non sit cambium reale à legibus permissum, sed cambium Siccum, ab iisdem damnatum; cum in rei veritate sit verum, & merum mutuum, ex quo nefas est lucrum recipere; & contra hæc cambia ficca extant duæ Constitutiones Summorum Pontificum Pii IV. quæ est *la prima in §.* 1. nec non S. Pii V. quæ est Bulla 118. in Bullario Romano *tom.* 2. & contra eadem cambia ficca exclamant Theologi, Canonistæ, ac Summistæ, inter quos Azorius *part.* 3. *lib.* 10. *de Cambio Sicco capit.* 10. Scaccia *de Cambiis §.* 1. *quæst.* 7. *part.* 2. *ampliat* 9. *n.* 9. Reginaldus *lib.* 25. *num.* 399. Rebellius *de Justit. & Jur. lib.* 15. *quæst.* 5. *num.* 3. Et Comitolus *Resp. Moral. lib.* 3. *quæst.* 14. 15. & 16.

Ego autem requisitus dicere, quid sentirem de prædicto casu, respondi, quod, si Paulus certò sciebat, Petrum consumpturum esse illa Scuta mille in necessitatibus domus suæ, neque eum habere alibi pecuniam ponendam in cambiis ad negotiandum, neque posse invenire amicum mercatorem, qui summam æquivalentem nomine Petri giraret in cambiis, supradictus contractus Pauli cum Petro non sit licitus, quia est 4
cambium Siccum, ac mutuum manifestum, & per consequens lucrum ex eo receptum est Usurarium, ut docent DD. quos citat, & sequitur Leotardus *de Usuris quæst.* 26. *à num.* 50. & *seqq.* Rota coram Peutingerio *Decis.* 163. *num.* 5. & *Decis.* 196. *num.* 13. ac alii per me adducti supra *in anteced. Decis. LXXVI. num.* 8. & 9.

Porrò si Paulus bona fide credidit, Petrum esse posiurum illa Scuta mille ad cambium, vel, 5
si ea expensurus foret in suis necessitatibus, putaverit, eum habere aliundè æquivalentem summam collocandam in cambiis, aut non deesse Petro amicos mercatores, qui ejus nomine ponerent ad cambium eandem pecuniarum quantitatem, contractus Pauli posset sustineri tanquam licitus, neque redarguendus foret de Usura, ut novissimè post diligens studium omnium Auditorum decisum fuit à Rota Romana *in Bononien. Cambiorum die* 24. *Februarii* 1676. *coram R.* 6
P. D. Rondinino, quæ inter impressas post Novarii Summam Bullarum est *Dec. XVIII.* quæ *num.* 9. ita loquitur.

„ Verùm quatenus præsumi posset in Cornelio [creditore pecuniæ exbursatæ] scientia, „ quod pecuniæ ab ipso traditæ ad effectum „ cambiendi non essent transmittendæ ad nundinas, adhuc tamen illa ad effectum, de quo „ agitur, non noceret, nisi probaretur etiam „ scientia probabilis, quod illi, quibus traditæ „ sunt pecuniæ ad cambiendum, non haberent, „ vel habere possent in nundinis summam æ„ quivalentem; quia juxta notorium usum „ Urbis, & aliarum Regionum, pecuniæ, quæ „ sumuntur ad cambium, ut plurimùm eroganˌˌ tur pro dissolvendis debitis, vel pro emptio„ ne bonorum, & in alios usus; neque ideò di„ citur cambium illicitum, quia illud exercen„ dum est cum pecunia æquivalenti, ne aliàs „ soli nummularii cambia exerceant, uti distinˌˌ guendo hunc casum ab alio, in quo tradens „ pecuniam scit, illam transmittendam non esse, „ neque summam æquivalentem, concludunt „ communiter, quamvis in modo explicandi „ non conveniant Navarrus *in Manuali cap.* 17. „ *num.* 230. & *num.* 298. & *seqq.* Merenda *controv.* „ *lib.* 24. *cap.* 42. *à num.* 42. Azor. *part.* 3. *lib.* 10. „ *de Cambiis cap.* 10. *Vers.* 3. & 4. Lupus *de Usuris* „ *comm.* 3. §. 2. *num.* 65. Leotardus *quæst.* 26. „ *num.* 50. & 51. & *quæst.* 89. *num.* 50. Filliuccius „ *tract.* 35. *part.* 2. *cap.* 8. *num.* 433. Cardin. de „ Lugo *de Justit. & Jure disput.* 28. *sect.* 7. *num.* 78. „ Lessius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 7. *num.* 68. Bona„ cina *tom.* 2. *de Contract. disput.* 3. *quæst.* 5. *punct.* „ *Unic. Vers. Siccum.* Molina *tract.* 2. *disput.* 404. „ *sub num.* 7. Palaus *tom.* 7. *disput.* 7. *de Cambiis* „ *punct.* 8. & *punct.* 15. Peguerius *Decis.* 33. *num.* 4. „ Giballinus *de Usuris lib.* 5. *cap.* 1. *art.* 6. *num.* 5. „ & *seqq.* & Turre *de Cambiis disput.* 1. *quæst.* 14. „ *num.* 12. Hucusque Rota, quæ sequitur *num.* 10. reddens hanc rationem notatu dignam, videlicèt:

„ In hoc enim contractu dominium pecu„ niæ ad cambium receptæ statim transfertur, & 7
„ acquiritur recipienti, qui illa uti potest tan„ quam re sua, & in proprios usus convertere, „ & postea aliam pecuniam in nundinis reddere

„ diversam à recepta, cum usus cambiendi hunc
„ in modum invaluerit. Et paulò infra *num.* 14. subdit: Ita ut pro reddenda æquivalenti specie pecuniæ receptæ nec etiam requiratur,
„ quod illam recipiens habeat æquivalentem
„ summam in nundinis, sed sufficiat, quod ha-
8 „ beat amicum mercatorem, qui ejus nomine
„ ibidem solvat, & recambiat, prout facere pro-
„ miserunt debitores in hoc casu; quasi idem
„ sit habere numismata, vel nomina debitorum,
„ ex quibus vera, vel virtualis solutio sequatur. Et allegat plurimos Doctores, inter quos Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resol.* 2. Quæ in Coordinato opere habetur *tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 3. ac Duardus *de Cambiis* §. 1. *quæst.* 40. *à num.* 21. *& quæst.* 42. *sub num.* 32. *& quæst.* 51. *sub num.* 1. referens ita determinatum fuisse in Congregatione ab Urbano VIII. deputata.

Huic Rotali doctrinæ addenda est illa Eminentiss. Cardin. de Luca in suo *tract. de Cambiis disc.* 3. *num.* 6. *& 7. & disc.* 23. *num.* 9. ubi rationibus, & juribus confirmat, non esse vocandum usurarium contractum, quando qui petit & recipit pecuniam ad cambiendum, eam insumit in suis necessitatibus, si ille, qui dictam pecuniam exbursat, bona fide credit, esse in cambia
9 girandam, nec certam notitiam habet de fine, & intentione recipientis, insumendi scilicèt illam in suis necessitatibus.

Scrupulum potest facere in hoc casu, quod Paulus pactum fecerit cum Petro de quatuor Scutis pro centenario annuatim solvendis; ita enim probatum est supra in *Decis. LXXVI. num.* 10 25. quod ab initio non possit Campsor paciscì de certo lucro, sed expectare debeat id, quod in nundinis fuerit taxatum, ut advertit etiam Eminentiss. Cardin. de Luca *dict. tract. de Cambiis*
11 *disc.* 3. *num.* 9. *disc.* 14. *num.* 4. *disc.* 24. *n.* 8. Sed respondetur, vel quod dictum pactum vitietur, & non vitiet contractum, quia non est contra ejus substantiam; vel quod ob ejusdem lucri tenuitatem sustineatur, quia cambiorum lucrum longè majus esse solet, ideòque illud plus cedit ad favorem Petri Campsarii, ut considerat idem Eminentiss. Cardin. de Luca *in eodem tract. disc.* 16. *num.* 9. *&* 10. vel tandem sustinetur dictum pactum, neque facit contractum injustum, quia evidens est justitia ejusdem pacti, quandoquidem Paulus Campsor convenit, ut pro lucro sibi solveret à Paulo quatuor pro centenario cum his duabus conditionibus, *Una*, quod si lucrum ex cambiis faciendis excederet dicta quatuor Scuta, excessus cederet ad favorem Petri Campsarii, *Altera*, quod si lucrum non ascenderet ad dictam summam quatuor Scutorum, damnum, ac defectus spectet ad Paulum credito-
12 rem. Igitur, cum tale pactum sit honestum, lucrumque conventum non sit excessivum; quippe in cambiis solet taxari usque ad duodecim pro centenario, ut ait Rota *part.* 13. *recent. decis.* 413. *num.* 9. ac proindè sit lucrum moderatum ad tradita per Baldum, quem citat, & sequitur Rota *p.* 14. *rec. decis.* 126. *n.* 41. utique præ-
13 dictum Pauli pactum judicandum est justum, & stante ejus justitia, quamvis initum à principio, est tolerandum, ac sustinendum; ut in terminis probant Lessius *lib.* 2. *cap.* 23. *dub.* 11. *num.* 90. & Reginald. *lib.* 25. *num.* 467. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus *d. tom.* 6. *tract.* 3. *resol.* 16. desumpta ex veteri *p.* 1. *tract.* 8. *resol.* 15. Quare concludo, casum Romanum, de quo supra, esse licitum, non autem Usurarium.

DECISIO LXXVIII.

ARGUMENTUM.

Probatur, cambia maritima Spalatensium cum lucro certo sex pro centenario omni trimestri esse licita, ac legitima, quia verè, & propriè non sunt cambia, sed societates ad negotiandum, cum assecuratione pecuniæ à periculis, quam campsor ipse facit.

SUMMARIUM.

1. *Spalatum Civitas nobilissima.*
2. *Cambiorum maritimorum Spalatensium formula.*
3. *Cambia maritima an sint licita?*
4. *Assecurationis contractus est licitus.*
5. cap. Naviganti de Usuris *explicatio.*
6. *Nauticum fœnus de Jure Civili erat permissum.*
7. *Cambia maritima Spalatensia sunt legitima.*
8. *Quia sunt societates ad negotiandum.*
9. *Socius in negotio assumens in se periculum majus lucrum percipit.*
10. *Contractus trium contractuum in societate est licitus.*
11. *Usus universalis circa lucrum in negotiis facit ipsum licitum.*
12. *Maris navigatio semper periculosa.*

IN antiquissima, ac nobilissima civitate Spalati 1
[quæ est Urbs Archiepiscopalis Dalmatiæ, olim Diocletiani Imperatoris palatium; portu satis amplo, ac tuto ornata] habentur in usu Cambia maritima, pro quibus singulo trimestri solvuntur Campsori sex pro centenario, attento periculo pecuniæ, quod ipse in se suscipit, prout ex sequenti formula, seu Cambii partita: *Laus Deo* 1702. *Primo Giugnio, Spalatro. Per il primo di Setembre prossimo venturo pagarà Lucio Stella* 2
Ducati cento, e sei à Cajo Mario, sono per Ducati cento avuti hoggi dal medesimo a cambio maritimo, che deve correre sopra la Peota del Paron Zuanne Predolin col rischio di fuoco, mare, e corsari il presente suo viaggio per Venezia nell' andare in là solamente, che Iddio loguardi. Val. Duc. 106. *Chiamandosi piezo, e principale pagadore per la sodisfazione del soddetto danaro, spirato l' accenato termine, Marco Claudio.*

Dubitare contingit, An prædicta Cambia ma- 3
ritima sint licita, vel illicita? Et non absque gravi motivo; siquidem circa ipsa magna est controversia inter Theologos, & Canonistas, quos novissimè refert Fagnanus *in cap. Naviganti, n.* 4. *& seqq. de Usuris* & qui à me fuerunt collecti in his meis Decisionibus Miscellaneis de Usurarum materia *Decis. XXXVIII.* in qua examinavi illud Quæsitum, *An liceat recipere lucrum in mutuo ratione periculi?* Siquidem pro justitia prædicti contractus, & quod licitum sit antedictum lucrum, præter plures alias rationes, illa fuit considerata potissima, quod contractus Assecurationis absque dubio sit licitus, & ab omnibus DD. permittatur. Molina *de Justit. & Jur. disput.* 318. *num.* 3. *disput.* 507. *per totam.* Gaspar. Anton. Thesaurus *Quæst. forens. lib.* 4. *quæst.* 77. & Leotardus *de Usuris quæst.* 23. *num.* 42. At in 4
supradicto Cambio maritimo Campsor suscipiens in se periculum ignis, maris, ac piratarum, quod imminet pecuniæ, dum per mare trajicitur Venetias, facit vicem Assecurationis, liberatque Campsarium ab obligatione restituendi eandem pecuniam sibi mutuatam, &

ad

ad negotiandum datam, si ex dictis causis pereat. Igitur, sicut quilibet alius assecurator potest recipere lucrum ob periculum, quod in se suscipit, ita etiam ipse Campsor; ut in puncto docent DD. apud Dianam *part.* 1. *tractat.* 8. *resol.* 37. Quæ in Coordinato ejus opere legitur *tom.* 3. *tractat.* 2. *resol.* 41. quibus adhæret doctiss. Mastrius *in sua Theolog. Moral. disput.* 5. *num.* 67. & ego notavi de periculo extrinsecùs imminente eidem pecuniæ *in d. mea Decisione XXXVII. de Usuris num.* 11. & ibi Covaruvias *Var. resolut. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 5. & Reginaldus *lib.* 25. *num.* 246.

5 At pro injustitia hujuscemodi Cambii maritimi, & quod ipsum sit fœneratitium, ac illicitum, facit textus rotundus, & apertus *in cit. cap. Naviganti, de Usuris*, in quo Gregorius Papa Nonus respondit, quod *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius sit censendus.* Et quamvis non desint DD. asserentes in hoc textu per errorem typographi omissam esse negativam Non; ita ut Papa responderit, *Usurarius non est censendus*, ut opinantur ex Moralistis Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 16. *num.* 13. Palaus *tract.* 32. *disput.* 4. *punct.* 18. & Ciballinus *de Usuris lib.* 2. *cap.* 4. *art.* 3. ex Juristis verò Fachineus *Controvers. Jur. lib.* 2. *cap.* 48. Gudelinus *de Jur. novis. lib.* 3. *cap.* 3. & alii congesti per Gonzalez *in Comment. ad dict. cap. Naviganti, num.* 7. Nihilominùs communior opinio est, mutuantem pecuniam, & aliquid ultra sortem recipientem ratione periculi ob navigationem esse verè Usurarium, ut docent plurimi Canonistæ, ac Theologi allegati per eundem Fagnanum *in eod. cap. Naviganti, à num.* 8. *& seqq.* qui omnes notant, per illum textum esse correctum Jus Civile, quod faciebat licitum nauticum fœnus ob periculum à mutuante in se susceptum pecuniæ trajectitiæ, ut *in tit. ff. & Cod. de Nautico fœnore*; & hoc ex pluribus rationibus, quas considerat Fagnanus, & Gonzalez in eodem textu ibi à studiosis videndas, quarum principalis est, quia mutuatarius videtur cogi ad hoc lucrum solvendum sub prætextu periculi, & quod non promittat sponte illud lucrum solvere, sed coactè; nam si ita non consentiret, Campsor pecuniam non daret.

Cæterùm quicquid sit de prædicta controversia relata ad naturam mutui, cujus naturam & essentiam videtur assumere traditio pecuniæ, etsi trajectitiæ, & sub nomine ac titulo cambii maritimi, respondendo ad propositum casum Spalatensem, fretus doctrina Sapientissimi, ac in foro versatissimi D. Cardinalis de Luca *in tract.* 7 *de Usuris disc.* 3. *num.* 3. dico, illum esse licitum, justum, & ab omni labe usuraria immunem, ea ratione, quia prædictus contractus verè, & propriè non est Mutuum, neque Cambium, sed est contractus Societatis, quo Cajus Marius assertus Campsor dat pecuniam Lucio Stellæ ad negotiandum; nam ut pro verissimo refertur mihi in facto, statim accepta pecunia, ipse Lucius Stella, aliique denominati Campsarii emunt Spalati multas merces, tàm comestibiles, ut caseum, butyra, carnes, quàm alterius generis, quæ ob abundantiam vili pretio ibi reperiuntur, easque navigando trajiciunt Venetias, ubi illicò cariori pretio eas vendunt, iterumque Venetiis coemunt parvo pretio alias merces, ac res, quarum Spalatenses indigent, easque remeando portant Spalatum, & cariori pretio statim revendunt, & hoc modo negotiantur eundo, & redeundo, lucranturque, pri- 8
ma ac secunda vice triginta, & quadraginta, ac etiam plus pro centenario; undè fit, ut absque ullo incommodo tribus mensibus transactis solvant sex pro centenario Cajo Mario, qui dederat ad hunc effectum Ducatos centum ad ita negotiandum; idcircò ipsemet Cajus Marius verè, & propriè est Socius negotiationis, & dat suam pecuniam ad Societatem futuri lucri cum periculo sortis, ut benè demonstrat idem Eminentiss. Cardin. de Luca *de Usuris dict. disc.* 3. *num.* 3. ad similitudinem Societatum officiorum, quæ practicantur Romæ in his propriis terminis, de quibus agit etiam Rota coram Eminent. Cardin. Millino *Decis.* 186 *& Decis.* 201. nec non coram Coccino *Decis.* 70.

Firmata itaque natura contractus Societatis, 7
facile est ostendere, illum non esse fœneratitium, sed licitum, & legalem, tùm quia Cajus 9
Marius, qui in Societate ponit pecuniam, assumit in se periculum ignis, maris, & piratarum, cujus periculi causa aliquod lucrum percipere potest. Scaccia *de Commerc. & Camb. §.* 1. *quæst.* 1. *num.* 288. & ibi DD. loquentes in terminis pecuniæ trajectitiæ datæ naviganti ad negotiandum, cujus periculum in se suscipit ille, qui dat prædictam pecuniam, tùm etiam, quia ad tollendas contentiones super redditione rationum, & quantitate lucri, ac expensarum, idem Cajus Marius illud totum, quod ad se spectaret ex illa Societate, & negotiatione, vendit, cedit, ac renunciat ipsi Lucio Stellæ Socio naviganti pro sex ducatis in trimestri pro centenario; & sic facit contractum trium contractuum, Societatis scilicèt, Assecurationis capitalis, & Venditionis lucri majoris incerti pro lucro minori cer- 10
to: qui omnes contractus sunt liciti juxta magistralem doctrinam Navarri, quem omnes Theologi, & Canonistæ sequuntur, in *capit. Si fœneraveris, in* 14. *notab. ad num.* 32. *& seqq.* 14. *quæst.* 3. quam doctrinam repetit *in Manuali cap.* 17. *num.* 254. & eam laudat Lessius *de Justit. & Jur. lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 22. *& seqq.* Bonacina *tom.* 2. *de Contractibus disput.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 11. *num.* 2. Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. disput.* 30. *num.* 40. Idem Scaccia ubi supra §. 3. *gloss.* 3. *num.* 36. *& seqq.* Carleval. de Judiciis *tom.* 2. *disput.* 7. *num* 17. latissimè Giballinus *de Usuris lib.* 6. *cap.* 3. *& seqq.* Leotardus *eod. tract. quæst.* 31. *num.* 13. Diana *part.* 1. *tract.* 8. *resolut.* 30. resident in Coordinato *tom.* 6. *tract.* 3. *resolut.* 49. & in terminis Rota in Viterbien. Transactionis 4. Junii 1663. *coram Taja*, impressa *in part.* 14. *recent. decis.* 74. *num.* 18. & 19 ubi signanter dicit, quod prædicta procedant, etiamsi dicti contractus celebrentur tacitè, & intentione implicita ad *text. in cap. penultim. de Donat. inter Vir. & uxor.* quod etiam scribit Maresottus *Var. Resolut. lib.* 2. *resolut.* 132. *num.* 21.

Neque obstat quod sex pro centenario omni trimestri sit summa excessiva ascendens ad viginti quatuor Ducatos pro centenario in anno. Nam cum tanta quantitas sit in usu apud omnes Spalatenses navigantes cum mercibus ad Civitatem Venetiarum, dicendum est, eam non posse redargui de excessu, sed honestam esse repu- 11
tandam; tùm quia si ipsi navigantes eam da-

mnosam sibi, non autem valdè utilem experirentur, abstinerent ab hujusmodi pactione; tùm etiam, quia praxis communis eorundem navigantium, & negotiantium habet præsumptionem justitiæ ejusdem pacti; & eidem praxi Rota Romana solet absque scrupulo deferre, ut ait coram Ludovisio *Decis.* 126. *num.* 1. & 2. & coram Merlino *Decis.* 597. *num.* 36. & equidem si lucrum eorundem navigantium in prima, & secunda venditione mercium ascendit ad quadraginta, & etiam quinquaginta ducatos, ut suppositum mihi fuit, in uno trimestri; non est onerosum solvere sex socio danti pro capitali ad negotiandum ducatos centum.

Minùs officit, quod rarò, imò nunquam succedant asserta pericula ignis, naufragii, aut piratarum, quia non attenditur eventus, sed quod potest evenire; certum est autem, quod *Qui navigant mare, enarrent pericula ejus, Eccles.* 43. 26. & 12 non est sine periculo transitus quadringentorum milliarium, quæ decurrunt à Spalato ad Venetias; *fallit enim portus & ipse fidem*; multæque naves sæpè in portu quiescentes intereunt; undè eò magis per mare decurrentes semper subsunt periculis, ut reflectendo ad instabilitatem maris considerat eadem Rota coram Merlino *dict. Decis.* 597. *num.* 25. & 26. & ex auctoritate Senecæ, Soti, Baldi, Navarri, ac aliorum DD. demonstrat. Scaccia *de Commerc. §.* 1. *quæst.* 6. *num.* 18.

DECISIO LXXIX.

ARGUMENTUM.

Quid, & Quotuplex sit Restitutio? Quomodo ea facienda circa damna data per animalia in campis?

SUMMARIUM.

1. *Restitutio necessaria ad æternam salutem.*
2. *Restitutio quid sit?*
3. *Restitutio differt à satisfactione. Et cur?*
4. *Restitutionis Præceptum an sit affirmativum, an negativum?*
5. *Pœnitentes restitutionem procrastinantes non absolvendi.*
6. *Animalium Domini tenentur ad damnum per illa illatum.*
7. *Damnum dantes cum culpa Theologica tenentur restituere.*
8. *Damni causam qui dat, damnum dedisse videtur.*
9. *Nemini licet jus sibi dicere.*
10. *Statutum Patavinum de animalibus repertis damnificare campos.*

REstitutionis materiam, quæ adeò necessaria
1 est ad æternam salutem consequendam, ut sine ipsa non remittantur peccata. *cap. Si res aliena.* 14. *quæst.* 6. *cap. Peccatum. de Reg. Jur. in* 6. Clerus Patavinus eruditis responsis illustravit: quorum compilatio de more, ad ipsorum studentium laudem, & legentium profectum, exhibetur.

2 Ad primum Quæsitum, *Quid sit Restitutio?* Plurimæ fuerunt allatæ definitiones. Theologi Scotistæ dixerunt, quod *Restitutio sit redditio æquivalentis pro æquivalente aliàs indebiti.* Ex Scoto *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *H.* & ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom.* 2. *de Virtutib. in gen. disputat.* 23. *num.* 3. ubi *num.* 6. probat, Restitutionem rerum alienarum præcipi de jure Naturali, Divino, Gentium, Canonico, & Civili. Thomistæ scripserunt, *Restitutionem esse actum justitiæ commutativæ, quo damnum proximo datum reficitur ad æqualitatem* Ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 1. Et ex Eminentiss. Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de Justit. & Jur. disput.* 8. *num.* 17. Theologi Morales asseruerunt, eam esse *actum justitiæ, quo cuique redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est.* Ita ex Eminentiss. Cardin. Tolet. *in summ. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 1. Canonistæ responderunt quòd *Restitutio sit condigna Satisfactio juxta facultates pro damno contra justitiam irrogato, ex cap. In literis, de Raptorib.* & ex Eminentiss. Cardin. Cavaller. *decis.* 651. *num.* 4. Alii tandem notarunt, *esse actum Justitiæ commutativæ reddentis unicuique debitum suum.* Ex Rebell. *de Oblig. Justit. lib.* 2. *quæst.* 1. *num.* 3. Sivè quod sit *Redditio rei acceptæ, vel damni illati compensatio* ex Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 3. *de Restit. cap.* 1. *num* 1. Aut *Damni injustè dati secundum æqualitatem Arithmeticam Restauratio.* Ex Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. Omnes quidem optimè. Illud tamen advertendum, quòd strictè loquendo Restitutio differat à Satisfactione: hæc enim propriè locum habet in in-
juria, & contumelia, quam qui intulit proxi- 3
mo suo non est absolvendus. nisi ei satisfaciat. Restitutio verò consideratur in rerum externarum ablatione, vel damni illatione, & ubi damnum cum contumelia conjungitur, ut in vulneribus, homicidiis &c. non solùm Restitutio damnorum, sed etiam Satisfactio pro injuria est præstanda, ut ex S. Thom. *in* 4. *sent. dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 5. advertit Paul. Comitol. *in Respons. Moral. lib.* 4. *quæst.* 11. *num.* 1. Quod notent Confessarii, ne contumeliosos, qui calamo, aut lingua injuriam irrogarunt proximo suo, absque satisfactione absolvant; quia est actus Justitiæ.

Ad secundum Quæsitum, *An Restitutionis Præ-* 4
ceptum sit affirmativum, an negativum? diversæ relatæ sunt opiniones Doctorum, quorum alii illud affirmativum appellant. Sotus *de Justit. quæst.* 6. *art.* 2. *in fin.* Bonacina *de Restit. tom. disput.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 2. *num.* 4. alii negativum adstruunt. Vasquez 1. 2. *quæst.* 72. *art.* 5. Molina *de Justit. tom.* 3. *disput.* 716. *num.* 3. Facilis tamen est concordia, quia Præceptum restituendi est quidem affirmativum, sed non purè, siquidem continet etiam sub se negativum de non retinendo bona aliena, sicut est Præceptum de non accipiendo, quia detentio est continuata acceptio. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 2. *de Virtutib. in genere disput.* 23. *num.* 224. Eminent. Cardin. de Lugo *de Justit. d. disput.* 8. *num.* 18. ubi ait, quòd licet secundùm sonum verborum videatur esse affirmativum, secundùm rem tamen sit negativum; idem enim est dicere, *Restitue*, ac si dicas, *Ne retineas alienum*: sicut idem est dicere *Jejuna*, ac dicere, *Nè comedas bis in die*; quod etiam notat Layman. *dict. lib.* 3. *tractat.* 2. *cap.* 2. *num.* 2. Ex qua doctrina notare debent Confessarii sollicitudinem, qua compellendi sunt pœnitentes ad restitutiones debitas faciendum; nam qui est obligatus restituere, tenetur statim restituere. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *articul. ultim.* Scotus *in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 2. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 23. *num.* 220. 221. ubi reddit rationem dicens, quia detinens scienter alienum, est in statu peccati mortalis, nam est perseverantia, seu continuatio furti, cum dominus ita sit invitus, ut res sua ab

alio

alio detineatur, ſicut quòd ab eo ſurripiatur. Et equidem abſque dolore recordari non poſſum, ad me acceſſiſſe Pœnitentes divites, obnoxios reſtitutioni tùm piorum legatorum, tùm mercedum pauperum ab annis decem, & ultrà, quos Confeſſarii annuatim abſolverant, licet incapaces abſolutionis, quam ego ſemper negavi hujuſmodi *moratis*, tanquam malè diſpoſitis ad Pœnitentiam. Non inficior, impotentes reſtituere abſolvi poſſe, ſi habeant voluntatem reſtituendi in affectu, pro tempore, quo potuerint in effectu; ſed Confeſſarius debet exactè trutinare aſſertam impotentiam, ut cognoſcat, an vera ſit, & non ficta? & ſit in caſu, quæ legitimam excuſationem differendi reſtitutionem concedat? quandoquidem dilatio non eſt legitima, ſi creditor, vel dominus rei ſit in pari neceſſitate, vel ſi debitor ſe excuſet, eo quia ſolitus ſit magnificè ſe tractare, & pomposè vivere, ut faciunt plurimi, qui ſervos, canes, & equos detinent, & nutriunt, at creditoribus, quod debent, non reddunt; circa quos cauti ſint Confeſſarii, & præcipuè Regulares, ad quorum pedes, non autem Parochorum, hujuſmodi debitores ſe projiciunt. Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *dict. diſput.* 23. *à num.* 235. *& ſeqq.* Cardin. de Lugo *diſput.* 20. *à num.* 211. *& ſeqq.* & Molin. *tom.* 3. *diſput.* 753. *& diſput.* 756. ubi advertit, in magno eſſe damnationis periculo, qui reſtitutionem ad mortem differunt, vel eam hæredibus faciendam imponunt, tùm quia creditores ſunt inviti, tùm quia aut plurimùm ab hæredibus negligitur ſatisfactio. Ex his reſolvendus venit ſequens caſus.

Petrus in ſocietatem dedit Caſtaldioni ſuo ſues, Petrique Uxor uxori Caſtaldionis gallinas. Hæ, & illi ſatis vicinorum magnum damnum intulerunt. Quæritur, quibus incumbat onus reſtitutionis?

Triplici diſtinctione Clerus noſter præſentem caſum reſolvit. *Prima* eſt, aut loquimur in foro fori? & in hoc Petrus, & ejus Uxor tenentur ad reſarciendum damnum vicinorum ſatis illatum à ſuibus, & gallinis, ea ratione, quia actio competit contra dominos animalium noxam inferentium, tùm ex Jure communi. *l.* 4. *ff. Si quadrup. pauper. feciſſe dicatur*, & ibi Gloſſ. *in formatione caſus*, Speculator *lib.* 4. *tit. de Injur. §. Sequitur, num.* 18. & Tondut. *Reſol. Civil. part.* 2. *cap.* 140. *num.* 9. qui loquuntur in terminis de damno illato per gallinas. Tum ex Statuto Patavino *in Rubric. de Beſtiis in noviſſim. Impreſſ. pag.* 129. *&* 130. ubi in omnibus caſibus damnorum per beſtias datorum, præcipitur, earum dominum condemnari. Aut loquimur in foro Poli? & in hoc caſu *Secunda* diſtinctio eſt, vel Petrus, & ejus Uxor habent domum amplam cum horto, & curte clauſa, ubi detinent Caſtaldionem, cui, & ejus conjugi ſues, & gallinas dederunt in ſocietatem: adeò ut enutriri poſſint ſues, & gallinæ, quæ ſatis vicinorum nocere non valeant, niſi ex mala cuſtodia Caſtaldionum, incuria, vel malitia, & tunc ipſi Caſtaldiones tantummodò ſunt obnoxii reſtitutioni; ſiquidem ille tenetur reſtituere, ex cujus culpa Theologica damnum reſultat; & iidem Caſtaldiones tantùm in hoc caſu cenſentur culpabiles, *cap. Si læſerit.* 4. *& capit. Si culpa tua.* 9. *de Injur.* Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *dict. diſput.* 23. *num.* 86. Cardin. de Lugo *d. diſput.* 8. *num.* 28. Layman, *lib.* 3, *tract.* 2, *cap.* 5. *num.* 7. Natta *conſil.* 550. *num.* 13. Aut Petrus, & Uxor non habent domum amplam, & aptam, ad dictas beſtias enutriendas, & [*Tertia diſtinctio eſt*] tenentur ipſi ad reſtitutionem damnorum, tùm quia dant cauſam damni ipſis, qui enim cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur. *capit. ultim. de Injur.* Menoch. *conſ.* 118. *num.* 24. ubi allegat legem divinam in *Exod. capit.* 22. tum quia ſunt in culpa, nam debebant prævidere, quod illæ beſtiæ ſatis vicinorum nocuiſſent. Vaſquez *de Reſtit. capit.* 2. §. 2 *dub.* 1. ubi id procedere demonſtrat in conſcientia, & non expectata judicis ſententia; quod confirmant DD. apud Dianam *part.* 7. *tract.* 7. *reſolut.* 74. Quæ in Coordinato eſt *tom.* 7. *tract.* 8. *reſolut.* 67. ob culpam Theologicam, à qua prædicti Petrus, & Uxor, excuſari non poſſunt: & licèt diſputent Theologi, an leviſſima culpa excuſet à reſtitutione in foro conſcientiæ, & diverſæ ſint opiniones, Eminentiſs. Cardin. de Lugo *dict. diſput.* 8. *ſect.* 5. *per totam*, in caſu noſtro culpa Petri, & Uxoris in caſu tertiæ diſtinctionis eſt major leviſſima, & per conſequens nullo modo excuſat à reſtitutione. Vaſquez *dict. opuſc. de reſtit. cap.* 2. §. 2. *dub.* 2. *num.* 23. ubi notat, eſſe latam culpam, quando quis non providit, quæ prudens Chriſtianus provideret, ne animalia ſua damna inferrent ſatis vicinorum, & prædicti Petrus, & Uxor providere debebant, ne ſues, & gallinæ ſatis vicinorum damnum inferrent, quod cum omiſerint, eorum culpa dicitur lata, quæ omninò obligat ad reſtitutionem. Innoc. *in capit. ſicut dignum num.* 6. *num.* 5. *de Homicid.* Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *dict. diſput.* 23. *num.* 74. Sed quid dicendum ad hunc alium ſequentem caſum?

Vicinus, qui ſæpè reperit in campis ſuis ſues, & gallinas, eos, & eas clam captas, domi ſuæ recluſas detinet. Petit à Confeſſario, an illos, & illas teneatur reſtituere? Quæritur, quid reſponſum?

Alii dixerunt, reſpondendum eſſe quòd reſtituat, tùm quia nemini licèt ſibi jus dicere, & propria auctoritate juſtitiam miniſtrare. *l. Julianus, ff. de Jurisd. Omn. Judic. l. unica. C. Nequis in ſua cauſa Judicet.* S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 5. *in fin.* tùm quia imminet periculum ſcandali, infamiæ, & rixæ, ſi vicinus detegatur à domino animalium, ea detinere clam apud ſe, & de furto intentet querelam. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 1. *cap.* 1. *num.* 9. Alii autumarunt, non eſſe obligandum ad reſtitutionem, quia ſuppoſito damno campis ſuis per prædicta animalia illato, ea de jure tanquam noxa pro noxia eidem debentur. *l* 1. *& tot. tit. ff. Si quadrup. pauper. feciſſ. dicat. ubi Gloſſ. & DD. & Inſtit. eod. tit. §. cæterum.* Marſil. *ſingular.* 225. *num* 2. & compenſatio occulta, ubi debitum certum eſt, ſaltem certitudine morali; & ubi non abſque difficultate, vel expenſis judicialiter poteſt illud recuperari, ab omnibus Doctoribus conceditur. Tambur. *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 5. § 1. Molina *de Juſtit. & Jur. tom.* 3. *diſput.* 690. Comitolus *lib.* 3. *quæſt.* 39. Eminentiſs. Cardin. de Lugo *de Juſtit. & Jur. diſput.* 16. *ſect.* 5. *per totam.* Rebell. *lib.* 2. *quæſt.* 18. & Diana Coordinat. *tom.* 6. *tract.* 3. *reſol.* 148. *& ſeqq. uſque ad reſol.* 157. Alii verò diſtinxerunt, vel vicinus Confeſſarium conſulens paratus eſt ejus dictis acquieſcere; & ſuadendus eſt, praxim hujus fori Patavini ſervare, videlicèt, animalia damnificantia in cam-

pis reperta ad Judicem cum duobus saltem testibus deducere, querelam de damnis datis contra eorum dominum intentare, deindè in stabulum publicum illa reponere, donec Judex Justitiam faciat, sic enim constabit de corpore delicti, de damno & injuria sibi illatis. Speculator *lib. 4. de injur. §. Sequitur, num. 19.* Tondut. *dict. part. 2. resol. civil. cap. 140. num. 11.* & Juris ordine servato habebit, quod sibi debetur. Siquidem in puncto juris non licèt hæc animalia sibi retinere, ut in terminis docet Bossius *in tit. de Damn. dat. num. 10.* Alciat. *de Præsumpt. reg. 1 Præs. 50.* Julius Clarus *in addit. lib. 5. §. fin. quæst. 82. num. 15. & 16.* Vel vicinus pœnitens ob expensas, vel alia gravia incommoda recusat id facere, & tantummodo petit, sibi responderi, an in conscientia teneatur restituere dicta animalia; & tunc cessante periculo scandali, vel læsionis alterius personæ, quæ forsan de furto, vel de abigeatus crimine accusetur, eidem responderi poterit, ad restitutionem non teneri, si tanti valeant animalia, quanti damnum illatum. Diana *dict. tom. 6. tract. 3. resol. 149. & 150.* Cardin. de Lugo *dict. disput. 16. sect. 5.* Lessius *de Justit. lib. 2. cap. 15. num. 58.* Castropal. *tom. 7. disput. 1. punct. 17. §. 3. num. 6.* Vasquez *de restit. cap. 5. dub. 9.* & Rebell. *dict. lib. 2. quæst. 18. num. 6. & 7.* ubi subdit, quòd dummodò plus surreptum non sit, quàm debeatur, compensans non sit obligatus ad restitutionem, estò quòd peccaverit, Jus sibi ipsi dicendo. Verum tamen est, quod si Dominus animalium paratus sit reficere ea detinenti omne damnum, & expensas, teneatur ea Domino restituere. Menoch. *de Recuperand. possess. remed. nono num. 282.* Farinacius *de Furtis quæst. 175. num. 136.*

DECISIO LXXX.

ARGUMENTUM.

Traduntur plures denominationes, ac definitiones Virtutis.

SUMMARIUM.

1. *Virtutis nomen quid significet?*
2. *Exorcismorum Ecclesiæ Virtus.*
3. *Herbarum Virtus ad sanandos morbos.*
4. *Virtutis definitio.*
5. *Opus Virtuosum ut sit, quid requiratur?*
6. *Medium duplex, aliud Rei, aliud rationis.*

PEtitum fuit: *Quid sit Virtus? & quæ requirantur, ut opus aliquod sit Virtuosum?* Præmiserunt pro resolutione primæ partis Quæsiti, Nomen Virtutis diversas habere significationes; siquidem *Primò* significat robur, & potentiam. *In brachio virtutis tuæ disperdisti inimicos tuos. Psalm. 88. Dextera Domini fecit virtutem. Psalm. 117. Secundo* denotat operationem aliquam mirabilem, insuetam naturæ, & miraculosam, quæ potest resultare ex verbis, ex herbis, & ex lapidibus. Quamvis enim Plinius *lib. 28. cap. 2.* scripserit, *Maximæ quæstionis est, & semper incertæ, valeant ne aliquid verba, & incantamenta carminum?* & Socrates, quem citat Balthasar Bonifacius *in Judicr. Hist. lib. 14. cap. 6.* dixerit, *Incantationes sunt Verba animos decipientia, juxta Spei, vel timoris conceptionem:* Et Martin. Delrius *Disquisit. Magic. lib. 3. quæst. 4. sect. 7. & seqq.* ostenderit, plurima superstitionum, & vanæ observantiæ exempla verbis, seu orationibus ad sanandum adhibitis; tamen negari non potest, Ecclesiasticas benedictiones, & Exorcismorum verba ab Ecclesia approbata, & à sanctis viris adhibita, divina favente ope, virtutem mirabilia operandi, & sanitates concedendi habere, ut pluribus exemplis demonstrat P. Bagata *in Admirand. Orbis Christiani tom. 1. lib. 6. cap. 5. à num. 17. & seqq.* ubi verba in parvis schedulis conscripta instar ferri ponderosa fuere. Idem de S. Antonio Archiep. Flor. narrat P. Menochius *nelle Stuore part. 1. cent. 2. cap. 72.* Pariter P. Bagata *tom. 2. lib. 5. cap. 4. §. 2.* ubi plurimi Exorcismi miraculosi. Herbis autem, & lapidibus plures insitas a Deo esse virtutes, potissimùm ad hominum sanitatem, præter Discorid. Mattheol, & Castorem Durantem testantur plures tùm antiqui, tùm moderni scriptores, quos refert Gasp. Scottus *Soc. Jesu in sua Physica Curiosa lib. 4. cap. 15. per totum,* & P. Bagata *d. tom. 1. lib. 5. cap. 1.* ubi de lapidibus admiranda varia, & *lib. 7. cap. 2.* ubi de herbis, & floribus medica virtute præditis. *Tertiò* virtutis nomen indicat potestatem faciendi miracula; juxta illud *Luc. 6. Quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Quartò* demonstrat rei energiam ad aliquid faciendum modo quodam singulari. *Sap. 7. Dedit mihi scientiam, ut sciam virtutes elementorum &c. Et virtutes radicum. Quintò* continet artem, studium, vel professionem, juxta parabolam decem talentorum, quæ data sunt *Unicuique secundùm propriam virtutem. Matth. 25. Sextò* fert nomen Angelorum primi ordinis secundæ Hierarchiæ. *Rom. 8. Neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes. Septimò* innuit donum aliquod supernaturale à Deo datum, seu infusum *Act. 1. Accipietis virtutem superveni-entis Spiritus Sancti in vos. Octavò* hoc nomen Virtus significat honorem, seu dignitatem. *Apoc. 5. 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere Virtutem, & divinitatem. Nonò* idem est Virtus, ac perfectio, seu præstantia. *Psalm. 29. Præstitisti decori meo virtutem. Decimò* hoc nomen Virtus significat Virtutes tùm Theologales, tùm Cardinales, seu Morales, tàm infusas, quàm acquisitas, ut eruditè explicat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 3. l. sentent. tom. 2. de Virtutibus in genere disput. 1. art. 1.* Quarum virtutum tùm naturalium, tùm supernaturalium in genere definitio fuit requisita.

Igitur Philosophiæ Doctores dixerunt ex Aristot. 2. *Ethic. cap. 6.* quod *Virtus sit, quæ habentem perficit, & opus ejus bonum reddit.* Quam definitionem explicat ibidem Sylvest. Maur. *Societ. Jesu in suis commentar. tom. 2.* Humanarum Literarum Professores *ex lib. 3. Phil. Mor.* Emanuelis Thesauri, definierunt Virtutem, quòd sit, *Ne quid nimis, Ne quid parum.* Vel quod, *Nec citra, nec ultra:* vel, *Quod decet, & quod licet.* Vel, quod sit *Mediocritas a ratione præscripta.* Canonistæ dixerunt: *Virtutem esse habitum mentis bene constituta.* Ex Gloss. *in cap. de pudicitia. 32. quæst. 5.* & ex Loterio *de Re benef. lib. 2. quæst. 50. num. 96.* Theologi Thomistæ ex Mag. *sent. 2. dist. 27.* & ex S. Thom. *1. 2. quæst. 55. art. 4.* voluerunt, *Virtutem esse bonam qualitatem mentis, qua rectè vivitur, qua nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Et eam explicat, & tuetur Gonet. *in Clyp. Theol. Thomist. tom. 3. tract. 4. disput. 1. num. 37.* Scotistæ tandem ex Scoto *in 3. sent. d. 26. quæst. unic. sub H. §. ad secundum licèt dicatur,* sic voluerunt definitam virtutem, ut scilicet *sit Habitus ele-*

Civis in mediocritate consistens, quoad nos ratione terminata, & ut sapiens terminarit, & desumpta est ex Aristot. *d. lib.* 1. *Ethic. cap.* 6. *num.* 8. eamque amplectitur, & declarat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom.* 2. *disput.* 1. *num.* 61. *& disput.* 2. *num.* 2.

5 Quoad secundam partem Quæsiti, *Quæ requirantur, ut opus aliquod sit Virtuosum?* omnes dixere, requiri, quòd opus consistat in mediocritate, seu medio; ita ut æqualiter distet ab excessu, & à defectu ut docet Aristot. *dict. lib.* 2. *Ethic. cap.* 5. *&* 6. & ibi P. Maurus. Excessus enim, & defectus in actione sunt vitia: mediocritas au-
6 tem, & medium est Virtus. Cumque in omni re medium sit duplex, unum rei, & aliud rationis; ad faciendum opus Virtuosum opus est operari cum medio rationis, illo nempè, quod sit proportionatum ipsi operanti; ut eruditè declarando probat, & probando declarat Emin. Cardin. de Lauræa *dict. tom.* 2. *disput.* 2. *art.* 1. *per totum*, ubi exempla, auctoritates sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & Philosophorum; ex quibus desumitur, electionem mediocritatis, seu medii supradicti propriè spectare ad Prudentiam, de qua in casu prudentiali mensis sequentis, videlicèt *Decis.* 83.

DECISIO LXXXI.

ARGUMENTUM.

Disseritur, an ficti pauperes possint retinere sibi eleemosynas datas? Refertur lepida Historia de duobus Cœcis multam pecuniam habentibus tempore S. Antonini.

SUMMARIUM.

1. *Pauper fictus an debeat restituere eleemosynas?* & num. 4.
2. *Servus malus an lucretur salarium?*
3. *Eleemosyna magna retineri non potest à paupere ficto.*
5. *Donationum, ac contractuum differentia.*
6. *Eleemosyna à non paupere accepta cui restituenda?*
7. *Historia lepida de duobus cœcis multam pecuniam habentibus.*
8. *Piger pauper an eleemosynas retineat?*

An pauper fictus teneatur restituere acceptas eleemosynas?

AD hoc quæsitum alii negarunt, alii affirmarunt, alii distinxerunt.

1 Negarunt primi, quòd sint restituendæ eleemosynæ à ficto paupere, ea ratione, quia causa finalis dantis eleemosynam est charitas Dei, impulsiva verò est suppositа paupertas. Sed quando subsistit finalis causa, translatio dominii non impeditur, licèt impulsiva sit falsa. Ita Sotus *de Justit. & Jur. lib.* 9. *quæst.* 7. *propè fin.* ubi dat exemplum de famulo conducto, & ut serviat, eò
2 quia credebatur bonus, qui licèt non sit talis, acquirit dominium mercedis, dummodò serviat. Cum Soto, & aliis plurib DD. tenet Pasqualig. *centur.* 4. *quæst.* 392. nec dissentire videtur Tamburin. [etsi pauperem fictum à peccato non excuset] *lib.* 8. *in Decal. tract.* 4. *cap* 1. *§.* 1. *num.* 3. *in fine.* ubi aliam rationem subdit quia facta per errorem non retractantur, quando subest causa pietatis.

Affirmarunt alii, faciendam esse restitutionem, tùm quia nemini sua fraus, & dolus debet patrocinari. *cap. de literis. de dol. & cont.* tùm quia dans censetur dare eleemosynam sub conditione, si vera sit paupertas, ad eam sublevandam; at ea deficiente deficit consensus dantis, qui involuntarius redditur ex Aristot. *Ethic.* 4. *cap.* 1. Ita ex Vasquez *opusc. de Eleemos. cap.* 3. *dub. ultim. & de Restit. cap.* 7. *dub.* 10. *num.* 93. ac ex aliis Diana *part.* 5. *tract.* 8. *resp.* 21. Quæ in Coordinato est *tom.* 4. *tract.* 7. *res.* 56. *& part.* 8. *tract.* 6. *res.* 109. Quæ pariter in Coordinato est *tom.* 6. *tract.* 7. *resol.* 125.

Distinxerunt alii. Si eleemosyna fuit in mo- 3
dica quantitate, prima sententia est tenenda, quia dans censetur dedisse absolutè pro Christi amore. At si fuit in magna quantitate, secunda opinio habebit locum, nam donans involuntariè, & invitus donavit. Granad. apud Tamburin. *in Decalog. ubi supra.* Busembaum *lib.* 3. *tract.* 5. *de* 7. *Præc. cap.* 2. *num.* 10. Rebell. *de Obl. Just. lib.* 18. *quæst.* 17. *num.* 2. & Bonacina aliis alleg. *tom.* 2. *de Contract. disput.* 3. *quæst.* 1. *p.* 2. §. 2. *num.* 9. *&* 10.

In hoc Quæsito tenendum, quòd fictus pau- 4
per ultra peccatum [vel grave, vel leve juxta quantitatem eleemosynæ acceptæ] teneatur ad restitutionem, ut in terminis docent Emin. Card. de Lugo *Resp. Mor. lib.* 6. *dub.* 17. *& tom.* 2. *de Just. & Jur. disp.* 21. *sect.* 7. *n.* 69. *&* 89. ubi probat, donationes gratuitas in hoc differre à contractibus onerosis, quòd in donatione dolus, etiamsi non versetur circa substantiam, sed solùm circa moti- 5
vum donandi, vitiet donationem; ex qua doctrina deducit, fictionem paupertatis dolosè factam ad extorquendam eleemosynam impedire translationem dominii; cum motivum dandi eleemosynam huic pauperi sit ejus paupertas, qua deficiente deficit etiam voluntas dantis, & ob dantis involuntarium insurgit oblgatio restituendi. Scotus *in* 4. *sent. d.* 15. *quæst.* 2. *art.* 3. Sanchez *de Matrim. lib.* 7. *disput.* 18. *num.* 17. *&* 24. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in* 3. *sent. tom.* 2. *disput.* 23. *num.* 59. *&* 60.

Distinctio autem antedicta de eleemosyna 6
modicæ, vel magnæ quantitatis valet ad demonstrandum, cui sit facienda restitutio? Nam eleemosyna magnæ summæ est restituenda ipsi danti, minimam verò pauperibus dare sufficit; non ex eo, quod dominus abdicaverit à se dominium, sed quia non præsumitur invitus, ut egenis detur. Vasquez *d. Opusc. de Eleemosyna cap.* 3. *dub. ultim. num.* 24. Diana Coordinatus *d. tom.* 6. *tract.* 7. *resol.* 125. *num* 3. & Cardin. de Lugo *d. lib.* 5. *Respons. Moral. dub.* 17. *num.* 1. His confert lepida Historia duorum cæcorum, habentium quingentos aureos repositos in cap- 7
pulis, quas Civis pauperrimus Florentinus summo manè orans in Januis Ecclesiæ ab eis abstulit, sed re delata ad S. Antoninum Archiep Florent. cæcos ascitos reprehendit, tantam summam pecuniæ ex eleemosynis coacervantes, & iisdem quinquaginta quinque aureos dedit, & reliquum pecuniæ dicto Civi adjudicavit tanquam verè pauperi, ut refert P. Menoch. *Nelle Stuore part.* 1. *Centuria* 2. *cap.* 72. his sequentibus verbis.

Un Cittadino Fiorentino si trovava avere alquante Figlie grandi già, e dà marito; e questi per consiglio di S Antonino andava spesso alla devotissima Chiesa dell' Annunciata, & ivi pregava la Santissima Vergine di qual-

qualche ajuto per la sua povera famiglia. Era solito questo buon huomo d' andare per l' ordinario avanti giorno à questa sua devozione; & occorse, che una volta sentì due ciechi, quali erano venuti per mendicare al solito la limosina, che frà di loro conferivano della quantità del denaro, che si trovavano aver raccolto, chiedendo la limosina alla porta di quella Chiesa. Diceva uno di essi: io hò raccolto de buoni denari, & in questo mio Capuccio tengo cuciti fino à ducento Scudi. Et io, diceva l' altro ne hò trecento nascosti in questo capello. Ciò udito dal povero Cittadino, diede di piglio al capello dell' uno, & al capuccio dell' altro; e sartosene padrone ricorse al Santo Arcivescovo per esporgli quello, che passava, e per intendere se poteva interpretare, che la Santissima Vergine tante volte da lui visitata, e supplicata avesse in quella maniera voluto provedere alla grande necessità, nella quale si trovava? Fecesi all' hora S. Antonino chiamare li due Ciechi, & avendoli ripresi della frode, che facevano al popolo, fingendosi poveri, e non essendo tali; dicendo che erano ad un certo modo ladri, & usurpatori di quelle limosine, che à veri poveri di Christo erano dovute, gli esortò, e persuase loro, che avessero per bene, disponesse egli à suo piacere di quel denaro. Al che avendo i Ciechi dato il consenso, lasciò ad uno Scudi venticinque; & all' altro trenta; & il resto lo diede à quel Cittadino, acciò si ajutasse con quella somma per maritare le figliuole.

Fuit secundò quæsitum. *An pauper piger eleemosynas teneatur restituere?* ab omnibus dictum fuit, non teneri, quia licèt sit validus corpore, tamen est verè pauper. Diana Coordinatus *d. tom. 4. tract. 7. resol. 56. num* 4. Tamburin. *in Decal. 6. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 1. num.* 4. Sylvester *Verb. Eleemosyna quæst. 2. num.* 3. Toletus *de Sept. peccat. mort. cap. 31. num.* 1. Porrò contra hujusmodi pauperes pigros, & otiosos, ita scribit Marchantius *in Horto Pastor. lib. 3. tract. 4. lect. 13. in fine: Cum dicat Apostolus, Si quis non vult operari, non manducet: Hi ergo non sunt excusandi, quia scriptum est, in sudore vultus tui vescèris pane tuo; Et de muliere laude digna dictum est, Quæsivit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum. Prov. ultim.* Quod notent, qui Sycophantis doctrinam Christianam declarant.

DECISIO LXXXII.

ARGUMENTUM.

Resolvuntur duo importantes Casus de restitutione facienda à Meretricibus, & de deneganda absolutione divitibus non solventibus Livellos, ac alia debita sua.

SUMMARIUM.

1. *Meretrix an teneatur restituere lucrum sui Meretricii?*
2. *Meretrix turpiter agit, & licitè lucratur.*
3. *Filius familias castrensia, vel quasi castrensia, donare potest.*
4. *Meretrix restituere debet accepta à Religiosis, & filiisfamilias.*
5. *Religiosi de licentia Superiorum Livellos suos pro libito donant.*
6. *Meretricis in confessione quid attendendum?*
7. *Meretrices egenæ excusandæ à restitutione.*
8. *Divites non solventes suos Livellos an absolvendi?*
9. *Debitores ob malam œconomiam non absolvendi.*
10. *Debitoris impotentia tribus regulis mensuranda.*
11. *Confessarii quomodo se gerant cum Nobilibus debita non solventibus?*

MEretrix pœnitens confitetur, tùm à filiis familias, tùm à religiosis plurimas pecunias, tanquam impudicorum actuum mercedem accepisse. Quæritur. An Confessarius debeat eam obligare ad restitutionem? 1

In resolutione præsentis casus, studiosus Clerus noster & concors, & discors repertus est. Concordarunt omnes in eo, quod Meretrix, licèt turpiter agat meretricando, non turpiter agat recipiendo, & ideò tuta conscientia retinere possit accepta ex turpi quæstu. *cap. Venatoribus,* & ibi Glossa *dist. 86.* Glossa *in cap. Ex transmissa. de Decian. l. 4. §. 1. ff. de condit. ob turp. caus.* S. Thomas 2. 2. *quæst. 32. art. 7.* Navarrus *in Man. cap. 17. num. 342.* Diana *part. 2. tract. 16. resol. 38.* Quæ in Coordinato est *tom. 8. tract. 7. resol. 59.* ubi DD. & Anton. Volpi *in Resolut. Moral. Resolut. 33. num.* 1. 2

Discordes verò fuerunt circa obligationem restituendi acceptam mercedem à filiis familias, & Religiosis; nam alii affirmarunt, Meretricem esse obligandam restituere, [nisi filius familias dedisset de bonis castrensibus, vel quasi] Cardin. Toletan. *lib. 5. cap. 19.* Sanchez *in Decal. lib. 7. cap. 19. num. 30.* Donat. *de Regularib. tom. 4. tract. 15. quæst. 26.* Lauret. *de Franch. part. 1. num.* 103. Ricciull. *de Meretricib. lib. 2. cap. 33. num. 28.* Layman. *lib. 4. tract. 5. cap. 7.* Volpi *dict. resol. 33. num.* 4. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 2. disput. 23. num. 50. & num. 115.* 3 4

Alii tamen negarunt, tùm respectu filii familias, eò quia vel à Patre aliqua summa pecuniæ suo arbitrio expendenda solet relinqui, Molin. *de Justit. tract. 2. disput. 242.* vel quia datum Meretrici per filium familias est ab ipso computandum in sua legitima. *l. Omnimodò. §. Imputari, & l. Scimus. §. repletionem. C. de inofficios. test.* Mangilius *de Imputationib. quæst. 43.* Molin. *de Justit. dict. disput. 242.* Joan. de Carval. *de Quarta, & legitima part. 4. cap. 1. à num. 257. & seqq.* Sylvest. *Verb. Peculium. 2 quæst. 9.* & Navar. *in Man. cap. 17. num.* 164. Tùm respectu Religiosi, qui cum habeat licentiam à suo Prælato expendendi Livellum domus paternæ, vel acquisitam pecuniam ex concionibus, vel lectionibus ad sui placitum, vel etiam assignationem pro Vestiario, quam solvit Conventus, validè donat, vel solvit mercedem meretrici; ut in puncto tenent Diana *part. 10. tract. 14. Resolut. 4.* quæ in Coordinato est *tom. 7. tract. 3. resolut. 63. num. 3. & part. 11. tract. 2. Resolut. 56.* quæ in Coordinato est *tom. 8. tract. 7. Resolut. 58.* Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. tom. 1. disput. 3. num. 142.* Salas *de Ludo dub. 21.* Rebellius *de oblig. Justit. part. 2. lib. 12. quæst. 4. num. 6.* Bordon. *de Paupert. Religiosa cap. 17 num. 34. cap. 21. num. 25. & cap. 24. num. 30.* ubi alios DD. cumulat. Idem Bordon, *Var. Resolut. part. 1. Resolut. 43. num. 46. 47. ac 71.* & Pellizar. *in Manual. Regular. tom. 1. tract. 4. cap. 2. num* 347. ac de Monialib. *cap. 6. num. 31. Vers. Addo hic obiter.* 5

Affirmantium opinio procul dubio probabilior est, & securior; at non est prorsùs rejicienda negantium, ad levamen Confessariorum, qui nimis angustarentur, nisi à restitutione meretrices pœnitentes excusare possent. Non semel earum plures ad pedes meos peccata plorantes habui; quas idem esset in desperationem adigere, ac ad restituendum compellere. Fateor, anxium hac de causa valdè extitisse, sed negantium opinionem secutum, tùm quia Canonistæ concedunt, dari posse Regularibus à 6

Con-

Conventu certam summam pecuniæ pro victu, & vestiario, quam pro libito expendant. Navarrus *Comment. 3. de Regular. num. 27.* Graff. *1. part. decis. lib. 3. cap. 5. num. 55.* Sanchez. *in Decal. lib. 7. cap. 22. num. 14.* & Ascan. Tamburin. *de Jure Abbatum tom. 2. disput. 22. quæst. 16.* tùm etiam quia notorium est in hac civitate publicas meretrices inopes, ac miserrimas spiritualibus æquè, ac temporalibus bonis extare; ideòque earum
7 paupertas, & impotentia à restitutione mercedis habitæ à filiis familias, seu Regularibus excusant. Rebell. *lib. 2. de restitut. quæst. 17. num. 21.* Thom. Tamburin. *in Decalog. lib. 8. tract. 4. §. 9. num. 2.* Card. de Lugo *tom. 1. de Just. & Jur. disput. 21. sect. 1.* & Bordon. *dict. Resol. 43. num. 71.*

Subindè fuit propositus alter casus frequens in praxi, tenoris hujusmodi.

8 *Vir nobilis in Confessione se accusat, Livellos, & alias annuas Pensiones difficillimè solvere, adeò ut pluribus creditoribus eas debeat à decennio. Quæritur. An, & quomodo sit capax Absolutionis?*

Dixere: distinguendum esse. Si laboret inopia, & sit impotens ad solvendum, esse absolutionis capacem, ex D. D. proximè allegatis in fine primi casus, adstipulantur Comitol. in *Resp. Moral. lib. 4. quæst. 31.* Bonacin. *de contr. tom. 2. de restitut. disput. 1. quæst. 6. per totam.* Gobat. *de Sacram. tract. 7. num. 561.* Sufficit enim propositum solvendi, cum potuerit. Card. Tolet. *lib. 3. cap. 17. num. 3.* Navar. *in summ. cap. 17. num. 57.* Card. de Lugo *de Just. tom. 1. disput. 21. in princip.* & Eminentiss. Card. de Lauræa *dict. tom. 2. de Virtutib. in genere disput. 23. num. 222. & seqq.* Quod si ex mera negligentia, vel ex defectu
9 voluntatis, aut malæ œconomiæ difficillimè solvat, non est absolvendus; quia continuat in peccato mortali, prævaricando contra præceptum de non detinendo bona aliena, quod est simile illi de non accipiendo: ex quibus procedit præceptum restituendi; detentio autem est continuata acceptio. Eminentiss. Card de Lauræa ubi proximè *num. 224.*

Porrò elaborarunt plurimum in danda regula cognoscendi legitimam impotentiam debitoris
10 ad solvendum. Sed restringendo quæ scripta comperi, tria sunt observanda. *Primum.* Si restitutio non solùm redigeret debitorem ad extremam necessitatem, sed etiam destrueret honestum statum suæ familiæ; tunc debitor absolvi potest, dilata restitutione, cum ad pinguiorem fortunam venerit; dummodò creditor non sit in pari necessitate, & status conditione, quia in tali casu creditor est præferendus. *Secundus,* si necessitas debitoris sit gravior, necessitas verò creditoris sit levior, potest differri solutio; & multò magis, si ex ea resultaret debitori periculum propriæ famæ, vel notabile damnum Reipublicæ. *Tertium,* Vir nobilis, qui asserit, se non posse solvere sua debita, ne cogatur descendere à suo statu solenni, & pomposo, restringendo scilicet numerum famulorum, equorum, conviviorum, & similium expensarum, absolvi non debet, quia hanc pompam, & solennitatem debet profiteri ære proprio, non autem alieno. Ita ex Card. de Lugo *d. tom. 1. de Just. d. disput. 21. sect. 1.* Comitol. *d. lib. 4. quæst. 31.* Navar. *in sum. cap. 17. &* num. 55. & Eminentiss. Card. de Lauræa *d. disput. 23. art. 5. per totum.*

Caveant igitur Confessarii, nè faciles sint in ab- 11
solvendis debitoribus, qui solvere per plures annos distulerunt suos Livellos, & annuas pensiones; & notent monita Card. Toleti *d. lib. 3 cap. 17. num. 3.* & Possevini *de Offic. Curati cap. 15. num. 36. §. Impossibilitas;* nec non Jacobi de Graffiis *Decis. Aur. part. 1. lib. 2. cap. 132. num. 43.* qui hortantur Confessarios esse constantes, & audaces in neganda absolutione morosis debitoribus; & jure quidem tùm favore creditorum, qui languescere coguntur, præcipuè Religiosi, Monasteria, & loca pia; tùm respectu animarum eorundem debitorum, quos, estò verè pœniteat negligentiæ, atrox pœna aduret in Purgatorio; juxta exempla relata à Matre Francisca de SS. Sacramento Carmelita Discalceata in libro Apparitionum animarum Purgatorii cum observationibus Episcopi Osinen *impresso Venetiis anno 1680. num. 9. 13. & num. 146.* ubi exempla moderna, & terribilia, quæ Parochos legisse juvabit, & populum, si eidem referentur.

DECISIO LXXXIII.

ARGUMENTUM.

Quid, & Quotuplex sit Prudentia? Quæ ejus munia? Quæ virtutis Prudentiæ partes integrantes? Quale ejus Objectum? Subjectum? Quæ vitia Virtuti Prudentiæ opposita?

SUMMARIUM.

1. *Prudentia quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Prudentiæ munera tria. Et quæ?*
4. *Epicheja quid sit?*
5. *Prudentiæ partes integrantes octo. Et quæ?*
6. *Prudentiæ subjectum quale?*
7. *Prudentiæ quæ sint vitia adversantia?*

SCire oportet, *Prudentiam* tanquam virtutem 1
in genere sumptam, *esse cognitionem rerum appetendarum, & fugiendarum.* Ex S. Thom. *2. 2. quæst. 47. art. 1.* Ciceron. *l. de offic.* Calepin. *Verb. Prudentia.* Alii, *quod sit habitus cum vera ratione activus circa ea, quæ bona, vel mala homini sunt, in quantum homo est.* Ex Aristot. *6. Ethic. cap. 5.* & ibi Sylvest. Maurus *num. 4.* Emanuel. Thesaur. *in Moral. Philos. lib. 17. cap. 10.* Fagnan. *in cap. Ne imiteris, num. 66. De Constit.*

Plures autem divisiones Prudentiæ fuerunt 2
adductæ. *Prima* quod alia sit Prudentia Virtuosa, alia similitudinaria (quæ non est Virtus, sed naturalis quædam habilitas tàm in homine, quàm in brutis) alia Prudentia Carnis, quæ est astutia, seu calliditas ad male agendum, ex Apostol. *ad Roman. 8.* & Aristot. *6. Ethic. cap. 12. Secunda,* quod prudentia, tanquàm Virtus, alia sit Philosophica, alia Christiana. Illa respicit media felicitatis humanæ; ista supernaturalis, & æternæ. Eminentiss. Card. de Lauræa *dict. tom. 2. in 3. lib. sent. disput. 10. num. 42. Tertia,* quod Prudentia Philosophica vel sit *Monastica,* quæ dirigit ipsum prudentem, vel *Oëconomica,* quæ residet in Patrefamilias, vel *Politica,* quæ spectat ad Regem, & principem, & hæc subdividitur in *Legislatricem,* quatenùs procurat bonum regni tempore belli. S. Thom. *2. 2.*

quæst. 47. *art.* 10. 11. & 12. Gonet. *in Clyp. Theol. Thomist. tom.* 4. *tract.* 11. *disp.* 1. *art.* 1. & 2. Sylvest. Maurus *in Arist.* 6. *Ethic. cap.* 8. Eques Thesaur. *in Phil. Mor. dict. lib.* 17. *cap.* 12. 13. & 14. Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom.* 2. *disput.* 12. *num.* 44.

Tria autem munera fuerunt Virtuti prudentiæ assignata. Unum *Eubulia* seu bona consultatio de agibili, seu mediis ad finem consequendum, non de necessariis, & impossibilibus aliter se habere, sed de contingentibus, & incertis, imò etiam de opinione tàm objectiva, quàm formali eligenda, dum de agibili non habetur scientia. Alterum *Synesis*, id est bonum judicium, nam post consultationem Vir prudens debet judicare, quod est optimum in agibilibus. Tertium *Gnome*, sive Recta ratio, seu Præceptum; dum post consilium, & judicium de bonitate mediorum ad agendum, Prudentia præcipit, ita esse faciendum; & quamvis præcipere spectet ad voluntatem, cujus est imperare, id tamen procedit de libero imperio per modum dominii, secùs de imperio per modum judicii, ac regulæ directivæ, quod pertinet ad intellectum, in quo residet Prudentiæ Virtus; licèt enim Intellectus in genere obsequii, ac dominii obediat voluntati, & ei serviat; nam voluntas refragari potest, & sæpè refragatur rectæ rationi, & regulæ intellectus; tamen intellectus in genere regulæ præcipit voluntati. Igitur *Gnome*, seu Præceptum, & recta ratio est certum munus Virtutis Prudentiæ, dum discernit secundum leges; quod si adstringatur, legem declarare ex aliqua circumstantia, vel corrigere, vocatur *Epicheja*. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 51. *art.* 4. Sylvest. Maur. *in dict. lib.* 6. *Ethic. cap.* 9. 10. & 11. Laym. *lib.* 3. *Sect.* 4. Gonet. *d. tom.* 4. *tract.* 11. *disput.* 1. *num.* 8. Emanuel Thesaur. *Philos. Mor. lib.* 16. *cap.* 4. *& lib.* 17. *cap.* 16. latè, doctè, ac subtiliter Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom.* 2. *disput.* 11. *& disp.* 12. In quibus tractat materiam probabilitatis opinionum, & docet, quando adhærendum sit probabiliori relicta probabili, & tutiori, relicta minùs tuta.

Partes integrantes Virtutis Prudentiæ sunt octo; scilicet *Memoria, Intelligentia, Docilitas, Solertia, Ratio, Providentia, Circumspectio, & Cautio.* Ejusdem autem Virtutis Objectum materiale remotum sunt agibilia, proximum Virtutes morales, in quibuslibet agibilibus; Formale verò objectum Virtutis Prudentiæ est veritas bonitatis actuum virtutum, affectuum, ac passionum; eò quia objectum formale intellectus non solùm est Verum, sed Verum Bonum, de utroque enim judicat Intellectus, aliàs Voluntas non posset bonum prosequi, cum ipsa non feratur in incognitum; præterquam quòd intellectus tendit in idem ens, in quod Voluntas, sed hæc sub ratione boni, ille sub ratione veri. Gonet. *dict. disput.* 1. *art.* 2. & Eminentiss. Card. de Lauræa *ubi supra disput.* 13. *per totum.*

Subjectum immediatum Virtutis Prudentiæ est intellectus: adæquatum verò est homo, tàm Superior, quàm subditus, tàm Viator, quàm Beatus, ac etiam Angeli in cœlo. Eminentiss. Card. de Lauræa *ibid. disp.* 14.

Vitia tandem opposita Virtuti Prudentiæ, alia sunt ex defectu; scilicet *Præcipitatio, Temeritas, Inconsideratio, & Inconstantia*; alia ex excessu, nempè *Astutia prava*, seu *Calliditas, Solicitudo superflua circa temporalia, Fraus, & Dolus malus.* De quibus plenè S. Thom. 2. 2. *quæst.* 53. *quæst.* 54. *& quæst.* 55. Eman. Thesaur. *d. lib.* 17. *cap.* 15. ubi plura exempla histor. Eminentiss. Card. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 46. Layman. *dict. lib.* 3. *sect.* 2. & Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom.* 2. *disput.* 17.

DECISIO LXXXIV.

ARGUMENTUM.

Agitur de restitutione damni ob homicidium; & quomodo sit definiendum pretium rei furto ablatæ, restituendum Domino?

SUMMARIUM.

1. *Homicidæ, ac percussores, quid & quantum restituant?*
2. *Hæredes homicidarum quando teneantur ad restitutionem?*
3. *Restitutio quorum expensis sit facienda?*
4. *Possessor bonæ fidei an restituat rem suis expensis?*
5. *Debitor ex contractu ubi rem restituat?*
6. *Pretium maximum, vel medium, aut minimum rei an sit restituendum?*
7. *Distinctio circa restitutionem pretii rei furto ablatæ.*
8. *Casus sex pro dicta restitutione attendendi.*
9. *Arbitrium boni viri attendendum in rebus dubiis.*
10. *Aliud pro alio invito creditore solvi non potest.*
11. *Pretium loco rei extantis quando solvi liceat?*

AD Primum Quæsitum, *Quid sit restituendum pro homicidio, mutilatione, vel percussione?* Dictum fuit, esse restituenda omnia damna spiritualia, civilia, & realia, quæ ex homicidio, mutilatione seu percussione proveniunt ipsi occiso, vel mutilato, vel percusso, ac ejus familiæ. Damna spiritualia sunt, si E. g. occisio impedivit, ne fierent sacrificia, & suffragia determinata ab occiso, nam occisor ea supplere debet. Civilia sunt, si ex percussione læsus fuit honor, aut fama occisi: nam & ad honorem, & famam restituendam percussor tenetur. Realia sunt, tùm expensæ in medicinis, tùm cessatio lucri ex negotiatione, arte, aut opificio proventuri ipsi occiso. vel mutilato, aut percusso; circa cujus lucri futuri taxationem plures regulæ dantur à DD. respectu incertitudinis tùm vitæ humanæ, tùm negotiorum, quas videre oportebit in praxi apud Molinam *de Just. & Jur. tract.* 2. *disput.* 155. *& seqq.* Julium Clarum §. *Homicidium, & §. ult. quæst.* 15. Petr. Navarra *lib.* 4. *de Restit. cap.* 1. Summ. Dianæ *Verb, Restitut. à num.* 24. *& seqq.* Rebell. *de oblig. Just. libr.* 3. *quæst.* 11. *& seqq.* Layman. *libr.* 3. *tract.* 3. *par.* 3. *cap.* 6. Eminentiss. Card. de Lugo *de Just. & Jur. tom.* 1. *disput.* 11. & Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom.* 2. *in* 3. *lib. Sent. disput.* 23. *art.* 8. *per totum:* qui omnes notant, hujusmodi obligationem restituendi transire etiam ad hæredes, quando occisio, mutilatio, vel percussio fuit cum culpa.

Ad Secundum Quæsitum. *Cujus expensis sit facienda restitutio?* Tres casus distinxerunt. Primus

mus est, Si restitutio sit debita ex delicto, videlicet ex furto, usuris, injusta læsione, vel damnificatione, vel ex culpabili mora, in hoc casu restitutio est facienda expensis debitoris. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. tom.* 1. *disput.* 20. *sect.* 8. *§.* 1. detractis tamen illis expensis, quas dominus rei feciſſet, si rem debitam ad locum, ubi habitat, transvexiſſet. Sed quid dicendum, si in re restituenda majores expensæ faciendæ forent à debitore, quàm res ipsa valeat? Pugnant DD. nam alii asserunt, pretium rei pauperibus, vel cognatis creditoris esse tradendum, quia justitia distributiva, cujus est æqualitatem servare, non videtur velle, ut pro re minima expensæ maximæ fiant à debitore, etiam reluctante creditore, qui irrationabiliter censetur invitus; non enim justitia debet destruere charitatem, quæ est finis omnium virtutum. Sylvester *Verb. Restitutio* 4. *quæst.* 4. Molina *tom.* 3. *disput.* 752. *num.* 5. Lessius *cap.* 15. *dub.* 8. Bonacina *de Restit. disput.* 1. *quæst.* 5. *num.* 5. Alii tenent, omnino rem esse restituendam creditori, seu domino, quibuscunque expensis non obstantibus, ad quas debitor se obligavit ex proprio delicto; est enim magis æquum, ut delinquens patiatur damnum illud expensarum, quàm creditor innocens amissionem rei suæ; quare laudatus Zacchæus, qui de se dixit, Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. *Luc.* 19. Navar. *cap.* 17. *num.* 43. Covaruv. *in Reg. Peccatum part.* 1. *num.* 7. Vasquez *de restit. cap.* 10. *dub.* 1. quos refert Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 20. *sect.* 8. *num.* 184. qui *num.* 185. ab hac secunda opinione tanquàm nimis rigorosa discedit, & nonnullis traditis regulis ad dimetiendum damnum debitoris, & Creditoris docet, quod si expensæ debitoris in restitutione facienda non excedant duplum damni, quod patitur creditor, expensæ sint prorsùs faciendæ à debitore, secùs autem si debitoris damnum sit duplo majus. Concludit tamen, multum prodesse posse debitori præsumptam creditoris voluntatem, in decernendo, & credendo ad effugiendas magnas expensas, rem ipsam, seu ejus pretium restitui pauperibus, seu consanguineis ipsius creditoris.

Secundus casus est, quando res non est debita ex delicto, eò quia debitor inculpabiliter eam
4 habuit, & est bonæ fidei possessor; & omnes concordant, restituendam esse expensis creditoris, qui imò tenetur refundere expensas factas à debitore in re custodienda. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disp.* 20. *sect.* 8. *§.* 2. Thom. Tambur. *in Decal. lib.* 8. *cap.* 1. *§.* 8. *num.* 6. & 7.

Tertius casus est, si res debita sit ex contractu, nempè ex mutuo, commodato, depositio, emptione, & similibus; & in hoc varii varia dicunt, ut videre est apud Vasquez *de Restit. cap.* 10. *num.* 2. Bonacina *d. disput.* 1. *quæst.* 5. *num.* 13.
5 & Molina *d. disput.* 752. Sed verior opinio est, quòd si à principio non fuit designatus locus, in quo debitor solvere debeat, vel rem restituere, saltem tacitè, & præsumptivè debeat suis expensis solutionem facere, vel restituere rem in loco, in quo ei res fuit tradita; & ratio est, quia quocunque alio loco solutio, seu restitutio fiat, deficeret æqualitas contractus, & vergeret in majus detrimentum vel creditoris, vel debitoris. Tamburin. *dict. lib.* 8. *in Decalog. cap.* 1. §. 8. *num.* 13. Eminentiss. Cardin. Toletus *lib.* 5. *cap.* 25. *num.* 3. & Cardin. de Lugo *d. disput.* 20. *sect.* 8. *§.* 3. *num.* 199. & 200. ubi plures illationes ad alios casus.

Sed quid respondebit Confessarius ad sequentem casum?

Rusticus confitetur in Paschate, se furatum mense Augusto frumenti modium unum, quod tunc valebat Ducatos octo. At mense Decembre valuit Ducatos duodecim. Nunc valet Ducatos decem. Quæritur, quæ summa sit ei injungenda, ut restituat?

Fuerunt relatæ tres opiniones Doctorum. 6
Prima, quod sit restituendus valor maximus, id est ducati duodecim, absque alio discrimine, quia quando auctus fuit valor tritici, illud erat domini, & fur tenebatur cum illo augmento tunc restituere, à qua obligatione nunquam fuit liberatus. Ita Navar. *cap.* 17. *num.* 26. Vasquez *de Restitut. cap.* 5. §. 1. *dub.* 12. *num.* 78. Sylvest. *Verb. Furtum, quæst.* 16. Angelus *Verb. Furtum* 844. *Secunda,* quod sit restituendus valor illius temporis, quo dominus erat venditurus, vel consumpturus triticum, & ideò si fur pluris illud vendidisset, posset sibi retinere ipsum plus, eò quia Dominus non censetur damnificatus in illo pluri. Bonacina *tom.* 2. *de Restit. in gen. disput* 1. *quæst.* 3. *punct.* 11. *num.* 9. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resolut.* 51. Quæ in Coordinato est *tom.* 8. *tract.* 7. *resolut.* 9. *Tertia,* quod vertente dubio circa tempus, quo dominus erat venditurus, vel consumpturus triticum, sint restituendi duodecim Ducati, juxta majus pretium mensis Decembris; quia in dubio melior est conditio innocentis, in ejusque favorem inclinandum. Vasquez *de Restit. d. cap.* 5. §. 1. *dub.* 12. *num.* 77. & Lessius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 16. *num.* 109.

Cæterùm doctiores nostri Cleri neutri ex his opinionibus acquieverunt; non primæ, & tertiæ, quia nimis rigorosæ; non secundæ, ut nimis laxæ. Et quia Quæsitum est permolestum, & illud permolestius reddidere tot Doctorum opiniones, ut dicit Thom. Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *cap.* 1. §. 7. *num.* 3. pro recta resolutione distinxerunt, dicentes: Vel Triticum adhuc existit apud rusticum furem tempore Paschatis, dum confitetur, quia illud neque vendidit, neque consumpsit, vel ampliùs non existit, quia jam illud consumpsit, vel alienavit.

Si existit, considerentur duo casus: *Primus casus.* 7
Si dominus erat venditurus, vel consumpturus ipsum triticum vel mense Augusto, vel hoc tempore Paschatis, tenetur rusticus restituere hoc eodem tempore ipsum modium tritici, vel ipsam summam Ducatorum decem. *Secundus casus.* Si dominus erat venditurus, vel consumpturus triticum mense Decembri, non sufficit, si nunc, tempore Paschatis rusticus restituat modium tritici furto ablati, sed ulteriùs debet restituere duos ducatos ad perficiendum valorem mensis Decembris, quia cum dominus illud non habuerit eo tempore, fuit damnificatus à rustico in dicta summa. *DD. infra allegati in quinto Casu.*

Si triticum non existat, eo quia jam fuit à 8
fure consumptum, vel alienatum, Sex casus sunt considerandi. *Primus casus.* Si rusticus consumpsit triticum mense Augusto, & eodem tempore dominus erat illud consumpturus, sufficit restituere ducatos octo. *Secundus casus.* Si consumptum, vel alienatum fuit triticum, seu venditum (quod idem est) à rustico fure mense Decembri, & eodem tempore illud dominus vendidisset,

vel consumpsisset, debet restituere Ducatos duodecim. *Tertius casus.* Si consumptio, alienatiove tritici à rustico facta sit tempore Paschatis, ad quod usque tempus dominus erat illud servaturus, sufficit restituere Ducatos decem. In his tribus casibus omnes DD. conveniunt, & nulla est difficultas, quia cum tantundem esset habiturus dominus, si rusticus ei triticum furatus non fuisset, & tantundem habuerit rusticus alienando, vel consumendo triticum, restituenda est summa valoris tempore consumptionis, ut dictum est, in quocunque casu. *Quartus casus.* Si rusticus vendiderit triticum mense Decembri Ducatis duodecim, vel eo mense illud consumpserit, at dominus esset illud venditurus, aut consumpturus mense Augusto, vel in Paschate; in hoc casu rusticus obligandus est restituere summam ducatorum decem. Ita est tenendum contra Bonacin. & Dian. relatos in secunda opin. ea ratione, quia, quo tempore fur consumit triticum furto ablatum, vel vendit, ex eo remanet debitor illius pretii. Igitur si ante minùs valebat, vel si postea decrescet pretium, debet restituere totum illud, quod ipse habuit, ne ex sua mora culpabili in restituendo, lucrum captet, Rebell. *de oblig. Justit. part. 1. lib. 2. quæst. 6. num. 5.* Eminent. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. tom. 1. disput. 18. num. 128.* *Quintus casus*, Si rusticus vendidisset triticum octo ducatis mense Augusto, at dominus fuisset servaturus usque ad Mensem Decembrem, debet ei restituere Ducatos duodecim; aut si usque ad tempus Paschatis dominus servavisset, ducatos decem tenetur restituere, quia est communis Doctorum sententia, quando res furtiva non existit, tantum esse restituendum, quantum valeret tempore, quo dominus vendidisset, vel consumpsisset, ne jacturam sentiat ex delicto alterius, & à damno, quod patitur, sublevetur. Thom. Tamburin. *dict. lib. 8. in Decal. cap. 2. §. 7. num. 6. & 7.* Bonacina *dict. tom. 2. de Restit. in gener. disput. 1. quæst. 3. punct. 11. num. 4.* ubi aliam rationem subdit, videlicèt, restitutionem faciendam esse ad æqualitatem damni domino illati. Layman. *dict. lib. 3. tract. 2. cap. 4. num. 7.* Molina *tom. 3. disput. 725. num. 6.* Rebell. *de oblig. Just. dict. part. 1. lib. 2. quæst. 6. num. 4.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 18. num. 121.* *Sextus casus.* Si verò dubium sit, & versemur in incerto, quo scilicèt tempore dominus esset venditurus triticum, vel consumpturus, neque id ex conjecturis liquidari possit, tunc rusticus restituere debet pretium medium, id est ducatos decem; incertitudo enim admittit aliquam diminutionem, & si dominus potuisset vendere triticum pretio magno, potuisset etiam vendere pretio infimo, ut ex Turrian. & Lessio firmat Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. tom. 1. de Justit. & Jur. disput. 18. num. 133.* Diana *part. 1. tract. 8. resolut. 17.* Quæ in Coordinato est *tom. 6. tractat. 3. resolut. 18. & part. 2. tract. 17. resolut. 52.* Quæ in Coordinato habetur *tom. 8. tract. 7. resolut. 10.* & Coton. *in Sum. Dian. Verb. Restitui num. 7.*

Tandem corollarii loco notarunt studiosi nostri, non esse credendum domino asserenti, se voluisse servare triticum ad tempus majoris pretii, sed recurrendum esse ad conjecturas, & ad arbitrium boni viri, ut admonet idem Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 18. num. 135.* 9

Sequens casus satis curiosus est: *Petrus abstulit ex amici Musæo historiarum librum, quem retinere cupit, soluturus clam pretium ejus amico. Quæritur, An tuta conscientia possit?*

Omnes respondere negativè, nam aliud pro alio invito creditore solvi non potest. *l. 2. §. mutui datio. ff. si cert. pet. l. Manifesti. l. Eum, qui; & l. Eum, à quo. C. de Solut.* Graff. *part. 1. lib. 2. cap. 130. num. 1.* Summa Diana *Verb. Restitur. num. 1.* Et libri ablati dominium remanet apud amicum; quod autem nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest. *l. Id, quod nostrum. 11. ff. de Reg. Jur.* Tomasett. *in Flor. leg. regul. 280.* Thom. Tamburin. *lib. 8. in Decal. cap. 3. §. 1. num. 4.* ubi DD. allegat, docentes, creditorem habere jus Justitiæ non solùm ad rem, & valorem rei; sed etiam ad eandem suam rem consequendam: & Diana *part. 10. tract. 13. & misc. 3. resolut. 44.* Quæ in Coordinato legitur *tom. 7. tract. 1. resol. 223.* Porrò tres limitationes dantur ad hanc responsionem: *Prima*, si res sit deperdita, vel alienata. *Secunda*, si valdè sit deteriorata. *Tertia*, si sequeretur manifestatio furis, vel aliquod grave inconveniens. Graff. *dict. part. 1. lib. 2. cap. 130. num. 1.* & ibi Sot. & Navar. Cardin. Tolet. *lib. 5. cap. 22. num. 1.* 11

DECISIO LXXXV.

ARGUMENTUM.

Docet hæc Decisio, Quid, & Quotuplex sit Justitia? Quale Objectum, ac Subjectum Justitiæ? Qui Justitiæ effectus? Quæ vitia Justitiæ opposita?

SUMMARIUM.

1. *Justitia appellatione quæ, & quot significentur?*
2. *Justitia undè dicatur?*
3. *Justitiæ definitio.*
4. *Ejus multiplex divisio.*
5. *Commutativa Justitia quænam sit?*
6. *Distributiva quæ?*
7. *Vindicativa quæ sit?*
8. *Objectum materiale, ac formale Justitiæ quodnam sit?*
9. *Subjectum ejusdem Virtutis quale sit?*
10. *Justitia an sit inter Deum, & homines?*
11. *Justitiæ Commutativæ effectus.*
12. *Fructus rei alienæ à bonæ fidei possessore an restituendi?*
13. *Superiorum Ecclesiasticorum obligatio circa Justitiam distributivam.*
14. *Dignitas personarum pro beneficiis, in quibus consistat?*
15. *Vindicativa Justitia quomodo mensuranda?*
16. *Vitia contra Justitiam quæ, & quot?*

SCire oportet: Appellatione *Justitiæ* vel significari gratiam sanctificantem juxta illud *Psalm. 16. Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo.* Vel sanctitatem ex ipsa gratia provenientem, de qua illud *Matth. 5. Beati, qui esuriunt, & sitiunt Justitiam.* Vel contineri Præcepta legalia, de quibus dicitur *Psalm. 18. Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda.* Vel quamcunque Virtutem moralem, ut intellexit Apostolorum Princeps in illis verbis *1. Petr. 3. 14. Si quid patimini propter justitiam, beati.* Vel denique Virtutem Cardinalem, quæ proprio nomine appellatur JUSTITIA, à Verbo *Jubeo*, eò quia legalis Justitia jubet, & leges pro æquitate facit: vel à Verbo Justum, nam hæc virtus unicuique reddit justum, & æquum. 1 2

Ita-

Itaque de hac Justitia Virtute Cardinali datæ
3 fuerunt sequentes definitiones 1. *Justitia est Virtus, qua singuli sua secundum leges possident.* Et est Arist. *lib.* 1. *Rheror.*

2. *Justitia est æquitas, jus unicuique retribuens, pro dignitate cujusque.* Et est Ciceronis *lib.* 3. *Rheror.*

3. *Justitia est constans, & perpetua voluntas, jus suum unicuique tribuens.* & est Ulpiani *in l. Justitia. ff. de Justit. & Jur.*

4. *Justitia est rectitudo Voluntatis propter se servata ad alterum,* & est Scoti *in* 4. *sent. dist.* 46. *quæst.* 1. Dicitur *ad alterum,* quia propriè Justitia respicit æqualitatem, quæ cum altero debet esse; quamvis possit esse etiam cum seipso, tàm Distributiva, undè alienorum munerum distributor in pauperes, vel benemeritos, potest sibi ipsi dare, si pauper sit, vel benemeritus; quàm Vindicativa; ut in peccatore se flagellante in pœnam peccatorum. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *infr. cit. disput.* 28. *num.* 117. 118. 119.

4 Dividitur Justitia Virtus Cardinalis in generalem, ac particularem. Illa est, quæ consideratur in Principe, & respicit felicitatem Reipublicæ, & consistit in æqualitate munerum, & onerum relata ad subditos: quæ quidem æqualitas non est simpliciter rei, seu rerum, sed rationis, quatenùs regulatur à recta ratione: ideòque Distributiva majora præmia dat nobilibus, majores gradus, seu dignitates, quàm plebejis; quia nobilitas à recta ratione pluris æstimatur. Vindicativa compensat injurias majori, vel minori pœna juxta qualitatem personarum dictante ratione. Commutativa æquat pecuniam mercibus, non attenta re tantùm, sed secundùm rectam rationem juxta abundantiam, vel penuriam regionum, vel temporum.

Particularis Justitia, & Cardinalis Virtus est illa, quæ concernit bonum privatorum, & est triplex,
5 *Commutativa, Distributiva, & Vindicativa.*

Justitia *Commutativa* est Virtus inclinans ad dandum cuique æquale in commutationibus; & hæc præcipuè versatur in contractibus, commerciis, & negotiis humanis, ac semper exigit contrapassum, id est, ut quis tantum recipiat, quan-
6 tum dat alteri.

Justitia *Distributiva* est Virtus, quæ dat unicuique munera, & honores pro æqualitate meritorum, videlicèt non juxta arithmeticam proportionem, ut facit Justitia Commutativa, sed juxta geometricam, nempè quam dictat recta ratio, ut dictum est supra.

7 Justitia *Vindicativa* est Virtus, ac facultas residens in Superiore tàm Clerico, quàm Seculari, puniendi delicta sivè per se, sivè per judices delegatos pro foro externo, pœnis per leges taxatis, quibus satisfit tùm parti offensæ per compensationem damni, tùm communitati, dum homines deterrentur à similibus.

8 Objectum materiale omnis Justitiæ, vel est remotum, & comprehendit res omnes, quæ personis debentur, vel proximum, & est complexum ex re ipsa, & volitione interna, ac externa eam dandi, cui debetur.

Objectum formale Justitiæ est Justum & æquum cuique debitum sivè in rebus, sivè in actibus.

9 Subjectum Justitiæ est voluntas, non autem intellectus; hujus enim est judicare, & indicare æqualitatem, at ad voluntatem spectat illam, cui debetur, dare, & in hac datione consistit Justitia. Ideò hæc Virtus consideratur, & subjectatur in quocunque habente liberam voluntatem, tàm in hominibus, & Angelis, quàm in ipso Deo, ita tamen, ut Justitia Dei erga homines non sit simpliciter Justitia, sed secundum quid, nam ex Arist. *lib.* 1. *Ethic. cap.* 11. domini ad servum non est Justitia, quia nec æqualitas. Unde Apostolus *Roman.* 11. ℣. 33. ait: *Quis prior dedit Deo, aut re-* 10 *tribuetur ei, quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia?* Verè etenim omnia sunt Dei dona, Ecclesia confitente, quæ dicit: *Deus, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè, ac laudabiliter serviatur. Dominic.* 12. *post Pentec.* Igitur Justitia est in Deo erga nos, non tanquàm habitus, sed ipsamet Dei voluntas recta, unicuique reddens secundùm exigentiam meritorum, & condecentiam ipsius voluntatis Divinæ, quæ non est capax accidentium; cum ea omnia, quæ in ipso concipiuntur per modum habituum, ut Misericordia, Charitas, Clementia, sint ipsamet Divina Voluntas, seu Essentia, potens ejusmodi perfectionum actus elicere circa homines; & propterea dicimus, eminenter in Deo esse Virtutes, quæ appellantur exemplares, non formales, id est habitus Virtuosi. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom.* 2. *disput.* 20. *num.* 7.

Effectus Justitiæ Commutativæ est obligare 11 ad restitutionem in conscientia, & ante Judicis sententiam quemlibet detentorem rei alienæ vel physicè, vel moraliter, id est cooperatores illius injustæ detentionis, qui his versibus continentur.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, non Obstans, non manifestans.

Et non solùm rei alienæ detentor tenetur eam 12 restituere, sed etiam damna, quæ domino obveniunt ex injusta detentione, ac etiam fructus, nisi fuerit bonæ fidei possessor, qui si durante bona fide compleverit præscriptionem, non tenetur ampliùs ad ullam restitutionem.

Effectus Justitiæ Distributivæ est, ut Superio- 13 res distribuant bona, munera, & honores Reipublicæ personis benemeritis, & hæc præcipuè versatur in Superioribus Ecclesiasticis, ad quos spectat eligere ad dignitates, promovere, & dare beneficia, adeò ut si dignitas, vel beneficium detur minùs digno in concursu cum magis digno, Superiores remaneant obligati ad restitutionem, ex probabiliore opinione, quam tuentur Doctores, inter quos Sanctus Thomas 2. 2. *quæst* 63. *art.* 2. Petr. Navar. *lib.* 1. *de rest. cap.* 2. *diff.* 2. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 38. Quæ in Coordinato est *tom.* 3. *tract.* 3. *resol.* 101. & idem Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 210. quæ legitur in Coordinato *tom.* 8. *tract.* 7. *resol.* 54. ubi DD. allegat, quibus adhæret Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 2. *in* 3. *lib. sent. disput.* 24. *num.* 286. ubi solidissimis rationibus hanc opinionem amplectitur, & confutat contrariam. Porrò dignitas & benemerentia promovendorum ad gradus, dignitates, & beneficia non solùm consistit in nobilitate, opulentia, & civilitate, sed præci- 14 puè in Virtutibus Theologicis, Cardinalibus Moralibus, ac in sapientia; ut erudite exemplis plurimis demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 24. *à num.* 163. *usque ad num.* 220.

Effectus Justitiæ Vindicativæ est compensare 15 damnum injuriam passi cum lucro injuriantis, juxta dictamen rationis, & præscriptum legum, à

quibus taxatæ sunt pœnæ infligendæ hominibus injuriosis, & injustè agentibus tùm ad compensandum damnum privatorum, tùm ad satisfaciendum publico bono per vindictam publicam contra bona, vel membra, vel vitam ipsius delinquentis. Hæc autem potestas est à Deo in Superioribus tùm Ecclesiasticis, tùm Secularibus, populum subditum habentibus, qui in vindicandis delictis exequi debent pœnam taxatam à lege, neque eam possunt augere, vel minuere absque legitima causa, & nisi sint Superiores immediati, quo tamen casu debent parti offensæ satisfactionem procurare.

16 Vitia opposita Justitiæ sunt omnis injustitia; quia ut probat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 122. *art.* 2. quæcunque peccata contra Decalogum sunt peccata contra Justitiam. Specialiùs autem contra Justitiam Distributivam, & Vindicativam opponitur vitium acceptionis personarum, per quam ob affectum, amicitiam, vel aliud carnale motivum non servatur æqualitas. Sotus *de Justit. & Jur. lib.* 3. *quæst.* 6. *art.* 1. Vasquez *opusc. de benefic. cap.* 2. *num.* 46. Contra commutativam Justitiam stricte opponuntur vitia contraria virtutibus potentialibus ipsius Justitiæ; siquidem, cum Deo ex Justitia debeamus honorem, amorem, ac timorem, & hæc persolvantur per religionis actus, omnia peccata contra religionem sunt vitia opposita Justitiæ commutativæ. Proximo cum debeamus, Superioribus obedientiam, pari concordiam, inferiori beneficentiam, & hæ adimpleantur per pietatem, observantiam, amicitiam, & liberalitatem, vitia contra has virtutes, utpote impietas, contemptus, fictio cordis, & avaritia erunt peccata contra Justitiam. Tandem nobismet ipsis cum debeamus munditiem in corde, veritatem in ore, & disciplinam in corpore, & has persolvamus per castitatem, veritatem, & pœnitentiam, peccata contra has virtutes cententur vitia opposita Justitiæ, nempe carnalitates, mendacia, & intemperantia; ut de his omnibus abundè tractant Sacri Doctores Theologi, & Canonistæ, ex quibus hoc responsum compilatum fuit, & præcipuè à S. Thoma 2. 2. *quæst.* 58. *& seqq.* à Scoto *in* 4. *sent. dist.* 46. *quæst.* 1. *& seqq.* Soto *de Justit. & Jur.* Rebellio *de oblig. Justitiæ lib.* 1. *per tot.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. tom.* 1. *disput.* 1. *&* 2. Martino Fornario *Christian. perfect. in calce Summæ Toleti lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 11. Goneto *in Clypeo Theolog. tom.* 4. *tract.* 11. *disput.* 2. *& seqq.* Jacobo Pignatello *tom.* 2. *Consult. Canonic. consult.* 26. *a num.* 25. *& seqq.* Sylvest. Mauro *tom.* 2. *in Arist. lib.* 5. *Ethic. cap.* 1. *& seqq.* Emanuele Thesauro *in Philos. Moral. lib.* 16. *cap.* 1. *& seqq.* & cæteris doctiùs, pleniùs, ac incomparabili ingenii acumine, & pietatis affectu ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom.* 2. *in* 3. *lib. sentent. de Virtutibus in gener. à disput.* 18. *usque ad disput.* 25. ubi circa hanc egregiam virtutem nihil intactum, nihil desiderandum reliquit.

DECISIO LXXXVI.

ARGUMENTUM.

Enucleantur diversi casus circa obligationem restituendi, nempe, si dominus rei sit ignotus, vel incertus, vel absque hæredibus defunctus: Si res sublata esset nocitura suo domino: Vel si quis possideat campos alienos ex sententia injusta:

SUMMARIUM.

1. *Incerti, & ignoti Domini differentia.*
2. *Ignotus si sit Dominus, cui restituenda bona injustè accepta?*
3. *Bona inventa in via cui sint restituenda?*
4. *Incertus si sit Dominus rei, cui danda?*
5. *Pondere, vel mensura defraudans quomodo restituat?*
6. *Domino rei defuncto sine hæredibus, cui restituatur?*
7. *Domino res, cum qua peccare vult, non restituitur.*
8. *Sententia, qua quis possidet campos, si reperiatur injusta, quid agendum?*
9. *Præscriptio legitima liberat ab onere restitutionis.*
10. *Sententia facit justum Titulum ad præscribendum.*
11. *Mala fides Testatoris officit hæredi.*
12. *Præscriptio quibus in casibus non juvet possessorem?*
13. *Agere non valenti nulla currit præscriptio.*
14. *Injustitia æquivalet nullitati.*
15. *Sententia injusta non liberat à restitutione.*
16. *Arma non sunt sumenda de domo Rei.*
17. *Edere scripturas sibi contrarias quando quis teneatur?*
18. *Animæ salus cæteris rebus pretiosior.*
19. *Regulæ tres, ubi ageretur de restitutione ob sententiam injustam.*
20. *Sententia contra leges est nulla, nec dat titulum possessori.*
21. *Sententia injusta ob non benè instructam causam valet.*
22. *Bona de sui natura inalienabilia non obstante sententia retineri non possunt.*
23. *Usucapio, & Præscriptio non intrat, ubi bona prohibita sunt alienari.*
24. *Dubia ubi est justitia sententia, suadenda est compositio cum parte.*
25. *Possessio in casu dubio juvat possessorem, ut rem retineat.*

NOn modicæ, sed magnæ necessitatis est hoc quæsitum. *Ignoto, vel incerto existente domino, cui restituendum?* Distinguendum inter *Ignotum dominum*, & *Incertum dominum*. Si dominus sit omnino *ignotus*, data est hæc regula: Si bona detinentur ex delicto, vel injusta acceptione, sunt omninò pauperibus, aut pio loco, usuive pio restituenda. *cap. Nemo, qui rapit.* 4. *& cap. Non sanè.* 14. *quæst.* 5. *cap. Sicut dictum est.* §. *Eos. de Homic. cap. Cum tu, de Usur.* Gloss. *fin. in c. Cum sit, de Judæis.* S. Th. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 5. *ad* 3. Thom. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *num.* 20. Eminentiss. Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de Just. & Jur. disp.* 6. *num* 134. & Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom.* 2. *in* 3. *lib. sentent. de Virtut. in gen. disput.* 23. *num.* 174. *& seqq.* Quamvis DD. à Tamburino supra citati admittant, detentorem injustum posse sibi retinere, si sit pauper, vel se se componere, ubi Bulla Cruciata sit in usu; ego non ita facilis essem in praxi, nisi detentor esset pauperrimus, ne de sua iniquitate commodum reportaret. Quod si bona habeantur absque delicto, & absque culpa, puta quia inventa sunt per viam, vel in tuam domum illata? Et tunc ferè omnes DD. concedunt, quod factis diligentiis, & cridis præcipuè per Concionatores, & Parochos pro domino reperiendo, si non appareat, detineri possit res ab inventore, ani-

animo restituendi domino, si aliquando comparuerit, & si interim res consumatur bona fide, ad nihilum amplius tenebitur. Tamburin. *ubi supra num.* 23. Rebell. *de Oblig. Just. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 12. *num.* 1. Eminentiss. Cardin. de Lugo. *d. disput.* 6. *num.* 138. ubi Sotus, P. Navarra, Vasquez, & dixi *ferè omnes*, nam alii DD. dictis locis allegati tenent, etiam in hoc casu rem inventam dandam esse pauperibus, quod Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disput.* 23. *num.* 181. & 183. putat, tenendum esse tantùm de consilio, non autem de præcepto; quocirca inventor poterit licitè post adhibitam omnem diligentiam rem sibi detinere.

Hìc notandum venit, quod narrat S. Augustinus *de Verb. Apostoli serm.* 19. (& refertur ab Eminentiss. Cardin. Baronio *Anno* 388. *num.* 78. evenisse eo tempore, (quo erat Mediolani) pauperrimum scilicèt Christianum nomine Proseolum reperisse crumenam in via cum ducentis ducatis aureis, & statim affixisse literas in locis publicis, ut qui eam perdidisset, ad illum accederet: recepturus Dominus Crumenæ accurrit, & datis signis, eam recepit, exhibendo Ducatos 20. pauperi inventori, qui eos recusavit. Obtulit decem, & eos noluit. Rogavit, ut acciperet saltem quinque, & renuit, dicens, pecunia tua est: nihil mihi debetur. Tunc dominus illam projecit, subdens, si nihil vis accipere, crumena mea non est, quære alium dominum Hoc audito, accepit pauper Ducatos quinque, sed statim distribuit egenis. Ecce justitia, & sanctitas Christianorum illius temporis.

4 Quod si *Dominus sit incertus*? Vel incertitudo versatur circa duas, aut tres personas? & debet dividi res inter ipsas juxta majorem, vel minorem probabilitatem juris earundem. Vel damnum illatum fuit toti communitati? & restituendum est administratoribus bonorum ejus.

5 Vel læsi sunt plurimi particulares, puta à tabernariis, à molitoribus, à pistoribusve in ponderе, vel à tabernariis in mensuris vini? & in his casibus tentare debent restitutionem per augmentum ponderis, vel mensuræ, cum iidem emptores solent ad eos accedere, & per tantum tempus, quantum in fraude consumpserunt. Quod si tale remedium in praxi non posset servari, restitutio esset facienda pauperibus, vel piis usibus. Tamburin. *d. lib.* 8. *in Decalog. tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *num.* 16. *& seqq.* Diana *part.* 4. *tr.* 4. *res.* 46. Quæ collocata est in Coordinato *tom.* 4. *tract.* 3. *resol.* 172. Eminentiss. Cardin de Lugo *d. disput.* 6. *sect.* 12. Eminentiss. Cardin. Toletus *lib.* 5. *cap.* 23. *& lib.* 8. *cap.* 49. & Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 2. & 3.

Ad Secundum quæsitum. *Cui sit restituendum,*
6 *si Dominus sit defunctus absque hæredibus?* Alii dixerunt servandam esse regulam de domino ignoto supra traditam, ut scilicet debitum ex delicto restituatur pauperibus, debitum ex contractu retineri possit ab ipso debitore: Tamburin. *d.* §. 3. *num.* 13. Alii voluerunt, restituendum esse fisco seculari per. *text. in l.* 1. §. *fin. ff. de Jur. fisci & l.* 1. *& l. Vacantia. C. de bonis vacantib. lib.* 10. Azor. *par.* 3. *lib.* 4. *cap.* 28. Layman. *d. lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 6. *num.* 4. *Versic. Septimo.* Marc. Anton. Peregrinus nostræ Urbis, & nostri seculi egregius Eques, ac Jurisconsultus *in tract. de Jure fisci lib.* 4. *tit.* 3. *Qui sub num.* 10. id extendit etiam ad bona ad Clericum intestatum, nullis relictis consanguineis, spectantia: & ita practicatum asserit anno 1583. hìc Patavii in hæreditate Parochi Ecclesiæ villæ Trambacharum, qui decesserat absque ullis hæredibus: quod refero, non ut juridicam credam hanc praxin, quia in his casibus de jure Cæsareo, & Canonico Ecclesia est hæres, ut fatetur ipse Eques Peregrinus. *d. tit.* 3. *num.* 10. *per text. in l. Si quis Presbyter. ubi DD. C. de Epis. & Cler. cap. Quicunque ult.* 12. *quæst.* 5. *cap.* 1. & ibi Abb. *num.* 1. *& 3. de Succes. ab Intest.* & si Clericus non habet Ecclesiam, piis operibus, seu pauperibus bona ejus debentur. Rota *decis.* 7. *de Testamen. in antiquis*, & Bellett. *Disquis. Clerical. par.* 1. *de bonis Clericor.* §. 14. *num.* 1. *& 2.* Sed ut monitum faciam Ecclesiasticum Virum, quid futurum de bonis suis, si vivens non dispersérit, & dederit Pauperibus, ut justitia ejus maneat in seculum seculi. Ex his veniunt resolvendi duo sequentes Casus.

PRIMUS CASUS.

Audit vicina mulier Scholares paciscentes, noctu per urbem sclopetis armatos ituros, & obvium quemquam igneis globulis percussuros: zelo mota, clam eorum domum ingressa abstulit sclopetos omnes. Timet postea se peccasse. Consulit Confessarium. Quæritur, quale consilium dabit?

UNanimes dixerunt, consulendam mulierem, 7
ut arma illa offensiva retineat usque ad finem studiorum, quo Scholares ad patriam remeant, tunc enim eorum restitutionem cautè faciet; docent enim omnes Doctores, non esse restituendam rem Domino, qui peccaturus est, si habeat illam, imò detentorem peccare contra charitatem, ac etiam contra justitiam, si certus sit de malo futuro, rem tradendo, & tradat, quando absque gravi suo incommodo potest rem retinere, *cap. Ne quis arbitretur. Vers. Illud*, 22. *quæst.* 2. *l. bona fides, ff. Depos.* Graffius *decis. Aur. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 128. *num.* 9. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 6. Tamburin. *in Decalog. d. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *num.* 2. Eminentiss. Cardin. Toletus *lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 2. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. tom.* 1. *de Just. & jur. disput.* 21. *sect.* 2. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 2. *de Virtutib. in genere disput.* 23. *à num.* 254. *& seqq.*

SECUNDUS CASUS.

Vir nobilis detinet campos centum ex binis sententiis Patri suo viginti ab hinc annis adjudicatos: Nunc ex scripturis domi noviter repertis cognoscit, sententias illas esse injustas. Quæritur quid facere debeat? 8

OMnes responderunt, quod, si pater hujus viri nobilis fuit in bona fide, credendo sententias illas fuisse justas, iste filius tuta conscientia continuare debeat in possessione centum camporum, at si ejus genitor fuit in mala fide, dictarum scripturarum notitiam habendo, & sententiarum injustitiam cognoscendo, tenetur filius campos unà cum fructibus restituere, quibus de Jure debentur. Primam partem responsi probarunt, quia ubi est bona fides, justus titulus & per tempus sufficiens possessio, insurgit legitima Præscriptio, quæ facit dominum ipsum possidentem, & eum tuetur non solùm in exteriori foro, sed etiam in conscientia. 9

Cardin.

Cardin. Tolet. *lib. 5. cap. 26. num. 7.* Layman. *lib. 3. tract. 1. cap. 8. num. 4.* Bonacina *de Reſtit. in genere diſput. 1. quæſt. ult. punct. 2. §. 2. num. 33.* Eminentiſs Card. de Lugo. *tom. 1. de Juſtit. & Jur. diſp. 7. num. 5.* & Eminentiſs. Cardin de Lauræa *dict. tom. 2. in 3. lib. ſent. de Virt. in gen. diſput. 21. num. 96.* Noviſſimè Illuſtriſs. Epiſcopus Sperellus *deciſ. 175. num. 95.* & ibi plurimi DD. Igitur in præſenti caſu, ſuppoſita bona fide, manifeſtè conſtat tàm de Titulo juſto per binas ſententias; nam res judicata eſt juſtus titulus ad præſcribendum. Gloſſa *Penult. in cap. Propoſuit. 4. de conceſſ. Præben.* Eminentiſs. Card. de Lauræa *d. diſput. 21. num. 94. & num. 100. 101.* Sententia enim facit de albo nigrum, & firmat Jus inter partes *cap. Cum inter. de ſent. & re jud. l. Ingenuum, ff. de ſtat. hom.* datque jus illi, qui non habet, & aufert illi, qui habet *arg. cap. Paſtoralis de Reſcript.* Surdus *deciſ. 170. num. 15.* & latè idem Surdus *conſ. 61. Vol. 1.* Rota *deciſ. 61. num. 4. part. 6. rec.* Anton. Concil. *allegat. 68. num. 27.* Pax Jordan. *tom. 3. lib. 14 tit. 25. num. 246.* quàm de poſſeſſione per tempus legitimum, quod eſt decennium inter præſentes, & vicennium inter abſentes. §. 1. *Inſt. de Uſucap. l. unica. C. de Uſucap. transf. l. Si quis emptionis. C. de Præſcr. 30. vel. 40. annor. l. Fidei, cum Auth. ſeq. C. de Præſcript. long. temp.* Antonellus *de Tempor. legali lib. 2. cap. 67.* Tolet. Laym. Bonacina, & Eminentiſs. de Lugo, ac de Lauræa *ſupracitati.* Secundam verò partem reſponſi, ſi Pater hujus viri nobilis fuit in mala fide, probarunt ex certo juris axiomate, quod mala fides teſtatoris officiat hæredi univerſali, ſive ex teſtamento, ſive ab inteſtato jure ſuccedenti, §. *Diutina. Inſtit. de Uſucap. l. Cum hæres ff. de diverſ. & temp. Præſcript. l. Si mala fide. C. Commun. de Uſucap.* Abb. *in cap. Si diligenti, num. 29 de Præſcript.* Laym. *d. lib. 3. tract. 1. cap. 8. num 18.* Bonacina *tom. 2. de reſtit. in gen. d. diſp. 1. quæſt. ult. punct. 2. §. 2. num. 21.* & Eminentiſs Cardin. de Lugo *tom. 1. diſput. 7.*

Cæterum ego acquieſcere non poſſum reſolutioni ſupradictæ hujus caſus, etiam ſuppoſita bona fide in parte hujus Viri nobilis, ſiquidem etſi poſſederit per viginti annos cum titulo rei judicatæ, & bona fide dictos campos centum, plures poſſunt eſſe cauſæ, quæ impediunt præſcriptionem, & ſtante injuſtitia ſententiarum obligant eundem poſſeſſorem ad reſtitutionem eorundem camporum. Igitur advertendum, præſcriptionem 10. vel. 20. annorum non currere, vel reſpectu perſonæ, contra quam præſcribitur, ut ſi eſſet pupillus, minor, furioſus, Eccleſia, vel locus pius. *l. Sicut*, propè fin. *C. de Præſcript. 30. annor.* Gloſſa *in l. 2. Verb. Ad Agnatum*, & ibi Bald. & alii *C. de Curat. furioſ.* Antonell. *de Tem. legali d. lib. 2. cap. 70. & cap. 86. num. 1. & 2.* Pax Jordan. *d. tom. 3. lib. 14. tit. 24. num. 202. & 226.* Vel reſpectu rei, quæ prohibita ſit alienari reſpectu alicujus perſonæ, ut in fundo dotali. Bald. *de Præſcript. in 5. part. 5. princ. quæſt. 4. num. 4.* Antonell. *d. cap. 86. num. 16.* Vel in fundis relictis Hoſpitali, Eccleſiæ, vel loco pio. Sylveſt. *in Verb. præſcriptio. 1. num. 7.* Antonell. *d lib. 2. cap. 67. num. 30.* & 34. Vel in bonis ſubjectis fidei commiſſo conditionali, quæ durante conditione non poſſunt ullo tempore præſcribi in præjudicium vocatorum, quibus adhuc non eſt apertum fideicommiſſum; ex regula, quod *Non valenti agere, nulla currat præſcriptio. l. 1. C. de bonis matern. l. in rebus §. omnis. C. de Jure Dot.* Antonell. *d. lib. 2. cap. 101. num. 1.* Gratian. *Diſcept. forenſ. cap. 577. num. 41. & ſeqq.* Eques M. Anton. Peregrinus *de fidei comm. art. 41. num. 16.* & ibi DD. affirmantes, res fideicommiſſarias præſcribi non poſſe ſpatio neque centum, neque mille annorum, quod eſſe in viridi obſervantia neminem latet, cum in praxi videamus quotidiè, pronunciari fideicommiſſa, quorum memoria non extabat, & fideicommiſſarios ſpoliare poſſeſſores bonorum fideicommiſſo ſubjectorum, quamvis ultra annos centum bona fide poſſediſſent.

Idcircò ſi Vir nobilis, de quo in caſu, poſſidens campos centum, reperiat ſcripturas manifeſtè demonſtrantes, eosdem eſſe ſubjectos alicui fideicommiſſo, vel ſpectare ad pupillum, aut ad Eccleſiam, locumvè pium; quomodo tueri ſe poterit Præſcriptione, quæ contra prædictas perſonas non currit? Vel quomodo initetur ſententiis illis, quas cognoſcit, eſſe injuſtas; cum injuſtitia æquivaleat *nullitati*? Rota *deciſ. 77. num. 1. part. 4. diverſ.* & apud Gregor. XV. *deciſ. 330. num. 4.* Conciolus *alleg. 34. num. 45.* Et equidem, non eſſe tutum, in conſcientia, qui rem obtinuit ex injuſta ſententia, quamvis lata ſervato juris ordine, & quoties ſupervenit notitia injuſtitiæ, ſubintrare obligationem reſtitutionis docent Sanchez *conſil. Moral. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 10.* Salas *de legib. diſput. 13. ſect. 4. num. 23.* Eminentiſs. Card. de Lugo *tom. 2. de Juſt. & Jur. diſput. 37. num. 187.* ubi alios DD. allegat, & noviſſimè Pax. Jordan. *d. tom. 3. lib. 14. tit. 25. num. 247.*

Multò minus juvare poteſt ipſum Virum nobilem poſſeſſorem centum camporum illud axioma, quod arma ſumenda non ſint de domo rei, neque ipſe videatur obligatus edere parti adverſæ Inſtrumenta, ſeu ſcripturas domi ſuæ repertas, è quibus reſultat injuſtitia præfatarum ſententiarum, *l. 1. & l. ult. C. de Eden. l. De Minore, §. tormenta, ff. de Quæſt. l. Nimis grave. C. de Teſtib. cap. 1.* & ibi Abb. *num. 16.* & Felin. *num. 9. De Probat.* Gloſſ. *in cap. G. perpetuus 12. in Verb. Communium. de Fide Inſtrument.* Menoch. *de Arbitr. Judic. capit. 499. num. 1. & 2.* Hippolit. *l. de Marſil. ſingular. 271.* Ridolfin. *in Praxi part. 2. cap. 3. num. 2.* Quandoquidem regula iſta limitatur tùm, ubi ſcripturæ, vel inſtrumenta eſſent propria ipſius partis adverſæ, vel ſaltem communia, tùm ubi retentio, & occultatio dictorum Inſtrumentorum, & ſcripturarum vergeret in periculum animæ, & damnationis æternæ ipſius habentis; tunc enim ex æquitate canonica tenetur eas edere, & exhibere alteri parti. Abb. *in d. cap. 1. de Probat. num. 20.* Felin. *ibid. num. 11. in fin.* Jo. Adr. *in addit.* ad Speculator. *in tit. de Inſtrumentor. Edit. §. Videndum ſub num. 9.* Marſil. *d. ſingul. 271.* Menochius *d. caſ. 499. num. 87.* ubi alios DD. cumulat Fagnan. *in d. cap. G. perpetuus num. 8. de Probat.* & Marc. Anton. Genuenſ. *in Practicab. Eccleſ. quæſt. 727.* ubi allegat Rotam Romanam coram. Card. Seraphino *deciſ. 130.*

Quid igitur dicendum? Quod oſtendantur ſcripturæ collitigatori antiquo, & ei reſtituantur campi? *Durus eſt iſte ſermo.* Quod occultentur ſcripturæ, & uti poſſedit iſte Vir nobilis, ita poſſideat? Sed quid

prodeſt

prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ
18 *verò suæ detrimentum patiatur? Matth. 16. ℣. 26.* Si ad me accederet talis Possessor, consilium petiturus, utique legere vellem dictas scripturas, & scisciatari ab eo materiam, causam, & punctum controversiæ, super qua latæ sunt binæ illæ sententiæ favorabiles Patri suo; fisus ex meis interrogationibus tamdiù casum ventilari, quousque ad rei veritatem pervenirem, juxta *text. in cap. fin. 30. quæst. 5. & l. Judices. C. de Judic.*

Porrò, standō in generalitate hujus casus, pro ejus resolutione tres regulas statuendas censeo.
19 Prima est; Vel injustitia sententiarum procedit ex eo, quod judices sententiarunt contra legum tenorem, & in hoc casu sententiæ laborant nul-
20 litate, & licèt ab eis nunquam appellatum fuerit, non transeunt in rem judicatam neque per mille annos, ideòque juvare non possunt Virum Nobilem in conscientia. *cap. 1. de Sentent. & Re Judic.* Gratian. *Discept. forens. cap. 686. num. 15.* & in hoc sensu intelligendi sunt Sanchez, Salas, Card. de Lugo, & Jordan. *supracitati*, asserentes sententiam injustam tanquam nullam non esse attendendam in foro poli. Vel præfatæ binæ sententiæ censentur injustæ, quia sunt latæ non contra formam legum, sed contra jus litigatoris, putà quia non probavit plenè intentionem suam, & causam benè non instruxit, & in hoc casu injustitia sententiarum non reddit eas nullas, neque impedit, eas in rem judicatam transire; quapro-
21 pter si ab eis appellatum non fuerit, debent executionem habere, & prosunt parti victrici. *cap. cum inter. §. Quamvis. de Sentent. & Re jud. l. 1. §. item cum contra. Vers. Quod si de jure suo, ff. Quæ sent. sine appellat. rescind.* Ita Anton. Volpi *in suis resolut. Moralib. Quotid. 16. num. 12. & 13.* En igitur modus & consulendi, & consolandi; quatenùs ex narratione facti, & lectura scripturarum intret hæc distinctio; nam in hoc secundo casu sententiæ reddunt tutam conscientiam per tradita à Lessio *de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 31. dub. 4. num. 24. & seqq.* & per Pacem Jordanum *d. lib. 14. tit. 25. num. 247.* ubi limitat, quod in contrarium dixerat, nisi *Sententia interim sit præscripta*, id est transitum fecerit *in rem judicatam*, quia ab ea appellatum non fuerit; res enim judicata est titulus habilis per se ad transferendum dominium, ut diximus supra ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa *disput. 21. num. 100.* Rota *decis. 370. par. 1. rec.*

Secunda Regula est, si prædictæ scripturæ domi repertæ ostenderent injustitiam sententiarum, eò quia centum campi, super quibus litigatum fuit,
22 erant de sui natura inalienabiles, vel ratione perpetui fideicommissi, vel dotis, vel ætatis pupillaris, vel de ratione Ecclesiarum, locorumve religiosorum, ita ut non suffragantibus sententiis, tanquàm latis contra leges neque Præscriptio posset suffragari, ob eam rationem, quod ubi est prohibita rerum alienatio, ibi etiam est interdi-
23 cta usucapio, & præscriptio, *l. Alienationis Verbum, ubi gloss. & DD. ff. de Verb. Signif.* Tiraquell. *de retract. consang. §. 1. gloss. 9. num. 247.* Surd. *cons. 276. num. 21. & seqq.* Sperellus *d. decis. 135. num. 27.* In hoc casu non video, quomodo sit eximendus iste Vir nobilis ab obligatione restituendi campos illos, nisi ex circumstantiis juvari posset ex doctrina Joan. Petri Monetæ *de Commutationib. Ultim. Volunt. cap. 9. conclus. 12. à num. 583. & seqq.* ubi docte disputat, quando, & quo-

modo possit Judex per suam sententiam præjudicare vocatis ad fideicommissa? cum ibi colligat plures ampliationes, & limitationes, & non inutile foret, consulturos huic pœnitenti, eas observare.

Tertia tandem regula est, quod pensatis pen-
24 sandis, si versemur in dubio, annuendum sit pœnitenti isti, ut sibi campos retineat, data aliqua compensatione adversariis ad arbitrium boni viri pro qualitate dubii, ea ratione, quia in dubio nemo tenetur grave detrimentum pati, ut sequatur tutiorem opinionem. Avila *de Censur. part. 7. disput. 2. dub. 5. Vers. Sed contra.* Sperellus *decis. 175. num. 103.* & quia quando conscientia est speculativè dubia, nec opposita veritas sciri potest, possessio tribuit jus ad operandum contra illam conscientiam dubiam, deponendo eam practicè, quod quidem in materia justitiæ, ut, si quis bona fide possidere cœperit, & dubium superveniat, & præmissa debita diligentia, veritatem detegere nequeat, tunc deponere valeat du-
25 bium practicum, & rem illam retinere tradit Sanchez *de Matrim. lib. 2. disput. 41. num. 12. & in Decalog. lib. 1. cap. 10. num. 9.* ubi retractat quod dixerat *disput. 36. de Matrim.* & ex Victoria, Soto, Medina, Covaruv. Molina, & aliis docet Sperellus *d. decis. 175. num. 41. & seqq.* concludens, quod in dubio ex utroque jure, melior sit conditio possidentis, & ad ejus favorem proclives esse debeamus.

DECISIO LXXXVII.

ARGUMENTUM.

Quid, & Quotuplex sit Amicitia? Quæ ejus proprietates? Quæ ejus officia? Quibus causis dissolvatur?

SUMMARIUM.

1. *Amicitia undè dicatur? & quid sit?*
2. *Amicitia alia Supernaturalis, alia naturalis. Hæc triplex, & Quæ?*
3. *Amicitiæ proprietates tres.*
4. *Ejus officia tredecim.*
5. *Amicitia quot, & quibus de causis dissolvatur?*
6. *Amicitiæ vera valor, & æstimatio.*

Dictum fuit: *Amicitiam* (quæ ab amando de-
nominatur) *esse voluntatem erga aliquem bona-* 1
rum rerum illius ipsius causa, quem diligit. Ex Tull. *lib. 1. de Inv. Rhetor.* Vel quod *Amicitia sit mutua benevolentia non latens, per quam aliqui benè sibi volunt ad invicem gratia ipsorum, propter honestatem, jucunditatem, vel utilitatem.* Ex Mauro *in Aristot. 8. Ethic. cap. 2. num. 5.* Vel quod *Amicitia sit amor, quo quis aliquem diligit propter ipsum, eique bona vult.* Ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom. 2. in 3. Sent.* Sivè *de Virt. in gen. disput. 25. num. 129.* qui *num. 135.* advertit, amicitiam requirere, ut sit inter duos, vel plures, ut inter eos sit mutua benevolentia, & sit iisdem manifesta.

Duplex est Amicitia. *Supernaturalis*, qua Deum
diligimus propter seipsum, vel creaturas propter 2
eum, & *Naturalis*, qua diligimus homines, & hæc subdividitur, & est triplex, *Carnalis*, quando quis diligit aliquem ob delectationem: *Mundialis*, dum dilectio est ob utilitatem, & *Virtuosa*, quæ amat amicum ob virtutem, & vult illi omnia bona. Prima, & secunda sunt Amicitiæ fallaces, tertia est perfecta. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput. 25. num. 163.*

Proprietates Amicitiæ sunt tres, Benevolentia,
3 Beneficentia, & Concordia. *Aristot. 9. Ethic. 4.* & ibi P. Maurus *num. 1.* Eman. Thes. *in Morali Phil. lib. 20. cap. 5.*

Officia Amicitiæ sunt tredecim. 1. Mutua
4 benevolentia interna. 2. Observantia æqualitatis, ideò cavendum ab Amicitia Magnatum, quia difficilè tractant amicos cum æqualitate. 3. Sufferentia damni temporalis ob amicos; juxta illud *Eccl. 29. 13. Perde pecuniam propter amicos.* Hæc dicuntur de Præcepto; Sequentia de consilio. 4. Vitam etiam profundere; prout fecit Redemptor noster, qui ajebat, *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan. 15. 13.* Ideò multi amici fideles, ut sanctas Virgines è lupanari liberarent, ad eas ingressi, mutatis vestibus abire fecerunt illæsas, & ipsi in manu tyrannorum morte puniendi remanserunt. 5. Communicatio bonorum cum amico. 6. Ac etiam secretorum. 7. Correctio amici errantis. 8. Consolatio ejusdem patientis. 9. Sigillum revelatorum ab amico. 10. Abstinentia ab omni peccato. 11. Stabilitas, & constantia. 12. Velle omnia bona amico suo naturalia, & supernaturalia. 13. Et tolerantia defectuum ipsius amici.

5 Sex autem causis dissolvitur Amicitia. 1. Ob convicium amici in amicum. 2. Ob improperium. 3. Ob Superbiam. 4. Ob secreti revelationem. 5. Ob plagam dolosam, id est detractionem. 6. Ob scandalum; quando scilicèt amicitia esset causa peccati. Hæc omnia summatim collegi ex amplissimis responsis receptis à Clero nostro, in quo plurimi humaniorum literarum studiosissimi, qui ea desumpserunt ex S. Thoma 2. 2. *quæst. 114. & seqq.* Ex Aristot. *Ethic. lib. 8. & 9. & ibid.* Sylvest. Mauro. Ex Eman. Thesaur. *in Philos. Mor. cap. 20. per totum.* Ex P. Paul. Segneri *in panegyricis part. 2. Paneg. 19. de S. Ang. Custode.* Et ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 2. de Virtut. in gen. disput. 25. art. 7.*

Amicitiam esse virtutem incomparabilem, te-
6 statur Scriptura Sacra *Eccles. 15.* in illis verbis: *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius.* Ratio est, quia quæ rara sunt, in magno pretio sunt: at amici fideles sunt rarissimi, id est qui diligunt amicum, ob solum bonum ejus, non ob eorum utilitatem. De Jonatha scriptum est. *1. Reg. 18. 1. Anima Jonathæ conglutinata est animæ David, & dilexit eum Jonathas, quasi animam suam.* Et jure optimo, nam Jonathas gaudebat, regnum paternum dari ipsi David. De Pylade, & Oreste, quorum unus pro alio mori volebat, cecinit Ovidius.

Ire jubet Pylades charum periturus Orestem,
Hic negat, inque vicem pugnat uterque mori.
Extitit hoc unum, quod non convenerit illis,
Cætera pars concors, & sine lite fuit.

De effectibus veræ Amicitiæ legendi Valerius Maximus *lib. 4. cap. 7.* Plutarchus *de Multor. Amicitia*; & Cicero *de Amicitia*: qui omnes scribunt, quod amicus, ut in proverbio vulgari, *sit alter ego.* Horat. vocavit Virgilium amicum suum medietatem animæ suæ, dum augurabatur ei felicem navigationem Athenas versus, *lib. 1. Ode 3.* ita canens:

Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor,
Et serves animæ dimidium meæ.

Notabilis est S. Augustini testificatio de vi Amicitiæ veræ, dum ipse *lib. 4. Confess. cap. 6.* narrans dolorem, quem passus est ob mortem cujusdam amici sui, ait: *Benè quidem dixit* (Horat.) *de amico suo, Dimidium animæ meæ: Nam ego sensi, animam meam, & animam illius amici mei unam fuisse animam in duobus corporibus, & ideò mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius vivere, & ideò fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multùm amaveram.* De hac virtute legatur Polyanthea *in Verb. Amicitia.* Et P. Menochius *in Storeis Centur 11. cap. 31.*

DECISIO LXXXVIII.

ARGUMENTUM.

Disseritur, Ad quem spectet thesaurus inventus vel in fundo proprio, vel in fundo alieno? Dantur plures distinctiones circa diversos modos inveniendi thesauros. Docetur, quid dicendum de bonis repertis in littore maris.

SUMMARIUM.

1. *Thesaurus quid sit?*
2. *Pecunia reperta in pariete domus an spectet ad emptorem domus?*
3. *Indi in Sepulchris parentum ponunt pecunias.*
4. *Tiberius Imperator quomodo invenerit thesaurum?*
5. *Narsetes inventor pecuniæ in cisterna reconditæ.*
6. *Thesaurus in foro fori spectat ad Principem. Et an in foro poli?*
7. *Domino fundi debetur Thesaurus in eo repertus.*
8. *Dæmonis ops non imploranda pro Thesauris inveniendis.*
9. *Thesaurus inventus in fundo alieno spectat ad dominum fundi, si data opera: Si fortuito, pro medietate.*
10. *Emptor fundi an fiat dominus Thesauri in eo reperti?*
11. *Pharmacopola vili pretio emit herbas magnæ virtutis.*
12. *Gemma an emi possit à rustico, eam ignorante, pretio vili?*
13. *Thesaurus inventus in fundo Emphyteutico, dotali, &c. cujus sit?*
14. *Maris in littore bona reperta cui danda?*
15. *Pecunia inventa in via cui danda?*
16. *Piscator reperiens annulos aureos in littore maris quid aget?*

INter res deperditas connumeratur etiam Thesaurus: ideò Quæritur: *Thesaurus inventus cui restituendus?* Præmittendum primò: *Thesaurum esse veteris pecuniæ, seu aliorum pretiosorum mobilium depositionem, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. l. Nunquam. §. 1. ff. de Acquiren. rer. dom. l. Unic. C. de Thesaur. lib. 10.* Adeò ut duo copulativè requirantur ad constituendum thesaurum, videlicet, & quod non extet memoria temporis, in quo thesaurus fuit reconditus, & quod ignoretur, quis sit illius Dominus? Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. tom. 1. disput. 6. num. 111.* Diana *part. 9. tract. 5. Res. 1.* Quæ in Coordin. sita est *tom. 6. tract. 6. Res. 1.* Antoneil. *de loco legali lib. 2. cap. 30. num. 1. & 2.* Farinacius *in pract. crimin. quæst. 104. num. 19. & seqq.* M. Anton. Peregrin. *ſ. 6.* Patav. *de Jur. fisci l. 4. tit. 2 n. 1.*

Me-

Menoch. *tom.* 7. *consil.* 649. ubi tuebatur, pecunias aureas suo tempore repertas in pariete domus venditæ, spectare ad emptorem domus, ea
2 ratione, quia cum in dictis pecuniis essent Ducati Veneti aurei cusi cum nomine Augustini Barbadici Ducis Venetiarum, ad Ducalem dignitatem assumpti de anno 1485. & sic centum circiter annos antè, erat pecunia vetus, de cujus repositione nullus habebat memoriam & nullus certus dominus extabat. Econtra thesaurus non esset, si apud pecuniam reperiretur Syngrapha, seu Instrumentum, quod testaretur, cujus sit, & qui sint hæredes conditoris ? Diana Coordin. *dict. tom.* 6. *tract.* 6. *Resolut.* 2. *num.* 4. & 5. ubi
3 notat, Hispanos, qui sepulchra apud Indos plena divitiis spoliaverunt, esse obligatos eas restituere, eo quia noscuntur repositores, & eorum hæredes, quamvis Sayr. *in Clavi Regia lib.* 9. *cap.* 9. *num.* 12. & Banez. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. illos excusent, cum divitiæ repositæ in sepulchris sivè ad pompam, ut de sepulchro David testatur Joseph Antiquit. Judaicar. *lib.* 7. *cap.* 16. & ex Dion. Cass. in Vita Hadriani Imp. P. Augustin. Manni *in Select. Histor. cap.* 328. sivè superstitionis causa, credendo, mortuos eis uti ad suos usus, habeantur pro derelictis. Hinc thesaurus verè fuit ille,
4 quem Tiberius secundus Imperator, liberalissimus in pauperes, reperit, dum petram Crucis signum tenentem, ne calcaretur pedibus, pietatis studio auferri jussit, ex S. Gregor. Turon. *Hist. Franc. lib.* 5. *cap.* 19. At pecuniam Narsetis in cisterna reconditam, ac eidem Imperatori delatam, ex Paul. Diacono *de Gest. Longobard. lib.* 3. *cap.*
5 5. & 6. & P. Menoch. Stuore, *centur.* 4. *cap.* 23. ipse non tanquam thesaurum, sed tanquam bona vacantia cepit, *l.* 1. *& penult. C. de bonis Vac. lib.* 10.

6 Præmittendum secundò, hìc responderi ad propositum Quæsitum pro foro conscientiæ tantùm; attento quod in foro exteriori inventus thesaurus sit Principi consignandus de consuetudine ferè totius orbis, & ex legibus particularibus cujusque Regni. Peregrinus *de Jure fisci dict. lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 10. Covaruv. *in reg. Peccatum, part.* 3. §. 2. *num.* 4. *de reg. Jur. in* 6. Farinac. *dict. quæst.* 104. *num.* 32. Antonell. *de Loco legali dict. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 21. Quamvis digladientur ad invicem Theologi, an præfatæ leges obligent in conscientia? Videntur enim affirmare Paludan. *in* 4. *dist.* 15. *art.* 5. *concl.* 1. D. Antonin. *part.* 2. *tit.* 1. *cap.* 15. §. 2. Lessius *lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 17. *num.* 66. Diana Coordin. *tom.* 6. *tract.* 6. *resol.* Quæ in Veteri est *p.* 9. *tr.* 5. *resol.* 18. & Eminent. Card. de Lugo *d. tom.* 1. *de Just. & Jur. disp.* 6. *n.* 131. Sed negare non dubitant Sylvester. *Verb. Inventum, n.* 13. Sotus *de Just. & Jur. l.* 5. *q.* 3. *art.* 3. *col.* 9. Mendin. Bardi, Caramuel, & Trulench. citati à Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 3. *num.* 35. & novissimè Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom.* 2. *disput.* 23. *à num.* 197. *& seqq.*

His præmissis ad resolutionem Quæsiti tres sequentes conclusiones dantur.

7 Conclusio Prima. Thesaurus inventus in fundo proprio sivè casu, sivè de industria totus acquiritur domino fundi, *l. un. C. de Thesaur. lib.* 10. §. *Thesaurus. Instit. de rer. divis.* Farinac. *dict. quæst.* 104. *num.* 3. Antonell. *de Loco leg. d. lib.* 2. *cap.* 30. *num.* 4. ubi idem de statuis, & lapidibus marmoreis absconditis in agro ait esse decisum in Rota, *decis.* 359. *post tert. lib. Consilior.* Farinac. & sentit Gratian. *Discept. forens. cap.* 453. *num.* 5. *& seqq.* Nisi fortè inveniendo thesauros, magica ars adhibita fuerit, quia tunc thesaurus inventus in proprio fundo acquiritur fisco, *dict. lib.* 1. ubi Gloss. *in Verb. arte. C. de Thesaur. lib.* 10. Eminentiss. Card. de Lugo *dict. disput.* 6. *num.* 112. Antonell. *d. cap.* 30. *num.* 1. & 11. ubi notant, ex Navar. *in Man. cap.* 17. *num.* 172. & 175. non esse fisco tradendum ante sententiam, quia lex pœnalis est. Glossa *in cap. Fraternitas.* 12. *quæst.* 2. sed contrarium tenent Valasc. *de Jure Emphyt. quæst.* 15. *num.* 4. & Farinac. *d. quæst.* 104. *num.* 18. nefas enim est cuique fide- 8
lium ad Dæmonem recurrere, à quo etsi thesauri, & pecuniæ absconditæ revelari possint, Deo permittente, attamen rarò cum veritate, sæpè cum falsitate Diabolus revelat; ut eruditè docent Bodin. *in Dæmonom. lib.* 3. *cap.* 3. Delrius *lib.* 2. *disquis. Magic. quæst.* 12. P. Gasp. Schottus *in sua Physica Curiosa part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 33. & P. Franc. Mar. Guaccius *in Compend. Maleficar. cap.* 10. apud quos autores plurima, eaque non injucunda leguntur exempla illorum, quos Diabolus pater mendacii ludificavit, tradendo stercora, loco pecuniarum, & vitam auferendo fossoribus earundem, & quod pejus est, etiam animam. Ajunt enim DD. Dæmonem sibi obsequentibus esse infidelem in manifestandis thesauris, vel quia non exstant, sive si sint alicubi, eos reservat Antichristo futuro, quem ditando majorem expectat animarum ruinam. Schottus *dict. cap.* 33. *in fin.* & de deceptione Neronis Imperatoris inhiantis ex reconditoriis, & venis terræ thesauros eripere, legatur Suetonius *in ejus vita cap.* 31. & 49. atque Cornel. Tacit. *annal. lib.* 16. *in princ.* Porrò si in fundo alieno artibus Magicis inveniatur thesaurus, medietatem fisco, & medietatem domino fundi deberi contendit Diana *part.* 2. *tract.* 5. *resol.* 12. Quæ sedem obtinet in Coordin. *tom.* 6. *tract.* 6. *resol.* 13.

Conclusio Secunda. Thesaurus in alieno loco, sive privato, sive publico, sive Cæsaris, Fisci, Civitatis, aut Ecclesiæ inventus, si data opera, totus 9
debetur domino fundi, si fortuitò, medietas est domini fundi, alia medietas inventoris. Peregrinus *de Jure fisc. dict. lib.* 4. *tit.* 2 *num.* 8. Antonell. *dict. lib.* 2. *cap.* 30 *num.* 6. 7. & 15. Diana Coordin. *dict. tom.* 6. *tract.* 6. *ref.* 12. Quæ in veteri jacet *part.* 9. *tract.* 5. *resol* 11. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 6. *num.* 116. & 117. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 2. *disput.* 23. *num.* 215. & 216. ubi in specie loquuntur de loco Sacro. Quod si dominus fundi illum nuper emisset, quia sciverat, in eo extare thesaurum; in hoc altercantur Juristæ, & Theologi, an emptor possit tuta conscientia retinere sibi totum thesau- 10
rum? Alii enim affirmant, eò quia venditor fundi, qui nihil sciebat de thesauro abscondito, in nihilo fuit defraudatus; nam justum pretium fundi accepit, thesauri autem non erat dominus, cujus dominium acquiritur inventione. S. Th. 2. 2. *quæst.* 66. *art.* 5. *ad* 2. Navar. *in Man. d. cap.* 17. *num.* 175. *Vers. Sequitur tertiò.* Justitia autem pretii sumitur ex communi æstimatione homi-
num, non ex majori utilitate rei; hinc pharma- 11
copola potest communi pretio emere fascem herbarum in pabulum jumentorum paratum, in quo cognoscit, esse herbas utilissimas; utilitas enim herbarum latens non plus valet, nec pluris vendi, vel æstimari solet. Et idem est de thesauro abscondito in agro; & propterea laudatur homo in Evangelio, qui vendidit omnia, quæ habuit, & emit agrum, in quo cognovit, thesaurum

esse absconditum. *Matth.* 13. 44. & hanc opinionem tuentur Rebellius *de obl. just. lib.* 1. *part.* 1. *quæst.* 15. *num.* 15. Layman. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 5. *num.* 23. Caramuel. *in Theol. mor. lib.* 2. *num.* 307. & Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. tom.* 1. *de Just. & Jur. disput.* 6. *num.* 126. Alii nihilominùs negant ea ratione, quia sicut vendens tenetur manifestare vitium occultum rei venditæ, ita emptor debet manifestare ea, quæ rem faciunt ma-
12 gis pretiosam: ideò peccat contra justitiam, qui à rustico ignaro emit modico pretio gemmam magni valoris, cujus rusticus æstimationem ignorat. Fundus autem, in quo jacet thesaurus, pluris valet; nam si à venditore sciretur, in eo latere thesaurum, pluris æstimaret; & illud jus ad habendam saltem medietatem thesauri ratione dominii, est pretio æstimabile. Neque obstat Parabola Evangelii *Matth.* 13. 44. quia in Parabolis non semper laudantur actiones tanquam honestæ, ut patet ex villico iniquitatis, quem laudavit dominus ejus ob actiones ex se illicitas, sed solùm affertur in exemplum prudentia humana, quæ in iis actionibus resplendet. Sic Christus actionem hanc emendi agrum, in quo emptor sciverat esse thesaurum, neque approbat, neque reprobat, sed tantùm illius prudentiam commendat, ut notat P. Steph. Menochius *in Vita Christi part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 24. *num.* 4. Quocirca hanc opinionem negativam tàm de thesauro absconditо, quàm de venis metallorum in agro subjacentibus tuentur ex Juristis Valasc. *de Jure Emphyt. dict. quæst.* 15. *num* 6. Farinacius *dict. quæst.* 104. *num.* 20. *Vers. Addo ad præmissa:* & ex Casuistis, ac Theologis Angel. Armilla, & Tabiena apud Hurtad. *de Justit. & Jur. disput.* 1. *diff.* 35. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disput.* 58. *dub.* 4. *num.* 6. quos refert Diana Coordin. *dict. tom.* 6. *tract.* 6. *resol.* 16. *§.* 1. quæ in veteri est *in part.* 9. *tract.* 5. *Resol.* 15. ubi sentire videtur, primam opinionem procedere posse ex rigore juris, secundam verò procedere debere ex æquitate; & huic non dedignantur adhærere Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 3. *disput.* 23. *num.* 214. & eadem lance respondent ad alios casus venditionis rerum, intùs quas latent res pretiosæ, ut in saccis lanæ, vel tritici continentibus aurum in direptione civitatis à milite ereptis, & communi pretio alteri venditis, & in equo, quem aliquis vidit bibisse margaritam.

Conclusio Tertia. Thesaurus inventus in fundo Emphyteutico, Usufructuario, Feudali, seu
13 Dotali, non sunt concordes Doctores in decidendo, cujus esse debeat? ut videre est apud Dianam Coordin. *dict. tom.* 6. *tract.* 6. *resol.* 5. *resol.* 6. *resol.* 7. & apud Cardin. de Lugo *dict. disput.* 6. *à num.* 118. *& seqq.* Communior tamen est opinio, quòd pro medietate sit inventoris, & alia medietas debeatur Emphyteutæ, Usufructuario, Feudatario, & marito, quando fundum Dotalem æstimatum habuit; nam ea æstimatio facit emptionem, & facit maritum verum dominum. *l. Quoties C. de Jure dotium;* aliàs spectabit ad Uxorem. *l.* 7. *§. Si fundum. ff. Soluto Matrim.* ut plenius apud Dian. Coordinatum *dict. tom.* 6. *tract.* 6. *resol.* 7. apud Gratian. *discept. forens. cap.* 453. Genuens. *in Practic. Eccles. quæst.* 393. Farinac. *d. quæst.* 104. *num.* 13. Valasc. *d. quæst.* 15. & Antonellum *de Loco legali d. lib.* 2. *cap.* 30. *à num.* 16. *& seqq.*

Sit secundum Quæsitum. *Bona in littore maris reperta cui danda?* Resposum fuit. Vel illa bona 14
sunt in mari generata, ut lapilli, gemmæ, coralia, & hæc, quia nullius sunt, fiunt occupantis, *§. Item lapilli. Inst. lib.* 2. *tit.* 1. Vel sunt bona, quæ longo tempore amissa ex naufragio jacuerunt in fundo maris, & habentur pro derelictis, & hæc inveniens potest vel dare pauperibus, vel retinere sibi, animo restituendi prioribus dominis, si unquam cognoscerentur. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. *§.* 3. *num.* 29. & dictum est supra *Decis. LXXXVI. num.* 3. Vel illa bona sunt ex naufragio recenti, vel causa levandæ navis in mare projecta à nautis, qui tempestate suborta, & jactantibus austris solent dicere, pondera qui habent, in mare projiciant; unde Presbyter ait, Breviarium est pondus meum; Uxoratus, fœmina hæc est pondus meum; & uterque illa pondera in mare projiciant; si reperiantur in littore hæc, & similia, sunt dominis restituenda sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, tùm per *cap. Excommunicationi. de Raptorib.* tùm ex Bulla in Cœna Domini. §. 4. Quando scilicèt eorum domini possunt reperiri, ut plenè declarant Cardin. Toletus *in summ. lib.* 1. *cap.* 21. Bonacina *tom.* 3. *de Censur. in Bulla Cœnæ contentis disput.* 1. *quæst.* 5. & Summa Diana *Verb. Bulla Cœnæ. num.* 3.

Ex hucusque dictis facilis fit resolutio duorum sequentium casuum.

PRIMUS CASUS.

Franciscus manè diluculò exiens domo reperit in via marsupium nummis plenum. Inquirit, an quis perdi- 15
derit? Nemo comparet. Quæritur, an nummos sibi retinere possit?

ALii dixerunt, non posse sibi retinere, sed pauperibus esse dandos, juxta doctrinam Cardin. de Lugo *disput.* 6. *sect.* 12. *& disput* 20. *num.* 191. *in prim. tom. de Just. & Jur.* Alii affirmarunt, posse sibi retinere, animo restituendi vero domino, si aliquando comparuerit, ex autoritate Molinæ *tom.* 3. *disput.* 746. Thomæ Tamburin. *in lib.* 8. *Decal. tract.* 4. *cap.* 1. *§.* 3. *num.* 23. ac Pauli Comitoli *in Resp. moral. lib.* 3. *quæst.* 6. *num.* 5. *Vers. Secundum caput.* Et de utraque opinione dictum fuit supra *Decis. LXXXVI. num.* 3. ad quam lector revertatur.

SECUNDUS CASUS.

Piscicepс Patavium venit cum aureis annulis, quos in lit-
tore Adriatico jactat reperisse. Cistifer eos clam au- 16
fert. Quæritur, An hi excommunicatione Bullæ Cœnæ Domini, lata contra surripientes naufragantium bona, afficiantur?

ISTum piscium venditorem, qui aureos annulos in littore Adriatico reperit, nullam incurrisse excommunicationem resolvit Clerus noster, si in animo habuit eosdem annulos restituere propriis dominis quandocunque comparentibus, & probantibus eos ex naufragio perdidisse: & multò minùs, si annuli illi ejecti sint à mari, in cujus profundo diù steterint, adeò ut nullum ampliùs habeant dominum, & sint bona derelicta; juxta doctrinam Cardin. Toleti, Bonacinæ, *supra citati num.* 14. Tamburin. *in lib.* 8. *Decal. tract.* 4. *cap.* 1. *§.* 3. *num.* 29. *Vers. Præterea.* At bajulus cistam deferens, qui furatur dictos aureos annulos, incurrit excommunicationem secundum Suarez *de Censur. disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 23. eo quia surripere immediatè in littore, vel mediante priori spo-

lia-

liatore non variat malitiam ; & est casus legis, quæ vult prospicere indemnitati naufragantium. Non incurrit excommunicationem secundum opinionem Sayri *de Cens. lib. 3. cap. 8. num. 4.* Et Dianæ Coordin. *tom. 5. tract. 1. resol. 44.* quæ desumpta est ex veteri *part. 9. tract. 8. & Misc. 3. resol. 36.* ob eam rationem, quia in Bulla tantùm de primo surripiente fit sermo, non verò de secundo, vel tertio : ergo quantumcunque secundus, vel tertius latro sciant, bona illa injuste esse ex naufragio accepta, non excommunicantur: non enim Censura ultra proprium casum extenditur, cum sit pœnalis.

DECISIO LXXXIX.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Liberalitas ? Quotuplex ? Quodnam ejus objectum, & subjectum ? Quæ conditiones in ea servandæ ? Quæ vitia sint Liberalitati opposita ?

SUMMARIUM.

1. *Liberalitas quid sit ?*
2. *Quotuplex ?*
3. *Magnificentia quid sit ?*
4. *Objectum liberalitatis, ac magnificentiæ quale sit ?*
5. *Subjectum earundem Virtutum quale ?*
6. *Innocentii Papæ XI. Magnificentia.*
7. *Venetum Dominium Serenissimum laudatum.*
8. *Gregorius Cardinalis Barbadicus laudatus.*
9. *Conditiones Liberalitatis, ac Magnificentiæ.*
10. *Vitia iisdem virtutibus opposita.*

Dictum fuit, *Liberalitatem* [quæ nobilis ac Regia est Virtus *cap. de Donat.* ubi Gloss. *cap. si mota de Præb. in 6. cap. Non satis cap. Considerandæ, dist. 86. cap. Constantinus. 1. & 2. dist. 96.*) *esse actum, seu habitum erogandi bona propria sponte, & libenter in operibus honestis.* Ex Arist. 3. *Ethic. cap. ult. & 4. Ethic. cap. 1.* Appellatione autem bonorum non solùm intelliguntur pecuniæ, vel alia mobilia, sed etiam operationes, & labores in publicum bonum impensi, ex quibus Liberalitas resultat, frequenter multò splendidior, multòque clarior. 1

Est autem duplex Liberalitas. Una *ordinaria*, qua regularibus erogationibus pecuniarum levantur egentes: & alia *extraordinaria*, quæ excessivis, & extraordinariis sumptibus magna struit opera in publicum bonum, decorem, atque honorem, & vocatur *Magnificentia:* quæ definitur, *Rerum magnarum, & excelsarum, cum animi ampla quadam, & splendida propositione cogitatio, atque administratio.* Ex Cic. *de Juvent.* & ex S. Augustin. *lib. 83. quæst. 31.* 2 3

Objectum materiale Liberalitatis, & Magnificentiæ est pecunia, cujus nomine intelligitur omne bonum temporale. Formale verò objectum est honestas specificans erogationem pecuniæ in ratione honesti. 4

Subjectum liberalitatis potest esse omnis homo tàm dives, quàm pauper, tàm nobilis, quàm ignobilis. Arist. 4. *Ethic 2.* Idcircò à Christo laudata fuit Vidua, quæ miserat duo minuta in Gazophilacium. *Marc. 12. 40.* At Magnificentia subjectatur in divitibus tantùm, qui amplos sumptus valent erogare in operibus publicis diù permansuris : ideò Liberalitatis, & Magnificentiæ titulis decorantur Reges, & Imperatores in Scripturis Sacris & profanis, qui Templa, Xenodochia, Domos publicas, aliaque opera insignia construxerunt, vel in publicum bonum pecunias amplissimas sunt elargiti. Hinc jure optimo INNOCENTIUS XI. Pontifex Maximus, nunc feliciter regnans, eosdem amplissimos meretur titulos Liberalitatis, & Magnificentiæ, qui tot centena millia aureorum erogavit, & erogat universis Provinciis (sicut scriptum est *Ethic 2. 18. juxta magnificentiam principalem*,) ad debellandos Turcas, ut ab eorum tyrannide Fideles populos eripiat. Liberalitas, & Magnificentia decet Serenissimum Dominum, & Principem nostrum Venetiarum, cujus immensis sumptibus & terrestres, & navales exercitus sustinentur in Thraces ad Catholicæ Fidei, & publicæ libertatis tutamen. His titulis quoque condecorandus Eminentissimus, ac Reverendissimus GREGORIUS BARBADICUS PRÆSUL NOSTER ; qui ad promovendam, tùm Ecclesiasticam disciplinam, tùm Humaniorum, & Sacrarum Literarum studia in Seminariis, ac Collegiis pro communi bono Clericorum, ac Nobilium Laicorum, & fabricas egregias erexit, & numerum supra numerum Præceptorum, Alumnorumque studentium ære proprio nutrit, & alit; ultrà perennes erga egenos eleemosynas, ac maritandarum Virginum suffragia. 6 7 8

Conditiones autem Liberalitatis, ac Magnificentiæ sunt sex. 1. Pecuniam erogare personis honestis verè indigentibus *Psal. 111. 9. Dispersit, dedit pauperibus.* 2. Cum hilaritate 2. *Cor. 9. vers. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus.* 3. Absque jactantia, aut vana gloria. *Ps. 11. vers. 4. Disperdet Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam.* 4. In tempore opportuno, 2. *Cor. 8. 14. In præsenti vita, vestra abundantia illorum inopiam suppleat.* 5. Præferendo domesticos, ac fideles extraneis sanguine ac fide. 1. *Tim. 5. 8. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Et 6. non improperando, seu non exprobrando datum. *Eccles. 41. in fin. Cum dederis, ne improperes.* 9

Vitia opposita sunt duo. Unum ex defectu, & est *Avaritia:* Alterum, ex excessu; & est *Prodigalitas*, quæ præcipuè versatur circa expensas in crapulis, bacchanalibus, comœdiis, luxuriis, vindictis, cæterisque indignis ; eamque improperat Seneca *libr. 2. de Benef.* & Salvator Noster in filio adolescentiori, *qui profectus in regionem longinquam, ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriosè. Luc. 15. 13.* Hæc omnia pro resolutione casus peramplè scripserunt Studiosi nostri, eaque desumpserunt ex S. Thom. 2, 2. *quæst. 117. 118.* ex P. Sylvestr. Mauro Soc. Jesu *Commentar. in Aristot. 4. Ethic. 1.* ex Marchantio *in Tuba Sacerd. tract. 2. lect. 13.* Ex Philosoph. mor. Eman. Thesauri *lib. 6. cap. 1. & seqq.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 2. de Virtut. in gen. disput. 25. art. 12.* 10

DECISIO XC.

ARGUMENTUM.

Quis dicatur bonæ fidei possessor? Quis autem malæ fidei? declarat præsens Decisio in ordine ad restitutionem.

SUMMARIUM.

1. *Possessor bonæ fidei quinam dicatur?*
2. *Dubitans de justo titulo rei suæ, an bonæ fidei sit possessor?*
3. *Conscientia erronea an præjudicet possidenti?*
4. *Ignorantiæ facti, ac Juris discrimen.*
5. *Ignorantia Juris neminem excusat.*
6. *Malæ fidei quis possessor?*
7. *Præsumptio malæ fidei oritur modis sexdecim.*

NUnc autem declarare oportet, pro restitutionis materia hoc Primum Quæsitum. 1 *Quis sit bonæ fidei possessor?* Dictum fuit, illum esse bonæ fidei possessorem, qui ignorantia invincibili ignorat, se alienum possidere. *cap. Si virgo* 34. *quæst.* 2. Bart. *in l. Apud antiquos, in* 2. *notab.* & ibi etiam Bald. *num.* 6. *C. de Furtis.* Abb. *in cap. Gravis. num.* 15. *de Restit. Spol.* & ibid Fagnan. *num.* 42. Bonacina *tom.* 2. *de Restit. in gen. disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 1. *num.* 1. Sivè illum, qui bona conscientia rem possidet, prudenter existimans, se possidendi jus habere, *cap. ult. de Præscript.* Layman. *lib.* 3. *tract.* 1. *cap.* 8. *num.* 19. Thom. Tamburin. *lib.* 8. *in Decal. tract.* 3. *cap.* 3. §. 1. Et Eminentiss. Card. de Lugo *tom.* 1. *de Justit. & Jure disput.* 7. *sect.* 3. *num.* 16. Ulterius doctè notatum fuit, quod si quis dubitet, an rem licitè possideat, nec ne? vel an 2 res sit sua, an aliena? Si ab initio possessionis habeatur hoc dubium, ex eo impediri præscriptionem, Si autem superveniat post inceptam possessionem, non impediri, quia in dubio melior est conditio possidentis. Layman. *sub. d. num.* 10. *Vers. Tametsi* Bonacina *ubi ante punct.* 2. Cardin. de Lugo *d. disput.* 7. *sect.* 3. *num.* 17. & 18. ubi rationibus hanc doctrinam confirmat; à qua tamen recedit, forsan nimis rigidus P. Comitolus *in Resp. Mor. lib.* 7. *quæst.* 17. cui ego adhærere non possum, ob contrariam Theologorum, & Jurisprudentum sententiam. Gloss. *in cap. Si Diligenti, & in cap. fin. de Præscript.* Menoch. *de Arbitr. Jud. Casu* 225. *num.* 17. Pax Jordan. *tom.* 3. *lib.* 14. *tit.* 24. *num.* 63. Tamburin. *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 3. §. 3. & *libr.* 8. *tractat.* 3. *cap.* 3. §. 1. quam amplexus est etiam Illustr. Episc. Sperellus, Vir veritatis, & justitiæ constans amator *Decis.* 173. *num.* 41. ubi ait, quod quando conscientia est speculativè dubia, nec oppositа veritas sciri potest, possessio tribuat jus ad operandum contra illam conscientiam dubiam, deponendo eam practicè; ut in materia justitiæ, si quis bona fide possidere cœperit, & dubium superveniat, & præmissa debita diligentia veritatem detegere nequeat, tunc deponere valeat dubium practicum, & rem illam detinere tradunt Victoria *de Jure belli dub.* 3. *propos.* 4. *num.* 5. Sotus *de Secreto membr.* 3 *quæst.* 2. *post.* 4. *concluf. Vers. Et quamvis solutio, & in* 4. *d.* 27. *quæst.* 1. *art.* 3. *Vers. ad hujusmodi.* Medina *C. de Restit. quæst.* 17. §. *conclave sequitur non indistinctè.* Covaruv. *in Reg. Possessor.* 2. *p.* §. 7. *num.* 3. & *Reg. Peccatum part.* 3. *initio num.* 4. Molina *tom.* 1. *de Justit. tract.* 2. *disput.* 35. *in fin.* & §. *Verumenim verò disput.* 31. *concl.* 1. cum aliis plurimis, quos refert, & sequitur Sanchez *de Matrimon. lib.* 2. *disput.* 41. *num.* 12. & *in Decalog. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 9. Et subdit Illustriss. Episc. Sperell. *ibid. num.* 42. Etiamsi rationes pro contraria parte occurrentes assensum generarent, dummodo non convincant, nec assensus sit certus physicè; aut moraliter, sed merè opinativus; ea ratione, quia cum ex una parte jus inter possidentem, & non possidentem sit dubium, ex altera verò partè jus possidentis penes possidentem sit certum, profecto ille tanquam potiori jure fretus vincit alterum; ut per Sanchez *in Decalog. d. lib.* 1. *cap.* 10. *sub. num.* 11. Et habemus irrefragibilem juris utriusque regulam, in pari causa potiorem esse conditionem possidentis *Leg. in pari.* 128. *ff. de Regul. Jur. cap. in Pari.* 65. *extr. eod.*

Tandem ad hoc Quæsitum studiosiores notarunt, quod si possessor ex ignorantia, vel error putaret, se non posse possidere, & de 3 facto licitè possideat; ptivari commodo possessionis ob malam conscientiam, quamvis erroneam, quam habet per tex. *l. Si Fur.* §. 1. *ff. de Usucapion.* Molina *disput.* 63. §. *dubium est.* Et Cardin. de Lugo *d. disput.* 7. *sect.* 3. *num.* 23. & 26. At è contra si quis illicitam possessionem sit ingressus, credens tamen ignorantia invincibili, eam sibi esse licitam; ex communi Doctorum placito, proderit ad præscriptionem, 4 si ignorantia sit facti, putà quia emit à pupillo, nesciens esse pupillum; at si fuerit ignorantia juris, non ambigui, sed clari, E. g. quod nescierit, prohibitum esse à Jure, emere à pupillis, nequaquam prodesse poterit, neque in foro externo, neque in foro conscientiæ, ea ratione, quia, cum usucapio seu præscriptio vi possessionis procedat à Jure humano, debent attendi omnes conditiones à legibus statutæ, quarum una est, ut ignorantia Juris 5 neminem excuset, & cum ea non detur bona fides. *l. Juris. ff. de Juris, & fact. ignor. l. Nunquam ff. de Usucap. l.* 2. §. *Si à pupillo, ff. Pro Emptore, l. Quemadmodum. C. de Agricol. & Censit. lib.* 11. Molina *disput.* 64. Lessius, & Turrian. quos allegat, & approbat Car. de Lugo *d. disput.* 7. *à num.* 29. & *seq.* ubi *num.* 32. annuere videtur, in foro poli ignorantiam Juris posse causare bonam fidem requisitam ad præscribendum; quia leges id prohibent, præsumentes esse malam fidem, quæ cum sit bona ex ignorantia invincibili, non debet in foro conscientiæ reprobari.

Sit Secundum Quæsitum. *Quis dicatur Possessor malæ fidei?* Dicendum. Possessorem malæ fi- 6 dei talem appellari posse, aut *Verè*, aut *Præsumptivè.* Appellatur *Verè* Possessor malæ fidei tripliciter. 1. Qui rem possidet, quam pro certo scit esse alienam, & ad alium pertinere, *c. Si virgo*, 34. *quæst.* 2. *c. fin.* & ibi DD. *de Præscr.* Fagnan. *in cap. Gravis. num.* 3. *de Rest. Spoliator.* 2. Qui possidet rem, quam certo scit, non esse suam, *l. fin. C. Unde vi, c. Si quid. invenisti, & cap. Multi* 14. *quæst.* 5. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 7. *num.* 16. 3. Qui per crassam negligentiam prætermittit scire, rem ad se non pertinere. Layman, *d. lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. Busemb. *lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 2. *dub.* 1.

Possessor malæ fidei dicitur *Præsumptivè* modis 7 sexdecim. 1. Quando possidet sine titulo, *l. ult. C. Unde vi.* 2. Quando menti dictum fuit, rem non esse vendentis, *l. si fundum C. de rei. vindic.* 3. Quando emptor contraxit non servatis solennitatibus Juris, *l. Quemadmodum. C. de Agricol. & Cen. lib.* 11. 4. Quando possidens dixisset alicui, se scire, rem esse alienam, *l. Cele-*

sus,

sus, & ibi Bartol. *num.* 18. *de Usucap.* 5. Si in vicinia diffamatum sit, rem illam non fuisse venditoris. Cepoll. *de Servit. Urban. prædior. c.* 20. *num.* 2. 6. Quando post adeptam possessionem procuravit titulum assequi. Bald. *in l. Quoties. C. de Rei vindic.* 7. Ex depositione testium. Felin. *in cap. Si diligenti. num.* 5. *De Præscript.* 8. Si emit à Procuratore habente mandatum falsum, quod emptor non curavit videre. Abb. *num.* 25. *in eod. cap. Si diligenti.* 9. Si possessor privilegio se possediſse contendat, & ipsum Privilegium nolit ostendere. Felin. *d. num.* 5. *in eod. cap. Si diligenti.* 10. Ex sola relatione tertii possessor in mala fide redditur. Gloss. *in l. Si cum dictum. §. Si cum poterit. ff. de Evict.* 11. Quando poterat scire ex Jure communi, vel ex statuto rem illam possideri non posse. Bald. *in d. l. Celsus num.* 127. *ff. de Usucap.* 12. Quando emit ab eo, qui pretium erat statim malè consumpturus, ut prodigus, lusor, luxuriosus. Bart. *in l. Si quis cum sciret ff. de Usucap. pro Empt.* 13. Qui vehementer dubitavit de jure suo, & ob id quæsivit aliquod remedium. Cardin. Paris. *cons.* 50. *num.* 10. *lib.* 1. 14. Si possidens contraxisset cum insolitis cautelis. Glossa *in l. Si quis sub conditione, ff. de Hæred. inst.* 15. Si occupaverit rem alienam absente domino. *DD. l. fi. C. Unde vi.* 16. Et tandem si possessori lis fuit denunciata super possessione, vel dominio rei. *l. Nemo ambigit. C. de Acquir. possess. l.* 2. *C. de Fructib. & litis expens.* Ex his enim conjecturis, & præsumptionibus dicitur quis Possessor malæ fidei, ut latiùs demonstrat Menoch. *de Arbitr. Jud. d. Casu* 225. *per totum.* Pax Jordan. *d. tom.* 3. *lib* 14. *titul.* 24. *à num.* 50. *& seqq.* Fagnanus *in d. cap. Gravis à num.* 38. *& seqq. de Restit. Spoliat.* & Illustr. Sperell. *decis.* 154. *num.* 75. *& decis.* 178. *num.* 59.

DECISIO XCI.

ARGUMENTUM.

Matri dicenti, se genuisse filium ex adulterio, an ei credendum? Et quatenùs verum dicat? quomodo ejus conscientiæ consulendum? Notantur pœnæ contra adulteros antiquorum temporum.

SUMMARIUM.

1. *Prole ex adulterina tria veniunt genera damnorum.*
2. *Adulterantium obligatio restitutionis, si nascatur filius illegitimus, & quibus modis facienda?* num. 3.
4. *Adulterinæ proli an revelanda veritas à Matre?*
5. *Filius non tenetur credere Matri juranti genuisse ex adulterio.*
6. *Confessariorum cautelæ cum Uxoribus adulteris.*
7. *Adulterinæ proles suadendæ, ut Religionem ingrediantur.*
8. *Gratianus, Magister Sententiarum, & Petrus Comestor an fuerint geniti ex adulterio?*
9. *Adulterantium pœnæ variæ ex Historia Sacra, & profana.*

Difficilis, sed pro praxi summæ relevantiæ est sequens casus, qui proponitur enucleandus.

Vir Nobilis nobilem alterius uxorem blanditiis & amore prosequutus, tandem cum ea copulam carnalem habuit, & ex ea filium genuit, qui tanquam legitimus à marito adulteræ educatur. Quæritur, quid agendum pro exonerandâ conscientia utriusque ex adulteris?

PRæmittendum ad intelligentiam casus, quod tria genera damnorum insurgant ex generatione prolis adulterinæ. *Unum* in expensis, 1
quas facit Maritus adulteræ, ignarus hujus facinoris, in educanda prole adulterina. *Alterum* in hæreditate, vel in dote, quam proles adulterina consequitur cum præjudicio filiorum legitimorum, quod est eo majus, si ipsa fiat major natu, & adipiscatur Majoratum, vel Primogenituram ampli reditus. *Tertium* in fideicommissis, quæ ad legitimos consanguineos spectarent, nisi impedirentur ab eadem adulterina prole. Si Amasii, & alieni thori violatores hæc gravissima damna ponderarent, ab insequendis, & [ut ipsi ajunt] ab amandis Matronis abstinerent: seu, ut meliùs dicam, si verbi Dei Prædicatores seriò hæc è suggestu repræsentarent, eosdem à tanto scelere deterrerent.

His præmissis concorditer omnes studiosi responderunt, adulterum & adulteram teneri pro possibilitate sua ad impedienda, seu resarcienda prædicta tria damna; sic enim [rejecta doctrina Soti *lib.* 4. *de Justit. quæst.* 7. *art.* 2. & Henriquez *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 11. *num.* 3. qui ab hoc onere liberant adulterum, ea frivola ratione, quia intenderit explere libidinem, non autem causare illa damna, quæ solam matrem adulteram ajunt obligatam resarcire] decidunt contra Sotum, & Henriquez prædictos omnes Theologi, Jurisprudentes, & Canonistæ, ut videre est apud Lessium *de Justit. lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 6. *num.* 46. Turrian. *in* 2. 2. *tom.* 2. *disput.* 30. *dub.* 2. Pinell. *de Casib. reserv. Cas.* 10. *num.* 18. Megalam *in* 2. 2. *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 13. Vasquez *Opusc. de Testament. cap.* 5. §. 1. *num.* 22. Rebell. *de Oblig. Just. part.* 1. *lib.* 3. *quæst.* 10. *num.* 11. Jacob de Graff. *part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 132. *num.* 36. Azor. *part.* 3. *lib.* 5. *cap.* 6. *&* 7. Vega *in summ. tom.* 1. *cap.* 13. *Cas.* 8. Rodriquez *in summ. tom.* 1. *cap.* 188. *num.* 1. Navar. *cap.* 16. *num.* 40. Reginaldum *in Praxi tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 19. *quæst.* 3. *num.* 278. Dianam *part.* 2. *tract.* 17. *& Misc.* 3. *resol.* 55. quæ collocata est in Coordinato *tom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 235. *& part.* 11. *tract.* 6. *& Miscell.* 6. *resolut.* 56. aliàs 55. Quæ in Coordinato legitur *dict. tom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 234. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 14. *num.* 1. *&* 2. Bonacina *de Matrimon. tom.* 1. *Quæst.* 4. *punct.* 15. Coton. *in Summ. Dian. Verb. Adulterium num.* 7. Tamburin. *in Decalog. lib.* 7. *cap.* 3. §. 4. & Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. tom.* 1. *de Justit. & Jure disput.* 13. *sect.* 1. 2. *&* 3. ubi examinatis contrariæ Soti opinionis frivolis fundamentis, eisque evulsis, cum supradictæ classe DD. firmat, non solùm matrem adulteram, sed & adulterum Amasium adulterinæ prolis genitorem, ad ea damna tria impedienda, & resarcienda teneri omninò; siquidem iisdem causam dedit proximè & immediatè, eam damnato coitu generando, & in familia Mariti innoxii relinquendo; quod examinat novissimè F. Cassian. à S. Elia *in Centur. Histor. decis.* 41.

Sed qua methodo impedientur dicta tria gravissima damna? vel illata poterunt reparari? Sudat frons cujuscunque docti Confessarii in 3
praxi præsentis casus. 1. Adulter nobilis & dives debet pecunias, quas magis potest, tradere matri adulterinæ prolis, ut eas convertat in utilitatem mariti, & ejus domus; ipsa verò adultera conabitur imminuere sumptus sui corporis, diligentiùs rem domesticam administra-

re,

re, & custodire & si bona Paraphernalia habeat, in lucrum legitimorum filiorum applicare. 2. Uterque reus adulterii studere debet, prolem adulterinam suaviter disponere ad religiosam vitam capessendam, eamque sic educare, ut Monasterium ingrediatur; hic enim est tutior modus impediendi, resarciendivè damna prædicta. 3. Quod si proles adulterina abhorreat à Religione, & velit bonis putativi Patris abuti, ejus hæreditatem habere, & forsan Majoratum, seu Primogenituram, & fideicommissa filiis legitimis debita sibi applicare, ac descendentibus suis per secula, quid agendum ab adulteris genitoribus? Quomodò conscientiis eorum consulendum? Quomodò commutativæ Justitiæ erga filios legitimos, aliosque cognatos, & fideicommissarios satisfaciendum? Joan. Pontius *in suo Cursu Theolog. disput. 52. quæst. 7. conclus. 6. num.* 44. ait; Matrem adulteram teneri revelare veritatem adulterinæ proli, ut sic abstineat ab hæreditate. Sed hoc consilium damnant, & reprobant omnes DD. tùm quia bona fama ipsius Matris, & periculum vitæ, cui se exponeret, revelando adulterium patratum, illam non obligat ad hoc asperrimum remedium; [nisi fortè jam diffamata esset, vel vilis conditionis existeret. Diana Coordinat. *dict. tom. 2. tract. 6. resol.* 234. *num.* 5. Cardin. de Lugo *dict. disputat.* 13. *num.* 43. 44. 45. F. Cassian. à S. Elia. *d. decis.* 41. *à num.* 6. *& seqq.*] tùm etiam quia filius, quem Mater assereret esse illegitimum, & conceptum ex adulterio, non deberet ei credere, neque fidem præstare, etiamsi cum juramento hoc affirmaret, & in articulo mortis, & post sumptam Eucharistiam, ut doctè probat Menochius *de Arbitr. Judic. cas.* 89. *à num.* 27. *& seqq.* Alciat. *de Præsumpt. reg.* 3. *Præsumpt.* 37. *num.* 4. Cardin. Paleottus *de Nothis, & Spuriis cap.* 24. Layman. *dict. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 14. *sub num.* 1. *Vers. Sed existimo.* Diana Coordin. *dict. tom.* 2. *tract.* 6. *resolut.* 234. *num.* 6. & Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disp.* 13. *num.* 62. ubi declarat Molinam *disput.* 101. *num.* 3. tenentem cum nonnullis DD. ab eo citatis, filium obligatum esse in foro conscientiæ credere Matri asserenti cum juramento, eum esse illegitimum, & sic abstinere debere ab hæreditate paterna; ut scilicèt Molinæam doctrinam admittamus, quando Mater allegaret tot, & talia motiva, quæ sufficerent in foro fori ad declarandum ipsum filium illegitimum, puta quia tempore suæ conceptionis maritus erat absens, vel quid simile; secùs autem, si soli assertioni maternæ standum esset, cui de Jure non est fides præstanda in foro exteriori, ut probat Menochius, & alii Jurisc. supra allegati; ideò neque in foro conscientiæ, cum injustum sit, ut filius illam sententiam sibi ipsi faciat contra possessionem suæ legitimæ filiationis, quam Judex quilibet minimè esset facturus.

4

5

Quare cauti debent esse Confessarii in praxi hujus casus, & abstinere ab obliganda Matre, ut adulterium suum manifestet, quamvis sit in casu mortis, neque permittere, ut sibi det licentiam illud publicandi, ea defuncta, quia ut prudenter advertit Diana Coordin. *dict. resol.* 234. *num.* 8. & 9. majora essent mala ex hac manifestatione, quàm bona; & credendum est, Maritum, filios legitimos, aliosque consanguineos, præcipuè nobiles, velle potiùs pati læsionem in bonis temporalibus, quàm infamiam in eorum cognatione; idcircò ubi spes non affulgeat suadendæ prolis adulterinæ ad Religionem amplexandam, adulter, & adultera compensent secretò ex bonis propriis maritum, & filios ejus legitimos, quantò magis possunt, in reliquis secretum servent, & pœnitentiam agant; quia cum impossibile sit restituere, & compensare usque ad complementum totius damni, non tenentur ultra, ut doctè probat Comitol. *l.* 4. *quæst.* 31. *à num.* 4. *& seqq.* Quod si moraliter certi non essent de ipsa prole, & dubium foret, an ab adulteri, an à mariti concubitu prodiret? faciliùs uterque reus esset absolvendus, & ab anxietate liberandus. Tamburin. *d. lib.* 7. *in Decal. cap.* 3. *§.* 4. *num.* 3. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 13. *num.* 17. & F. Cassian. à S. Elia *d. decis.* 41. *num.* 30.

6

7

Ad congruentiam præsentis Casus, ut supra discussi, ac decidi, non pigeat curiosum Lectorem videre ea, quæ scripsi in tomo *de Pœnitentia Decis.* 13. *num.* 11. videlicèt Matrem Gratiani Compilatoris Decreti, Petri Lombardi appellati Magistri Sententiarum, & Petri Comestoris clarissimi Auctoris Historiæ Scholasticæ, declarasse, eos fuisse per ipsam genitos ex adulterio, ut asserit Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 15. *num.* 32. Sed ejus assertionem non esse veram ibidem ostendi; & quatenùs vera fuisset, tres illi eximii Viri nequaquam debuissent credere Matri suæ, se esse illegitimos.

8

Sed nec ignorandum, quod scripsi in Decisionibus meis *de Sacrificio Missæ Decis.* 27. *num.* 83. videlicet inter cætera Hebræorum Sacrificia fuisse illud Zelotypiæ, de quo *in lib. Num. cap.* 5. Maritus enim suspicans de adulterio Uxoris, deficientibus testibus, ducebat eam ad Sacerdotem in atrio Sancto, ubi sacrificabatur farina hordeacea sine oleo, & sine thure, & descriptis per Sacerdotem maledictionibus in membrana, eaque injecta in aquam, hæc dabatur bibenda mulieri, ex cujus potu, si innocens erat, nullum detrimentum percipiebat, at si adultera, statim intumescebat venter ejus, & femur putrescebat, sic Deo jubente in pœnam adulterii, ut ibi testantur omnes Scripturistæ, & Cornelius à Lapide *dict. cap.* 5. *Num. vers.* 22. subdens ex Rabbinis Judæorum, quod dicta aqua maledicta daretur bibere etiam adultero occulto. Antiquitus in Ecclesia permittebatur purgatio à Zelotypia mariti per contrectationem ferri candentis faciendam ab uxore, quæ se innocentem profitebatur; prout fecit Sancta Chunegundis accusata apud S. Henricum Imperatorem maritum suum, etsi honestissima, ac sanctissima Virgo, de qua Eminent. Cardin. Baronius *Ann.* 1024. *num.* 10.

9

Hinc patet, in omni tempore gravissimas fuisse pœnas contra adulteros: Ægyptii eos virgis cædebant ad mille plagas, & adulteras naso truncabant ad deduces perennes. Diodorus *lib.* 1. *cap.* 6. Apud Arabes, Parthos, aliasque feras nationes, adulteris semper fuit pœna capitis. Alexander ab Alex. *lib.* 4. *cap.* 1. Cumani adulteram in foro omnibus videndam exponebant, deindè asino per totam Urbem circumvehebant, ut tota vita esset infamis. Plutarch. *in Probl.* Tenedius Rex legem tulit in adulteros, ut utriusque corpus securi scinderetur, & eam exequutus est in filium suum, teste Platone *de Legib. lib.* 9. Aurelianus Imperator sancivit, ut adulteri duarum arborum inflexis capitibus ad pe-

des

des religarentur, quibus arboribus dimissis, ipsi discerpebantur. Cœlius Rhodigin. *lib.* 10. *cap.* 6. Saxones cogebant adulteram se suspendio necare, & super bustum ipsius incensæ & concrematæ adulterum suspendebant. Guilielm. Malmesbur. *lib.* 1. *cap.* 64. *de Anglis.* Et alii populi alias atrocissimas pœnas in adulteros sanxerunt. Nunc, proh dolor! Adulteria impunita grassantur. In lege Mosaica Adulteri lapidabantur. *Levit.* 20. 10. *& Deuter.* 22. 23. Ideò Judæi de adultera dixerunt Christo; *Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Joh.* 8. 5. Legatur infra *Decis.* 146.

DECISIO XCII.

ARGUMENTUM.

Traditur, an satis sit restituere titulo donationis rem furto ablatam? De restitutione bovis & ovis apud Hebræos. An fur potuerit occidi impunè? Quid significet Vox *septuplum*? Exemplum campanulæ jugiter sonantis ablato bove.

SUMMARIUM.

1. *Restituere rem ablatam titulo donationis an sufficiat?*
2. *Titulus donationis differt à titulo justitiæ.*
3. *Donans quod debet ex justitia satisfacit.*
4. *Fingere aliquid quando liceat?*
5. *Fur apud Hebræos boves quinque pro uno, oves quatuor pro una Fur restituere debebat.*
6. *Fur an impunè apud Hebræos potuerit occidi?*
7. Septuplum *quid significet in Scriptura Sacra?*
8. *Campanula bovis furto ablati indesinenter sonans.*

QUia homo facilis est ad peccandum, difficilis ad pœnitendum, & multi, quia non erubescunt furari, erubescunt restituere, proponitur resolvendus sequens Casus: *Quidam restituere debet centum Cajo ob furtum. Dat Cajo centum fingens ex liberalitate ea illi donare. Quæritur, an satisfecerit suæ conscientiæ?*

NOn satisfeciſſe responderunt aliqui ob autoritatem Bonacinæ *de Restitut. in genere tom.* 2. *disput.* 1. *quæst. ult. punct.* 2. *num.* 26. ubi ita te-
1 nere affirmat Aragon. Rodr. Clavem Regiam, Lopez, Sala, & Sanch. *in Summ. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 11. ea ratione, quia titulus donationis, & titulus justitiæ sunt tituli distincti, ideò tra-
2 dens centum titulo donationis non remanet liber ab obligatione restituendi ea centum, quæ debet ex titulo justitiæ. Vel quia, ut ait Sanchez *ibid. num.* 13. Justitia obligat ad æqualitatem servandam inter rem debitam, & solutam, quæ non servatur, quando debitum non solvitur, ut debitum, sed liberali donandi animo. Alii satisfeciſſe conscientiæ affirmarunt; quia ita docet Diana *part.* 7. *tract.* 10. *& misc.* 1. *resolut.* 19. quæ collocata est in Coordinato *tom.* 6. *tractat.* 3. *resolut.* 152. ubi advertit id etiam procedere, quando donans non fuisset memor debiti sui ex justitia; nam quotiescunque recorda-
3 bitur, poterit facere compensationem per rem illam donatam cum tali ignorantia; ut tenent Rodriq. *in summ. part.* 2. *cap.* 49. *conclus.* 2. Trullench. *in Decalog. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 10. Layman. *lib.* 3. *tractat.* 2. *cap.* 12. *num.* 6. Baldellus *tom.* 1. *lib.* 5. *disput.* 25. *num.* 18. cujus verba transscribit Diana Coordinatus *tom.* 8. *tract.* 7. *resolut.* 46. Quare multò magis procedere debet satisfactio debiti ex justitia, quando fingens donare intendit suæ conscientiæ satisfacere in eo, quod debet ob furtum restituere. Coton. in Summa Dian. *Verb. Compensatio num.* 4. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 5. *num.* 2. Casalicch. *in tuta conscientia libr.* 3. *cap.* 10. *num.* 17. & hæc secunda opinio est amplectenda in favorem restituentis sub dicta fictione; ita tamen, ut in praxi talis fictio non sit laudanda, nisi ob urgentem causam, videlicet, 4
cessante alio securo modo restituendi absque læsione propriæ famæ, ne donatarius credat, se obligatum redonare ficto donatori, & ex receptione sui crediti titulo donationis patiatur aliquod damnum ex obligatione antidorali.

Porrò cum hìc actum sit de restitutione furti, non erit absque animi delectatione inquirere, cur Deus olim præceperit. *Exod.* 22. 1. quod 5
Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit? quinque boves pro uno bove restituat, & quatuor oves pro una ove: Si mandantur restitui boves quinque, cur non etiam quinque oves? Vel si oves quatuor erant restituendæ, cur non etiam boves quatuor? Respondet Sanct. Thomas 1. 2. *quæst.* 105. *articul.* 2. *ad* 9. his verbis: *Jubet Deus, ut fur quinque boves pro uno reddat, quia bos quinque habet utilitates; nam Primò immolatur: Secundò pascit sua carne: Tertiò arat: Quartò dat lac: Quintò dat corium; Ovis verò quatuor tantùm affert commoda: nam Primò immolatur: Secundò pascit carne: Tertio dat lac: Quartò dat lanam.* Item non est injucundum scire, quod *dict. capitul.* 22. *Exod. Vers.* 3. mandatum erat, ut fur nocturnus impunè posset à quocunque occi- 6
di, non etiam diurnus. Tres rationes affert *ibidem* Cornelius à Lapide. *Primam*, quia furis nocturni incerta est vis, ac intentio. *Secundam*, nam non potest agnosci à domino, ut ab eo judicialiter rem suam possit repetere. *Tertiam*, quia non ita facilè fur nocturnus potest apprehendi, sicut diurnus. Hæc dispar dispositio contra furem habetur etiam in *capit. Si perfodiens. Extr. de Homicid.* Verum tamen est, quod si, fur voluerit armis se defendere possit impune occidi, *l. Furem. ff. Ad leg. Cornel. de Sicar.*

Sed dicet aliquis; si Deus præcepit, ut fur pro furto reddat quatuor vel quinque, cur Salomon *Prov.* 6. 31. ait: *reddet Septuplum?* Respondent Jansenius, & alii, quod *ly septuplum* 7
significet *multuplum*, quia est poeticum Hebraismum, ut per septies innuatur pluries. Sic *Genes.* 4. 24. de Cain dabitur ultio *septupla*, ideſt *multiplex*; Et scribit *Eccles.* 7. 3. *Non semines mala in sulcis injustitiæ, & non metes ea in septuplum*, videlicet *multipliciter.*

Concludat Decisionem hanc furtum illud, 8
quod quidam fecerat, auferendo clam bovem à S. Medardo, sed quia collo bovis appensa erat campanula, hanc fur abstulit, & implevit fœno, ne sonum ederet, & eum manifestaret. At cum perveniſſet domum cum bove furto ablato, campanula indesinenter sonabat, etsi fœno, pannis, aliisque rebus cooperta, adeò ut confusus, atque compunctus fur, redierit ad S. Medardum, veniam petierit, & bovem restituerit. Ita P. Menochius *in Stoeis Cent.* 4. *cap.* 14.

DECISIO XCIII.

ARGUMENTUM.

Explicatur, Quid sit Fortitudo? Quotuplex? Quot ejus partes? Quale objectum Fortitudinis? Qui ejus Actus? Quæ vitia Fortitudini opponantur?

SUMMARIUM.

1. *Fortitudo quid sit tàm corporis, quàm animi?*
2. *Fortitudinis species duæ.*
3. *Fortitudo alia aggrediens, alia tolerans.*
4. *Vitia oppositа Fortitudini quæ?*

CIrca hanc Virtutem sciendum, quod *Fortitudo* vel consideretur in corpore tam ho-
1 minum, quàm bestiarum, & est *validitas virium*, ut in Samsone, David, Goliath, ac Leone, de quo dictum est *Eccles.* 30. *Leo fortissimus bestiarum.* Vel consideretur in animo, & est qualitas inclinans, & juvans ad ardua & periculosa aggrediendum, & ad dolorifera, terribilia, ac tristia jam inexistentia tolerandum. Ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 123. ex Scoto *in Sent. dist.* 34. Ex Arist. 3. *Ethic.* 9. & ibi P. Sylv. Maur. *in Comment.* Et Eminentiss. Cardin de Lauræa *dict. tom.* 2. *de Virtutib. in genere disp.* 26. *num.* 20.

Duplex autem est Fortitudo, Una *Similitudinaria*,
2 alia *Vera*. Fortitudo *Similitudinaria* non est Virtus, & consistit in aggrediendis arduis & terribilibus vel in rebus prohibitis, ut in bello injusto, duello, torneamentis, vel ex motivo non honesto, sed aut ob interesse, vel ob fugiendam aliquam pœnalitatem, puta egestatem, captivitatem, vel cum modo non virtuoso, ut cum ferocia, impetu iræ, aut cum stupiditate. *Vera* autem *Fortitudo* est Virtus Cardinalis respiciens ardua & periculosa aggredienda, & terribilia ac dolorifera toleranda ex motivo honesto, & in rebus præceptis, aut ex conciliis Evangelicis provenientibus. Et hæc est duplex. Una *Aggrediens*, & alia *Tolerans*. Utriusque autem For-
3 titudinis partes sunt *Fiducia*, *Securitas animi*, *Magnanimitas*, *Magnificentia*, *Longanimitas*, *Patientia*, *Constantia*, & *Perseverantia*. Objectum materiale remotum Fortitudinis sunt omnia terribilia continentia periculum gravis mali, etiam mortis: Proximum ipsi actus audendi, seu tolerandi. Objectum verò formale est honestas insurgens ex mediocritate audendi, & tolerandi ardua, terribilia, ac dolorifera. Actus Fortitudinis sunt aggressio arduorum, & tolerantia doloriferorum in his, quæ præcipiuntur à lege Divina, Naturali, & humana justa; & ex his perfectior est actus tolerans, quam aggre-
4 diens. *Fortitudini aggredienti* duo Vitia opponuntur. Unum ex excessu, & est *Audacia*. Aliud ex defectu, & est *Nimia timiditas*, seu *Ignavia*. Vitia oppositа *Fortitudini toleranti* sunt pariter duo. Unum *Mollities*, & dicitur ex defectu. Aliud *Stupiditas*, & dicitur ab excessu, siquidem Fortitudo, ut Virtus Cardinalis, non respuit omnem metum, ita ut homo aggrediens ardua, vel tolerans dolorifera fiat stupidus, & nullum sentiat timorem; nam Sancti Viri in tormentis timebant, & dolorem experiebantur; ac Christus Dominus, *Cœpit pavere, & tædere, ac mœstus esse* tempore suæ Sanctissimæ Passionis; sed Virtus Fortitudinis facit, ut expellatur metus, ac dolor, ex quibus recta ratio posset turbari, & animus frangi, cum offensione legis Divinæ. Ita ex Angelico Doct. 2. 2. *dict. quæst.* 125. & *seqq.* P. Sylvestr. Maur. *in Comment.* Arist. 3. *Ethic. tom.* 2. Azor. *part.* 1. *cap.* 26. Gonet. *in Clypeo Theolog. Thomistica tom.* 4. *tract.* 11. *disp.* 5. Emanuel Thes. *in Philos. Mor. lib.* 4. & Eminentiss. Card. de Lauræa *dict. tom.* 2. *disp.* 26. 27. & 28. ubi de hac Virtute Fortitudinis nihil intactum, nihil omissum, sed piè, ac doctè omnia recensentur, auctoritatibus, ac exemplis sacris, & profanis comprobantur.

DECISIO XCIV.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, non satis esse debitori ordinare restitutionem in Testamento. Res donata, moriente donatore, ac donatorio ante consignationem, quibus hæredibus sit danda? Confessarius an de suo teneatur dare pecuniam sibi subreptam, habitam à Pœnitente pro restitutione facienda?

SUMMARIUM.

1. *Testamento ordinare restitutionem an satis?*
2. *Sententia Judicis non expectanda in restitutione.*
3. *Expensæ omnes ab injusto litigante solvendæ.*
4. *Absolutus in prima instantia, sed condemnatus in secunda, tenetur ad expensas utriusque instantiæ.*
5. *Donante, ac donatario mortuis, quorum hæredibus debeatur donum?*
6. *Gratia non destruitur morte concedentis.*
7. *Donatio facta absenti ante acceptationem non valet.*
8. *Morosus in exequendo tenetur ad damna.*
9. *Donatio absenti facta valet, sed est revocabilis.*
10. *Donatio per mortem donatoris sit irrevocabilis.*
11. *Traditio rei donatæ parit actionem ad eam consequendam.*
12. *Mandatum de re donanda expirat morte mandantis.*
13. *Pœnitens, an Confessarius, si restituenda pereant, teneatur ea dare?*
14. *Res perit domino.*
15. *Culpa triplex.*
16. *Confessarius quando teneatur de suo facere restitutionem?*

FRequens in praxi est Quæsitum. *An satis sit* 1
in testamento ordinare solutionem debitorum? Responderunt, non satis esse, neque esse absolvendum debitorem, qui cum possit restituere ante mortem, vult differre solutionem, eamque committere hætedibus in testamento; nisi forte ita faciendum foret ad evitandum scandalum, vel infamiam; & ratio est, tùm quia non videtur habere necessariam dispositionem, & propositum restituendi, cum velit restituere sub conditione, *si moriar*; tùm etiam quia utplurimùm hæredes non restituunt, vel ex litibus, quæ insurgunt super hæreditate, vel ex defectu bonæ voluntatis; quare multum fallun-
tur, qui debita, cum possint, nolunt solvere;
ut

ut ait Eminentiſs. Cardin. Toletus *lib. 5. cap. 24. num. 3.* Tamburin. *in Decalog. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 6.* Mancin. *in Pract. Viſitandi infirm. Pract. 6. dub. 25.* Sotus *de Juſtit. lib. 4. quæſt. 7. art. 1. concl. 3.* Navar. *in Man. cap. 17. num. 68.* Coton. *in Summa Dian. Verb. Reſtit. ultim. num. 32.* & ipſe Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 4. reſol. 51.* quæ in veteri jacet *in part. 5. tract. 3. reſol. 104.* Eminentiſs. Cardin. de Lugo *de Juſtit. & Jur. tom. 1. diſput. 20. num. 212.* Et Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *de Virtut. in gen. tom. 2. diſput. 23. art. 5.* & dictum eſt ſupra *Deciſ. 79. num. 4. & Deciſ. 82. num. 8. & num. 11.* ubi exempla animarum in Purgatorio exiſtentium ob negligentiam hæredum in ſolvendis debitis.

2 Sit Secundum Quæſitum: *An debitor tardare ſolutionem poſſit, donec judex eum condemnet?* Dictum fuit, non poſſe tardare, ſi debitum ſit liquidum; quia non licèt detinere rem alienam, nolente domino, neque defatigare creditorem dilationibus forenſibus; eſt enim contra charitatem, & contra juſtitiam. Tamburin. *in Decalog. dict. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 6. num. 1.* Idcircò non ſolùm tenetur talis debitor ad debitum ſolvendum, ſed etiam ad damna, & expenſas litis, quæ,
3 & quas creditor fecit, etiamſi Judex eum in expenſas non condemnaſſet. Ridolphin. *in Praxi cap. 13. num. 601.* Scaccia *de Sentent. & Re Judic. gloſſ. 14. quæſt. 13. num. 70.* Veſtrius *in Praxi lib. 8.*
4 *cap. 2.* Rota coram Eminentiſs. Cardin. Celſo *deciſ. 74. num. 3.* Imò ſi debitor fuiſſet in prima inſtantia abſolutus ab expenſis, & in ſecunda inſtantia ſit in expenſas condemnatus, tenetur ſolvere expenſas utriusque inſtantiæ. M. Anton. Peregrin. *in Deciſ. Patavin. Deciſ. 128. num. 13.*

Curioſus autem valdè eſt ſequens Caſus, cu-
5 jus petita fuit reſolutio. Videlicèt: *Vir Venetus dat torquem aureum Petro, doni cauſa mulieri Patavinæ conſignandum. Petrus conſignare tardavit, adeò ut donator & donataria dies ſuos clauſerint extremos. Quæritur, An torques debeatur hæredibus donatoris, vel hæredibus donatariæ?*

Tres ſententias inveni ad hunc caſum. *Primam*, quod torques aureus debeatur hæredibus mulieris donatariæ; ea ratione quia donatio eſt
6 genus quoddam gratiæ, gratia autem non evaneſcit morte concedentis, ſed ab executore debet ad ſuum effectum perduci, *cap. Si ſuper gratiam. de offic. deleg. in 6.* & quamvis donataria ſit mortua, jus ad ipſam ſpectans transmittitur ad ejus hæredes ad conſequendam rem donatam, non ſolùm contra ipſum donatorem ſuperventem, ſed etiam contra ejus hæredes, *l. Si quis argentum. §. fin. C. de Donation.* Nicol. Noalis *de Tranſmiſſionib. Caſu 45. num. 7.* & ſic ſentire videtur Sanchez *de Matrim. lib. 1. diſput. 6. num. 6.* & Leſſius *de Juſtit. & Jur. lib. 2. cap. 18. dub. 6. n. 45.*

Secundam: Quod ipſe torques debeatur hæredibus Viri Veneti donatoris, ſiquidem communis eſt Theologorum, & Juriſtarum aſſertio,
7 quod donatio facta abſenti, ante ejus acceptationem non valeat, *l. Abſenti, ff. de Donat. l. Nec ambigi. C. eod.* Eminentiſs. Cardin. Mantica *de Tacit. & Ambig. lib. 13. tit. 7.* Jul. Clar. *§. Donatio, quæſt. 12.* Antonin. Theſaur. *Deciſ. Pedemont. Deciſ. 70. num. 1.* Bonacina *tom. 2. de Contractib. diſput. 3. quæſt. 12. punct. 4. num. 2.* Layman. *lib. 3. tract. 4. cap. 1. num. 5.* Sed mulier hæc donataria mortua eſt absque acceptatione doni: Ergo donatio remanſit invalida; qua invaliditate attenta, torques non eſt conſignandus hæredibus donatariæ, ſed hæredibus donatoris ea ratione, quia Petrus cenſetur habuiſſe mandatum tradendi torquem mulieri, quod cum non fecerit ante mortem mandantis, poſt ejus mortem expiravit mandatum, *l. Mandatum. C. Mandati, l. 2. §. Sed ſi quis, ff. de Donation.* Bonacina, & Layman. *ibidem.*

Tertiam Sententiam. Deberi quidem ipſum torquem aureum hæredibus donatoris, ſed Pe- 8
trum, ex cujus tarditate damnum illatum fuit ipſi donatariæ, teneri ad ſolvendum valorem ejusdem torquis hæredibus prædictæ donatariæ; quod docet Molina *de Juſtit. & Jur. tom. 2. diſput. 263. §. Juxta hactenus dicta*; quem refert Layman. *dict. cap. 1. num. 6. in fin.* Bonacina *dict. punct. 4. num. 3.* Diana *part. 6. tract. 7. & miſc. 2. reſolut. 4.* quæ in Coordinato accepit ſedem in *tom. 8. tract. 7. reſolut. 17.* Trullench. *in Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 17. dub. 4. num. 6. & 7.* & Sanchez *dict. lib. 1. diſput. 6. num. 8.*

Ex his ſententiis prima tenenda eſt ea ratione, quia non eſt verum, quod donatio non va- 9
leat abſenti facta ante ejus acceptationem; ſiquidem valet, & tenet, ſed eſt revocabilis à donatore, antequam à donatario abſente acceptetur; ut bene advertit Illuſtriſs. Epiſcop Sperellus *deciſ. 81. num. 33. & 34.* & conſtat ex aperto ſenſu dictarum *l. Abſenti, ff. de Donat. & leg. Nec ambigi. C. eod.* & pluribus citatis tenet Theſaur. *dict. deciſ. 70. ſub num. 9.* nec non Cevall. *com. contra commun. part. 1. quæſt. 54. num. 11.* Cum igitur donatio fuerit valida à principio, & ab ipſo Viro Veneto donatore, ejus vita durante, non fuerit revocata, per ejus mortem facta eſt irrevocabilis, imò confirmata cenſetur, adeò ut ab ejus hæredibus revocari non poſſit. Covaruv. *lib. 3. Var. reſolut. cap. 14. num. 17.* Jul. Clarus *d. §. Donatio quæſt. 13. in fin.* Theſaur. *dict. deciſ. 70. num. 9.* & Illuſtriſs. Sperellus alios plures allegans *dict. deciſ. 81. num. 35. & 36.* Idcircò ad hæredes donatoris absque dubio torques ſpectare non poteſt, & per conſequens pertinere debet ad hæredes Mulieris donatariæ, ad quam miſſus fuit, & quæ repræſentatur à ſuis hæredibus, *l. Hæredem. 59. ubi DD. ff. de Regul. Jur.* 10
Nicol. Noalis *de Tranſmiſſion. caſ. 42. num. 10.* quibus quidem hæredibus donatariæ competit actio contra hæredes donatoris ad conſequendam rem donatam, *d. l. Si quis argentum, §. fin. C. de Donation.* Idem Noalis *de Tranſmiſſion. d. caſu 45. num. 7.* Theſaur. *d. Deciſ. 70. ſub num. 5.* Maximè quia in noſtro caſu donatio non proceſſit ex promiſſione, ut acceptatio donatariæ videatur neceſſaria ad actionem acquirendam, ſed ex tra- 11
ditione, cujus vigore oritur actio ex Jure Gentium, ut advertit Eminentiſs. Cardin. Mantic. *de tacit. dict. lib. 13. tit. 4. num. 17.* videlicèt ex Jure naturali ſecundario, cui nihil magis congruit, quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi, *l. Qua ratione, §. Hæ quoque, ff. de Acquiren. rer. domin.* Et §. *Per traditionem. Inſtit. eod. tit.* Idem Cardin. Mantic. *dict. lib. 13. tit. 1. num. 8.* Gloſſ. 1. *in dict. l. Nec ambigi. C. de Donat.* Azor. *in Summ. C. de Donat. Verſ. Cui poſſit donari.* Manfred. Govean. *in addit.* ad Clar. *dict. §. Donatio, quæſt. 12. Verſ. Non valet.* & Layman. *dict. lib. 3. tract. 4. cap. 1. num. 6. Verſ. Nihilominus.* ubi ex hac ratione in hanc ſententiam inclinat, quam amplexus fuit Clerus Bo-

nonien, in consimilibus Decisionibus casuum Conscientiæ *Anno* 1634. *Mens. Septemb. cas.* 2. ut refert Diana Coordinatus *dict. tom.* 8. *tract.* 7. *resol.* 17. qui in hac eadem sententia residet, cum Eman. Sa *Verb. Donatio num.* 21. *& Verb. Mandatum num.* 2.

Neque obstat *textus in l.* 2. §. Sed *si quis ff. de Donation.* quia procedit, ubi quis dedit alicui in
12 mandatis, ut rem aliquam alteri donaret, nam moriente mandante ante donationem expirat mandatum; secùs autem est, ubi donatio facta est immediatè ab ipso donatore, prout in casu nostro, in quo Vir Venetus donat ipsemet torquem aureum mulieri Patavinæ, nec aliud mandat Petro, nisi ut rem jam ab eo donatam consignet donatariæ; ac propterea cum donatio processerit à libera voluntate Viri Veneti donatoris, & fuerit perfecta, quando tradidit Petro torquem ad effectum, ut securè eam deferret, & consignaret mulieri Patavinæ, non potest evanescere donatio, quamvis hoc nudum ministerium consignationis ex negligentia, seu malitia Petri non sit adimpletum ante mortem donatoris; prout respondet Illustriss. Sperellus *d. decis.* 81. *num.* 38. Tamburin. *in Decalog. lib.* 8. *tract.* 4. §. 5. *num.* 11. & magis apertè ad præsentem casum *lib.* 9. *de Contractib. tract.* 9. *cap.* 7. §. 6. *num.* 13. *&* 14.

Sed non minori curiositate, ac necessitate
13 censenda est resolutio hujus alterius Casus: *Pœnitens obligatur restituere centum Petro, ea centum consignavit Confessario, ut clam ad Petrum deferret. Interim furto auferuntur Confessario. Quæritur, An Pœnitens, vel Confessarius teneatur alia centum mittere Petro?* Et à Pœnitente alia centum esse restituenda Petro omnes dixere, quia illa centum consi-
14 gnata Confessario erant pœnitentis, res autem perit domino; & ipse pœnitens non erat debitor speciei, sed generis, ideò re pereunte non liberatur, sed tantundem tenetur reddere Petro: ita omnes DD. S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 2. Navar. *cap.* 17. *num.* 67. Rebell. *lib.* 2. *quæst.* 13. *num.* 11. Molina *tom.* 3. *disput.* 754. Cardin. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 24. *num.* 2. Bonacina *tom.* 2. *de Restit. in gener. disput.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 9. *num.* 8. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 5. Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. tom.* 1. *disput.* 21. *sect.* 5. *per totam*: in qua confutat opinionem Dianæ autumantis, si ea centum essent debita ex delicto, non esse pœnitentem obligatum ampliùs restituere, quia fecit quod potuit, & quod debuit, consignando illa Confessario, *part.* 2. *tract.* 17. *resolut.* 2. quæ in Coordinato est *tom.* 8. *tract.* 7. *resolut.* 45. *& part.* 10. *tract.*
16. *resolut.* 97. quæ residet in Coordinato *dict. tom.* 8. *tract.* 4. *resolut.* 71. Ridiculæ sunt enim illæ rationes, quæ si valerent, væ creditoribus! Porrò an Confessarius teneatur ipse ex sua propria pecunia restituere alia centum Petro, & sublevare pœnitentem? pendet à culpa, cujus causa centum consignata sibi surrepta sunt fur-
15 to. Nam cum triplex sit culpa, lata, levis, & levissima, & in hoc casu Confessarius non teneatur nisi de lata culpa, eò quia acceptio non est in gratiam sui, sed pœnitentis, si redargui potest de dicta culpa lata, puta quia reliquisset illa centum in Confessionali sede, vel in Sacristia super tabulam, aut in Armario aperto, utique
16 esset obligatus de suo solvere illa centum, non etiam, si tantùm ob culpam levem, vel levissimam furto ablata fuissent. *l. contractus.* 23. *ff. de Reg. Jur. l.* 5. §. 2. *ff. Commodati, l.* 1. §. *ult. & l. Quod Nerva, ff. Depositi.* Reginald. *tom.* 2. *lib.* 25. *tract.* 8. *cap.* 50. *num.* 609. Molina *de Justit. & Jur. disput.* 549. Layman. *lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 5. *&* 6. Diana *part.* 9. *tract.* 7. *resol.* 32. quæ in Coordinato habetur *d. tom.* 8. *tract.* 3. *resol.* 24.

DECISIO XCV.

ARGUMENTUM.

Explicatur, Quid sit Patientia? Quotuplex? Quodnam ejus objectum? Quibus mediis acquiratur? Quibus contrariis oppugnetur?

SUMMARIUM.

1. *Patientiæ Virtus quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Patientiæ objectum quodnam sit?*
4. *Media ad acquirendam Patientiam.*
5. *Vitia contraria Patientiæ.*
6. *Jobi vita legebatur Hebræis per desertum.*
7. *Christi exemplum efficax pro patientia.*
8. *S. Ludovici Regis Franciæ patientia.*
9. *Justus Lipsius patiens in infirmitate.*
10. *Regis Lusitaniæ factum pro aulico infirmo consolando.*
11. *Spinulæ Nobilis Januensis egregium facinus.*

CIrca hanc virtutem sciendum: *Patientiam esse honestatis ac utilitatis causa, rerum arduarum, ac difficilium voluntariam & diuturnam perpessionem*: ex Ciceron. *lib. de Invent.* ex S. Augustin. Cyprian. & Tertullian. *lib. de Patient.* ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* 136. ex Martin. Fonar. [post Summ. Toleti] *Instit. Confessar. lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 22. & ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom.* 2. *de Virtut. in gener. disput.* 26. *art.* 9. §. 4. Duas autem spe- 2
cies Patientiæ assignarunt. Unam, quæ expectat delinquentem ad pœnitentiam, & injuriosum ad satisfactionem; & hæc propriè pertinet ad Deum. *Psalm.* 7. *v.* 12. *Deus fortis, & patiens, & Rom.* 2. 4. *An divitias patientiæ, & longanimitatis Dei contemnitis? & Matth.* 18. *v.* 26. Servus debitor rogabat, dicens, *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Alteram, quæ æquo animo tolerat mala, & injurias; & hæc propriè consideratur in homine virtuoso, & Christiano. *Jacob.* 5. 8. *Patientes estote fratres usque ad adventum Domini: exemplum accipite fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ.*

Objectum autem Virtutis Patientiæ notarunt 3
esse *pœnalitates*, quæ à Deo immediatè immittuntur, ut sunt infirmitates, bonorum jactura, mors charorum; *Injurias*, quæ ab hominibus dantur; *labores*, qui pro observantia legis Divinæ, & Dei gloria sustinentur; & *expectationem* cœlestis beatitudinis, quia *Spes, quæ differtur, affligit animam. Prov.* 5. 13. Fornar. *dict. lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 22. undè ajebat S. Philippus Nerus, *à chi ama Dio, la vita è di pazienza, e la morte di desiderio.*

Acquiritur autem Patientia pluribus mediis, 4
de quibus idem Fornar. *dict. cap.* 22. Sed tribus præcipuis: 1. *Oratione*, ac meditatione vitæ Jesu Christi Domini nostri. 1. *Petr* 4. *v.* 1. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armemini.* 2. *Humilitate.* Qui enim scit, se dignum omni contumelia, facilè suffert adversitates, & injurias. *Eccles.* 2. *v.* 4. *In dolore sustine, & in humilitate*

habe

habe patientiam, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis. 3. *Consideratione præmii æterni. Luc.* 21. 19. *In patientia vestra possidetis animas vestras.* Undè illud Sanctæ Theresiæ. *E tanto il bene, quale aspetto: che ogni pena mi è diletto.*

5 Oppugnari autem Patientiam concluserunt duobus contrariis, *mollitie corporis, & superbia mentis.* De prima *Prov.* 29. 21. *Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* De Secunda *Prov.* 13. 10. *Inter superbos semper jurgia sunt.* Hæc omnia, & alia plura collecta reperi in responsis Cleri nostri ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 136. ex Fornar. *d. cap.* 22. ex Polyanth. *Verb. Patientia*, ex Philothæa S. Franc. de Sales *part.* 3. *cap.* 3. ex P. Arias *de Imitat. Christi tract.* 3. *cap.* 27. *& seqq.* ex Rodriq. *Exercit. Perfect. part.* 1. *tract.* 8. *per totum*, & ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disput.* 26. *art.* 9. §. 4.

6 Refert P. Menochius *in Storeis Centur.* 5. *cap.* 84. ex Hæbræorum traditione, quod Moyses frequenter legere fecerit iisdem vitam, & patientiam Jobi, ad illos confortandos, ut per desertum incommoda patienter ferrent illius longæ peregrinationis annorum quadraginta. At populo Christiano nullum efficacius exemplum patientiæ exiberi potest, quàm vita Redemptoris Nostri JESU CHRISTI, in quàm omnes San-
7 cti Martyres, Confessores, ac Virgines semper inspexerunt, ut fortes essent, ac constantes in cruciatibus, & tribulationibus hujus mundi.
8 Præcipuè S. Ludovicus Rex Francorum, cum in bello inito ad recuperandam Terram Sanctam contra Saracenos ab iisdem captus fuisset, in ejusdem Redemptoris exemplum intuebatur, ut infortunium illud fortiter sustineret, ideòque sic fertur allocutus. *Si omnia mihi venerunt adversa, grates tibi refero Altissime! Reversus autem ad meipsum, & ad cor meum ingressus, & egressus, plus gaudeo de patientia, quam mihi Dominus per sui gratiam concessit, quam si totus mihi mundus subderetur.* Subdit dein-
9 dè idem Menochius *ibidem* de Justo Lipsio, bonarum literarum Autore decursi seculi benemerito, quod cum esset graviter infirmus, quidam ejus amicus, ad eum confortandum in doloribus, suggereret ei patientiam Stoicorum profitentium insensibilitatem in afflictionibus, de qua ipse Lipsius scripserat librum, cui titulus, *Manuductio ad Stoicam Philosophiam.* Sed Lipsius tanquàm bonus Christianus ostendit amico Imaginem Crucifixi, dicens: *Hic est vera patientia.* Et ad eam conversus oravit Dominum, subdens: *Domine JESU da mihi patientiam Christianam.* Siquidem exemplum Salvatoris porrigit potentissimum robur ad sufferenda mala; nam si Dominus, & Caput nostrum tanta & talia passus est in corpore suo, cur nos ejus mystica membra pati recusabimus?

10 P. Ludovicus Granata *in Concione secunda super* 2. *fer. Paschæ* narrat, Joannem II. Regem Lusitanum, cum vidisset aulicum sibi charum, & infirmum recusantem sumere medicinam sibi necessariam, quia sibi erat amara, bibisse portionem unam ejusdem medicinæ; quo viso per infirmum Regis exemplo, ipse reliquum medicinæ hilariter sumpsit.

11 De Paulo Augustino Spinula Nobili Januensi refert Menochius *ubi supra*, sibi fecisse extrahere dentem bonum, ut confortaretur ejus amicus dolens ob dentem marcidum, ad ejus extractionem sufferendam. Et hæc satis de Virtute Patientiæ, de qua Philosophi, ac Moralistæ alia plurima.

DECISIO XCVI.

ARGUMENTUM.

Referuntur novem genera personarum, quæ obligatæ sunt ad restitutionem, ob damnum alteri datum, vel rem injustè acceptam.

SUMMARIUM.

1. *Cooperatores damni quot sint? & an teneantur ad restitutionem?* & num. 11.
2. *Mandans fieri damnum quando excusetur à restitutione?*
3. *Ratum habens damnum non tenetur restituere.*
4. *Excommunicatus est ratam habens percussionem Clerici.*
5. *Consilium dans ad damnificandum restituere tenetur.*
6. *Retractatio Consilii an liberet á restitutione?*
7. *Consulens minus malum facturo majus, an restituat?*
8. *Suffragium dans in electione injusta an obligetur ad restitutionem?*
9. *Votum non sincerum, ubi electio est injusta, non excusat à restitutione.*
10. *Adulatores quando sint obnoxii restitutioni?*
11. *Cooperantes, & adjuvantes eos, qui damnum dant, tenentur restituere.*
12. *Participantes de re injustè ablata, quantum restituant?*
13. *Milites damnificantes populos quando restituere debeant?*
14. *Damnum non revelantes, aut impedientes quomodo restituant?*
15. *Famuli videntes alios furantes, & tacentes an teneantur restituere.*

Quæritur: *An dentur Cooperatores obligati ad Restitutionem? Quot, & Quales?*

Concordi calamo scripserunt omnes dari duo 1
genera cooperantium, qui tenentur ad restitutionem: *Unum* eorum, qui directè, & positivè concurrunt ad damnum inferendum. *Alterum* eorum, qui tantùm indirectè, seu negativè; & reducuntur ad novem gradus contentos in sequentibus carminibus, de quibus summariè dictum est supra in *Decis. LXXXVII.* quorum primi sex spectant ad primum genus, tres postremi ad secundum: videlicèt.

Jussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus,
Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

Verbum *Jussio* denotat mandantem, cui prima, & potissima causa incumbit restituendi; ipse enim est principalis in illatione damni, executor autem videtur tantùm esse instrumentum ipsius mandantis. At si mandans revocaverit mandatum, antequam damnum inferre- 2
tur, quamvis postea mandatarius maleficium exequatur, mandans non tenetur ad restitutionem, nisi cum mandato etiam consilium dedisset, cujus vigore mandatarius persistens in proposito damni inferendi, illud intulisset. Bonacina *tom.* 2. *de restit. in gener. disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 6. *num.* 6. Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. tom.* 2. *disput.* 19. *num.* 23. ubi *num.* 24. subdit, quod si mandatarius finxisset, se

non habuisse revocationem mandati ante malum commissum, ut mercedem promissam reciperet, in hoc casu mandans esset liber à restitutione, quia damnum totum provenit à malitia mandatarii; & idem asseverandum, si mandatarius noluisset credere, revocationem mandati verè, seriovè esse factam, quando tamen efficaciter fuit ei notificata, vel si oblitus revocationis processisset ad executionem prioris mandati, quamvis in his duobus casibus idem Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. num. 26. 27. 28.* videatur obligare etiam mandantem, quia ejus mandatum præteritum est motivum partiale damni illati. Porrò benè faciet mandans monere illum, cui damnum fieri mandavit, ut caveat, & impediat damnum imminens: si tamen hæc
3 monitio possit notificari absque infamia, vel damno longè majori ipsius mandantis. Tandem, qui ratum habet damnum alicui illatum absque suo ordine, non tenetur ad restitutionem, & si fuisset homicidium, non incurrit irregularitatem. Tamburin. *in Decalog. lib. 6. cap. 4. §. 5. num. 7.* Coton. in Summa Dianæ *Verb. Irregularitas, num. 45. & Verb. Restituere, num. 13.*
4 Vasquez *quæst. 19. num. 32. 33. 34.* ubi notat, secùs dicendum esse de excommunicatione, quæ incurritur ab habente ratam percussionem Clerici per *text. in cap. Cum quis, 23. de Sentent. excom. in 6.*

5 Verbum *Consilium* significat exhortationem ad inferendum damnum injustum, nec non preces, & promissiones, quas qui facit, tenetur ad restitutionem damni illati, etiam si executor bona fide consilium exequatur, credens illud esse justum, si opus injustum sit: undè caveant consiliarii Principum, Confessarii, & Advocati, quos ignorantia non excusabit à culpa, neque à restitutione damnorum aliis illatorum. Cardin. de Lugo *d. disput. 9. num. 35.* Sed quid di-
6 cendum, si consulens, re integra, retractet suum consilium, qua tamen retractatione non obstante damnum fuit illatum? Et distinguunt DD. vel consilium fuit requisitum ad veritatem sciendam, ut à Doctore, an talis contractus sit licitus? vel à Medico, an talis medicina sit bona? Et in hoc casu qui dedit malum consilium, erit liber à restitutione, si revocet suum consilium, & dicat veritatem ante damni illationem. Vel petitur consilium ad sciendam utilitatem, vel commoditatem in malo faciendo, vel damno inferendo, & in hoc casu retractatio consilii non liberat consulentem ab obligatione restituendi; quia ejus motiva jam data sunt tanquam arma, quibus utitur malefactor ad damnum inferendum. Molina *de Justit. & Jur. tom. 2. disput. 731.* Vasquez *d. cap. 9. §. 1. num. 10. & 11.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput. 19. num. 37.* qui *num. 39. & 40.* docet, fieri irregularem illum qui consuluit abortum, vel duellum, si effectus sequatur, non obstante præcedenti retractatione consilii. Quamvis non desint DD. qui liberant consulentem ab irregularitate, & à restitutione, quando retractavit consilium, ut videre est apud Dianam *part. 2. tract. 16. resol. 15.* quæ residet in Coordinato *tom. 8. tract. 5. resolut. 85.* Quicquid sit de magis probabili ex his opinionibus, discant Parochi, ac Prædicatores docere populum, quàm grave malum sit, dare consilia mala? Cæterùm, an teneatur ad restitutionem, qui consulit minus malum volenti facere majus? Affirmant plurimi, quos allegat Sanchez *de Matrim. lib. 7. disput. 11. num. 14.* quia etiam minus malum est malum, quod nunquam consulere licet. 7
At alii *DD. ibid. num. 16.* negant, quando ille, cui consulitur, habebat firmum animum faciendi gravius malum, vel utrumque, nec aliter potest illum avertere à graviori malo. Quod concedit Cardin. de Lugo *d. disput. 19. num. 44.* quando illa duo mala erant inferenda eidem personæ, cui propterea potius utile est consilium de minori malo inferendo; secùs autem si malum erat inferendum uni personæ, & tu proposuisti aliam personam, cui minus malum fieret: tunc enim teneris ad restitutionem illius minoris mali. Quod si aliquis cogitet unum, vel alterum malum æquale inferre uni, vel diversis personis, & tu consulas potiùs unum malum, quàm alterum fieri, vel potiùs huic personæ, quàm alteri, Sanchez *dict. disput. 11. num. 26.* te obligat ad restitutionem, sed Cardin. de Lugo *dict. disp. 19. à num. 51. & seqq.* te liberat; ea ratione, quia non influis ad malum faciendum, cum jam malefactor sit dispositus, sed eundem avertis ab uno, ut faveas alicui ex damnificandis, vel ut impedias ex duobus malis æqualibus illud, quod tibi magis displicet.

Verbum *Consensus* comprehendit illos, qui 8
actioni injustæ consentiunt, & hi præcipuè sunt, quibus jus suffragii ferendi competit in electionibus; nam si injustæ electioni faveant, eligentes indignum, tenentur ad restitutionem damni, quod patitur persona digna exclusa ab electione. Eminentiss. Cardin. Paleott. *de Sacro Consistor. part. 2. quæst. 6. & 7. ac part. 5. quæst. 8. & 13.* Garzias *de Benefic. part. 3. cap. 2. num. 525.* & alii apud Dianam *part. 1. tract. 3. resolut. 18.* Quæ legitur in Coordinato *tom. 7. tract. 6. resol. 28.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. num. 60. & seqq.* qui *num. 64.* notat, teneri ad restitutionem damnorum, & peccare non solùm, qui dant suffragium actioni injustæ, sed etiam, qui suum suffragium non dant contra ipsam 9
rem injustam, vel abstinendo ab ingressu Capituli, seu Senatus, vel dando votum, ut ajunt, non sincerum; siquidem in his, quæ spectant Justitiam, vel regimen populorum, tenetur qui Jus suffragii ferendi habet, illud dare & ad favorem Justitiæ, & contra injustitiam; nisi fortè certus sit, nihil posse proficere, vel ei immineant magnæ molestiæ, vel inquietudines cum aliis; tunc enim, ut probat Diana *ubi supra*, potest à suffragio ferendo abstinere. Garzias *ubi supra num. 537.* & Joan. Valer. *in different. Utriusque fori Verb. Suffragium. diff. 2. in fin.*

Verbum *Palpo* comprehendit illos, qui adula- 10
tionibus, & laudibus movent aliquem ad inferendum damnum alicui, sicuti etiam illos, qui ita alicui exprobrant, irrident, murmurant, ut iis irrisionibus, & opprobriis moveatur ad malum inferendum. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput. 19. num. 70.*

Verbum *Recursus* denotat omnes, qui influunt ad injustitiam ferendam, & præstant opem suam 11
malè agenti, ut qui fures recipiunt, occultant, vel securitatem præbent, Advocatos, qui eos in judicio defendunt; vel qui res furto ablatas retinent in custodiam, nisi fortè ex vi, & metu alicujus violentiæ id agant, & demùm illos, qui in suis domibus recipiunt filiosfamilias ad ludendum, comedendum, & bibendum; tenen-

tur

tur enim hi omnes ad restitutionem damnorum. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 19. §. 4.

Verbum *Participans* includit eos, qui habent
12 partem rei injustè ablatæ, qui tenentur ad restitutionem solius partis habitæ, quando non fuerunt causa principalis illius damni; nam si consulendo, invitando, excitando alios comparticipes ad damnum, fuerunt principalis causa, tenentur in solidum ad restitutionem totius damni. Vasquez. *de Restit. cap.* 9. §. 1. Navarr. *cap.* 17. *à num.* 17. Sylvest. *Verb. Restitutio* 2. *quæst.* 6. Angel. *Verb. Furtum.* §. 16. Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 87. Quæ in opere Coordinato est *d. tom.* 7. *tract.* 7. *resol.* 35. Rebellius *de Oblig. Just. part.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 2. *num.* 5. Molina *de Justit. & Jur. disput.* 734. Et Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 19. *à num.* 88. *& seqq.* ubi disputant, an milites, qui in bello damna infe-
13 runt, teneantur in solidum ad restitutionem damnorum, vel ad eam tantùm portionem, quam habuerunt; circa quod varii varia dicunt, sed de rigore justitiæ videntur obligati in solidum, ut docent DD. citati.

Verba *Mutus, Non obstans, Non manifestans* significant eos, qui scientiam habentes damni inferendi ab aliquo, non clamant, non admonent,
14 non defendunt, non impediunt damnum, ac post illius illationem non revelant malefactorem: in his enim omnibus casibus tenentur ad restitutionem, dummodò tamen erant obligati ex justitia, seu ex officio clamare, admonere, impedire, revelare, ut Tutores, Curatores, Gubernatores, Ministri publici, Custodes, Medici, Chirurgi, Procuratores; secùs si tantùm ex charitate. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 7. Molina *disput.* 375. Vasquez *de Restit. d. cap.* 9. §. 3. *dub.* 1. Bonacina *de Restit. in gen. tom.* 2. *disput.* 1.
15 *quæst.* 2. *punct.* 11. Cotonius *in Summ. Dian. Verb. Restituere num.* 17. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 19. *sect.* 3. *ubi num.* 105. notat famulos videntes alios conservos in domo facere furta domestica, tacendo non teneri ad restitutionem, nisi ipsi habeant custodiam illarum rerum, vel nisi illis à domino detur clavis armarii, vel scrinii, quia pro tunc illis custodia ejus loci demandatur.

DECISIO XCVII.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quando sit obnoxius restitutioni, qui consulit circa furtum faciendum, vel dat suffragium pro lite injusta gerenda.

SUMMARIUM.

1. *Consiliarius quando sit obligatus ad restitutionem?*
2. *Furem qui facit magis securum in furando, tenetur restituere.*
3. *Propositio damnata, quod Coadjuvans in damno non restituat.*
4. *Litem injustam qui suo voto approbat, quando restituat?*
5. *Suffragia dare vel secretè, vel publicè, differentia.*

HIS ita enucleatis facilè erit sequentes casus resolvere. Primus casus est: *Thomas narrat amico, decrevisse sequenti nocte equum vicini furari. Amicus ait, facilius esse, id mane agere, tempore Missæ, quo omnes, etiam canes absunt. Thomas, vicino cum familia sua Missam audiente, furatur equum. Quæritur an amicus obligatus sit ad restitutionem?*

PLures opinati sunt, Amicum non esse obli- 1
gatum ad restitutionem equi, eò quia ejus consilium non videtur versari circa substantiam furti, ad quod Thomas patrandum erat omnino dispositus, sed tantummodò circa circumstantiam temporis, videlicèt, non ut nocte furaretur, sed mane, tempore Missæ; consilium autem, quod non influit in substantiam furti, sed circumstantiam temporis, non obligat consulentem ad restitutionem. Lessius *de Justit. & Jur. lib.* 2. *cap.* 13. *dub* 2. *num.* 4. 5. Coton. *in Summ. Dianæ Verb. Restituere, num.* 13. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *tract.* 4. *cap.* 1. §. 2. *num.* 6. & Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput.* 19. *num.* 9.

Porrò major, & sanior pars studentium tenuit, esse obligatum; siquidem consilium furandi equum manè tempore Missæ, quo etiam canes absunt, datum Thomæ furaturo tempore noctis, fecit eundem animosiorem, & securio- 2
rem ad furtum patrandum; nemo enim inficiari potest, facilius esse furari de mane, quando nullus est domi, neque canes; quàm de nocte, dum & canes latrant, & ad eorum latratum homines insurgunt contra latrones. Cum itaque consilium amici oftenderit viam faciliorem, & securiorem furandi equi, & ex eo consilio fur factus sit promptior, & alacrior in damno inferendo, Amicus dicitur influxum dedisse ipsi furto efficacem, & exindè obligatum esse restitutioni, ut disputando docet idem Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput.* 19. *num.* 6. & 7. Bonacina *de Rest. in gen tom.* 2. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 7. *num.* 4. Sotus *lib.* 4. *de Justit. & Jur. quæst.* 7. *art.* 3. Azor. *part.* 3. *lib.* 4. *cap.* 11. Elig. Bassæus *tom.* 1. *Verb. Restitutio* 3. §. 2. *num.* 3. & *tom.* 2. *Verb. Restitutio num.* 19. atque F. Cassian. à S. Elia *in Centum Histor. Decis.* 39. *num.* 6. *& seqq.* ubi DD. & rationes cumulat, & *num.* 18. advertit, contrarium asserentes incidere in illam propositionem damnatam à S. D. N. Papa INNO-
CENTIO XI. quæ dicebat: *Qui alium movet, aut* 3
inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati. Est Propos. 39. Quare tenendum est, amicum nostri casus teneri ad restitutionem.

Alter casus est: *Ponitur Pars in Capitulo litem injustam faciendi, Unus ex Capitulo videns majorem partem velle litem agere, nec voto suo impedire posse, ne Pars illa capiatur, dat & ipse votum pro lite facienda. Quæritur, an sit obnoxius restituere damna, & expensas patienti hanc litem?*

Omnes transierunt sub hac distinctione. 4
Vel fuit de primis, qui suffragium tulerunt ad favorem illius Partis injustæ, & ultra peccatum mortale tenetur ad restitutionem, quia verè influit in damnum. Vel fuit de ultimis ponentibus suffragium, & cum jam Pars capta esset, & damnum ab aliis illatum, non tenetur ad restitutionem, sed peccat mortaliter; quia quilibet tenetur resistere injustitiæ, & iniquitatem impugnare. *cap. Quisquis, & cap. Nolite timere,* 11. *quæst.* 3. Samuell. *de Canonic. Elect. tract.* 3. *contr.* 3. *concl.* 2. Cardin. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 21. *num.* 2. Bonacina *tom.* 2. *de Restit. in gen. Disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 8. *num.* 6. & 7. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 6. Graff. *part.* 1. *Decis. lib.* 2.

cap.

cap. 127. *num.* 14. Diana *part.* 1. *tract.* 3. *resol.* 16. & 17. Quæ resident in Coordinato *tom.* 7. *tract.* 6. *resol.* 25. & 26. Et Eminentiſs. Cardin. de Lugo *d. Diſput.* 19. *in tom.* 1. *de Juſtit. & Jur.* 5 *num.* 17. & 18. ubi advertit, quod ſi ſuffragia eſſent revocabilia, ſcilicèt quia darentur palàm, & oretenùs, iſte ultimus in voto dando eſſet obnoxius reſtitutioni; & ratio eſt, quia ſi contradixiſſet, & impugnaſſet Partem litis injuſtæ propoſitam, potuiſſet retrahere alios à prava opinione, & à perſeverantia in ipſa; cumque approbatio Partis illius pendeat à determinatione, quæ fit poſt audita omnium ſuffragantium vota, iſte ultimus habetur tanquam primus, & ita remanet obnoxius cum aliis ad reſtitutionem. Tamburin. *in Decal. lib.* 1. *cap.* 3. §. 7. *Verb. Suffragium num.* 3.

DECISIO XCVIII.

ARGUMENTUM.

Explicatur, Quid ſit Humilitas Virtuoſa? Quotuplex? Quot ejus gradus? An exerceri poſſit à perſonis ſublimibus, & in dignitate conſtitutis? Quibus incentivis?

SUMMARIUM.

1. *Humilitas quid ſit, & undè denominetur?*
2. *Quotuplex?*
3. *Humilitatis gradus quot reperiantur?*
4. *Potentes perſonæ quomodo ſe exerceant in humilitate?*
5. *Excelſiores qui ſunt, hi periculoſiores.*

1 Dictum fuit. *Humilitatem*, (quæ denominatur ab humo; & quia homo, qui ex humo eſt, ad humum, id eſt ad ima deprimitur, deſpiciens excellentiam ex conſideratione ſuæ conditionis imperfectæ) *eſſe virtutem, quæ refranat animam, ne immoderatè in excelſa tendat.* S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 161. Vel *eſſe contemptum propriæ excellentiæ à recta ratione dictatum.* Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *tom.* 2. *de Virt. in gen. diſput.* 31. *num.* 108.

2 Duplex eſt Humilitatis Virtus. Una *Moralis* tantùm, quam cognoverunt etiam Philoſophi naturales, & gentiles, ut ex Ariſtot. 4. *Ethic.* 11. ex Platone *lib.* 4. *de legib.* & ex Seneca *de conſol. ad Matrim.* Unde illud adagium *Noſce te ipſum.* Altera *Chriſtiana*, quæ ſubdividitur in *Communem*, ſeu de Præcepto, quæ omnes Chriſtianos decet pro æterna ſalute conſequenda; *Pſalm.* 33. *v.* 19. *Humiles ſpiritu ſalvabit.* Et in *Evangelicam*, quæ tantùm perfectorum, & de conſilio dicitur, quam docuit Salvator, tùm verbis, *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matth.* 11. 29. tùm exemplis, quia *cum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens. Ad Philipp.* 2.

Gradus hujus præcellentis Evangelicæ Humilitatis varii aſſignantur. In regula S. Benedicti ponuntur *duodecim*, quos refert S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 161. *art.* 6. Tres gradus aſſignat Gloſſa ord. *in cap.* 3. *Matth.* videlicèt. 1. Subdere ſe majori, & non præferre ſe ſe æquali. 2. Subdere ſe ſe æquali, nec præferre ſe mino-
3 ri. 3. Subeſſe minori. Quatuor gradus aſſignabat S. Philippus Nerius. 1. Spernere mundum. 2. Spernere nullum. 3. Spernere ſeipſum. 4. Spernere ſe ſperni; quibus dictus Sanctus Philippus addebat hæc verba: *& hæc ſunt dona ſperni.* Tres docuit Alphonſ. Rodriq. *Exercit. Perfect. part.* 2. *tract.* 3. nempè. 1. Cognoſcere ſe ipſum dignum omni contemptu. 2. Procurare, & delectari ſe contemni. 3. Dona naturalia, & Spiritualia non à ſe, ſed à Deo eſſe arbitrari. Porrò octo gradus Humilitatis Chriſtianæ, ac heroicæ demonſtrat Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *d. diſput.* 31. *num.* 128. his verbis: Primus humilitatis actus eſt ſui contemptus, quo quis ſe, & ea, quæ à ſe habet, nihili facit. 2. Eſt ille, quo reputat, ſe donis omnibus ſivè Dei ſivè hominum indignum. 3. Eſt, quo cupit, non haberi in pretio ab aliis, nec laudari, vel honorari, ſed omnem laudem aliis, & Deo dandam. 4. Eſt, quo optat vilis haberi, ac contemni. 5. Dum ab aliis videt, ſe honorari, vel laudari, dolet, ſi ratione ſuæ perſonæ id fiat, ſecùs ſi ratione officii, aut muneris, vel dignitatis, quam gerit. 6. Dum aliis ſe comparat, judicat ſe viliorem ob ea, quæ ex ſe habet. 7. Cum Deo ſe offert tanquam vile mancipium, eumque orat, ut de ſe faciat, quod ſibi placet tàm circa ſanitatem, quàm circa bona fortunæ. 8. In communione, atque converſatione cum aliis, quantum in ſe eſt, ſemper accipit, quod eſt vilius, & abjectius, ut in conſeſſibus locum inferiorem, in congreſſibus ſiniſtrum latus, in officiis vel nullum, vel ignobilius, veſtes ſimpliciores, ſupellectilem pauperem, &c. & ſimilia; attenta tamen conditione dignitatis, & muneris debet decentia ſtatui, ſed tamen modica adhiberi. In contentionibus potiùs vult tacere, quàm ſuperare. In judiciis non curat peritus videri. Neque eſt loquax, neque ad reſpondendum valdè promptus. In omni tandem opere, ſeu dicto demiſſus, & abjectus apparet. Hucusque Eminentia illa; cujus verba tranſcribere non piguit, quia mirificè deſerviunt perſonis Eccleſiaſticis, quibus frequens occaſio eſt in Congregationibus adeſſe, agere, & converſari.

Cæterùm humilitas Chriſtiana, Evangelica, & 4
Heroica Virtus exerceri poteſt non ſolùm à ſubditis, verùm etiam à Superioribus, & ſublimibus perſonis, Principibus, & Prælatis, quatenùs honores recipiunt debitos dignitati, & gradui, in quo à Deo ſunt poſiti, ſed in corde ſuo cognoſcunt, ſe iisdem indignos, neque in eis delectantur, potiſſimum ex ſequentibus incentivis. 1. Ex conſideratione proprii figmenti; nam ut ait Job *cap.* 17. *v.* 14. *Putredini dixi: Pater meus es: mater mea, & ſoror mea vermibus.* Et Eccleſ. *cap.* 10. *v.* 13. *Quid ſuperbis terra, & cinis?* 2. Finis, quem omnes ſpectant, id eſt mortis horridæ. *Eccl.* 3. 19. *Unus eſt interitus hominis, & jumentorum.* 3. Incommodorum, & calamitatum conditionis humanæ. Job *cap.* 14. *v.* 1. *Homo natus de muliere, brevi vivens tempore repletur multis miſeriis, &c.* 4. Miſeriarum ex parte animæ ob ignorantiam, & concupiſcentiam. *Rom.* 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 5. Vanitatis totius gloriæ humanæ, quæ quò excelſior, eò periculoſior: nam quis Lucifero inter rebelles Angelos infelicior? Quis inter Reges Salomone miſerior? Quis inter Monachos Pelagio, & Origene, ſeu inter doctos Tertulliano, Donato, & Ario doctiſſimis vilior? Ideò, ut habetur 1. *Cor.* 10. 12. *Qui ſtat, videat ne cadat.* Hæc omnia ampliori ſtylo allegata fuere à Clero Noſtro, & deſumpta ex S. Thoma 2, 2, *quæſt.* 161, *& ſeqq.* ex Alphonſ.

Ro-

Rodriq. *d. part. 2. tract. 3.* Ex Martin. Lornario. *lib. 2. tract. 2. cap. 32. post sum. Toleti.* Ex Philotea S. Franc. Salesii *part. 3. cap. 4. §. 6.* Ex Philosoph. Morali Eman Thesauri *lib. 9. c. 3.* Ex P. Lud. de Ponte (Guida Spirituale) *part. 1. tract. 2. cap. 4. & seqq.* Ex Horto Pastor. Marchantii *In Tuba Sacerd. tr. 1. sect. 12.* & Eminentiss. Card. de Lauræa *d. tom. 2. disput. 31. art. 4. per totum;* ubi luculenter, ac piè hanc celeberrimam Virtutem, quam exemplari vita jugiter est professus, & cujus radiis nihilominus, quàm Purpura fulget, exornat, & declarat.

DECISIO XCIX.

ARGUMENTUM.

Deciditur, an teneatur restituere Mandans damnum fieri, si revocavit mandatum factum? Et an illi, qui filios illegitimos mittunt ad Hospitale Domus Dei? Et an Advocati patrocinati lites injustas, vel dubias.

SUMMARIUM.

1. *Mandatum revocans ante damnum datum, si detur, an restituat?*
2. *Ratum habens damnum an sit obnoxius restitutioni?*
3. *Hospitali, ad quod filii illegitimi mittuntur, an debita sit restitutio?*
4. *Hospitalis opulentia, vel egestas consideranda.*
5. *Hospitale Domus Dei Padnæ quo anno fundatum?*
6. *Advocatus, qui defendit causas injustas, quomodo absolvendus?*
7. *Joannis Parentii Advocati Pistoiensis casus mirabilis.*
8. *Advocatus causæ injustæ obnoxius est restitutioni.*
9. *Advocatus an possit defendere causas dubias?*
10. *P. Tobias Lohner Soc. Jesu cur non dedit monita pro Advocatis?*

Quia supra dictum est *Decis. 96. num. 2.* quod qui mandat damnum fieri, teneatur ad restitutionem, nunc proponitur sequens Quæsitum: *An Mandans fieri damnum, si revocat mandatum ante damnum, & fiat damnum, teneatur ad resarciendum damnum.*

EX dictis in præcedenti *Decis. XCVI. num. 2. in Verb. Jussio*, deduxerunt omnes respondendum, mandantem non teneri, si vere, & efficaciter notificarit mandatario retractionem mandati, dummodò simplex mandatum fuerit, non etiam consilium. Lessius *de Just. & Jur. lib. 2. cap. 13. dub. 3.* Bonacina *tom. 2. de Rest. in gen. disput. 1. quæst. 2. part. 6. num. 3.* Busemb. *lib. 3. tract. 5. cap. 2 dub. 2.* Graffius *part. 1. lib. 2. c. 127. num. 6.* & Eminentiss. Cardin de Lugo *de Just. & Jur. tom. 1. disput. 19. num. 23.* Quod si mandatarius noluisset credere, retractationem mandati esse veram, vel eam oblitus damnum intulerit, plurimi volunt mandantem obligatum esse damnum resarcire, eò quia præcedens mandatum influit in hoc damnum. Eminentiss. Cardin. de Lugo *ibid. num. 26. 27. 28.* & Tamburin. *in Decal. lib. 8. tract. 4. cap. 2. §. 1. num. 6.* 1

Alterum Quæsitum sit: *An habens ratum damnum ab alio illatum, teneatur resarcire?* dictum fuit, non teneri, si eo nesciente damnum fuit illatum; nam ratihabitio habet quidem vim mandati in contractibus, & in foro exteriori, secùs autem in obligationibus restituendi, seu resarciendi damna. Layman. *lib. 2. tract. 2. cap. 5. num. 3.* Graffius *dict. part. 1. l. 2. c. 127. n. 7.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 19. à num. 32. & seqq.* Quamvis non desint rigoriores, qui docuerunt contrarium, quos citat, & sequitur Azorius *part. 3. lib. 4. cap. 12.* 2

Porrò quid respondebit Confessarius ad sequentem casum? *Unus, duo, & plures Cives narrant Confessario, se plurimos gnatos ex concubinis misisse ad Hospitale vulgò* la casa di Dio. *Quæritur, An sint obligandi expensas reficere dictæ domui?* 3

DUas reperi opiniones. *Unam*, quod prædicti Cives tanquàm divites obligati sint in conscientia reficere Hospitali domus Dei expensas suorum filiorum, ex concubinis susceptorum, quos ad dictum Orphanotrophion transmiserunt; ut docent Homobon. *de Exam. Eccles. part. 2. tract. 10. cap. 4. quæst. 14.* & Bellochius *in Praxi Moral. Theolog. part. 2. quæst. 7. num. 25.* quos refert F. Cassianus à S. Elia *in Centum Histor. decis. 40. num. 23.* ubi examinat hunc casum. *Alteram*, quod sit distinguendum, an Hospitale habeat sufficientes reditus pro alendis expositis, nec ne? Si habeat, & sit opulentum, patres divites ad nihil tenentur, quia censetur fundatum Hospitale ad impediendia infanticidia tam divitum, quàm egenorum. Econtra, si Hospitale sit pauperrimum, in egestate, obligatos esse genitores locupletes ad reficiendas expensas gnatorum. Layman. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 14. num. 4. §. Dico tertio* Tamb. *in Dec. lib. 5. cap. 3. §. 1. num. 5.* Sanchez. *in Consil. Moral. tom. 1. lib. 1. dub. 4. & dub. 5. præcipuè num. 74.* Coton. *in Summa Diana Verb. Restituere, num. 34.* & ipse Diana *part. 3. tractat. 9. resol. 40.* Cujus domus collocata est in Coordinato opere *tom. 8. tract. 7. ref. 47.* 4

Quibus stantibus in Jure, si ad factum hujus nostræ Urbis Antenoreæ casum applicemus, etsi Orphanotrophion, seu Pia Domus Dei ad recipiendos, & alendos filios expositos ære publico sit instituta anno Domini 1271. teste Scardenio *libr. 2. concl. 5.* Portenario *de Felicit. Pad. lib. 9. cap. 47.* Ursato *in Monument. Patavin. lib. 1. sect. 10.* & salutis nostræ seculo decimo quarto nonnullis hæreditatibus piorum Civium Patavinorum fuerit ditata, prout notat idem Portenar. *d. capit. 47.* nihilominùs Domum hanc laborare egestate, & sufficientes reditus non habere pro alendis lactentibus, nutricibus, famulis, ministris, filiisque, ac filiabus grandævis manifestè constat; quare Cives, aliosque fortunæ bona possidentes nequaquam absolvendos dicendum venit, si ad dictam domum filios ex libidine damnata susceptos miserint, & eleemosynas peramplas, aut pia legata eidem domui elargiri non fategerint; si quidem jus naturale, quod indispensabile est, eos obligat, filiis quamvis spuriis alimenta præbere, *l. 1. §. Jus naturale, ff. de Just. & Jur. §. Sed naturalia. Inst. de Jur. nat. gent. & Civil. capitul. Cum haberet*, ubi Gloss. & DD. *De Eo, qui duxit in Matrim. quam pol. per adult.* Eminentiss. Cardin. Paleott. *De Nothis, & Spur. cap. 47.* ubi text. & DD. Ricciul. *de Personis, quæ in statu reprobo versantur lib. 3. cap. 31.* 5

Sed magis difficilis erit cuicunque Confessario sequens Casus: *Advocatus Parocho confitetur per sex lustra causas injustas defendisse, ferè semper vincendo. Quæritur, ut talis Pœnitens salvetur, quid ei Parochus insinuare debeat?* 6

PRo responsione dictum fuit, insinuare debere, ut faciat id, quod fecit Joannes Patentius Pistojensis celeberrimus Advocatus, de quo
7 narrat Lucas Vadingus *in Chronic. Relig. Francisc. Anno Christi* 1211. (& refertur à P. Menoch. *in Histor. Miscell. Sacra part.* 1. *cap.* 347. à P. Benedicto Mazzari *in Chron. die* 1. *Januar.* & Episcop. Veglen. *Serm. in Decalog. num.* 570.) quod, cum quodam vespere vidisset Porcarium urgentem sues, qui stabulum detrectabant ingredi, & iratum tandem dicere audivisset, *Ingredimini maledicti, sicut animæ Judicum, & Advocatorum ingrediuntur infernum:* statim porci illi maximo conatu stabulum intraverint. Quo dicto, & facto expergefactus causarum ille Patronus omnibus suis bonis in egenos distributis ingressus est Religionem S. Francisci, in qua pœnitentem vitam fecit, & sanctam mortem obiit. Meherculè, Advocatus, de quo in casu, nisi dederit omnia bona sua ad resarciendum damna iis, contra quos lites injustas egit, salvari non potest, cum omni-
8 um Juristarum, & Theologorum sit sententia, obnoxium esse Advocatum causas injustas patrocinantem restitutioni. Cardin. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 61. *num.* 2. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 3. *num.* 18. *& lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 3. *&* 4. Graffius *in Decis. part.* 1. *lib.* 3. *cap.* 8. & Regin. *in Praxi fori Pœnit. lib.* 23. *cap.* 55. Quamvis enim munus summis laudibus dignum sit advocare, ut scribit Loterius *de Re benefic. in Apparat. à num* 150. *& seqq.* & Thomas Garzon. *in Platea Univers. discurs.* 12. & videatur licitum tueri causas dubias, vel minùs probabiles, maxi-
9 mè admonitis clientulis, ut scribit Diana *part.* 9. *tract.* 8. *resolut.* 63. quæ habetur in Coordinato *tom.* 8. *tract.* 1. *resolut.* 25. nihilominùs est super omnia periculosum, & in eo versatur manifestum discrimen damnationis æternæ, ut demonstrat Paulus Aringhi *in Monument. Infelicit. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 6. adeò ut nullum aliud videatur esse remedium, quàm supradictum, ubi quis per triginta continuos annos lites injustas protexerit, & vicerit; nam quis poterit librare damna eorum, quibus per injustitiam propria bona sunt ablata, præter expensas, & alia incommoda? Hinc est, quod *in Instruct. Pract. de*
10 *Confessionib.* P. Tobias Lohner Soc. Jesu det monita pro salute æterna cujusque status confitentium, sed de Advocatis neque verbum quidem; quod ex oblivione omissum esse non credo, sed ob impossibilitatem relictum suspicor. Salomon *in Prov. cap.* 21. *Vers.* 6. ait: *Qui congregat thesauros lingua mendacii, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* Quæ verba ita Cornelius à Lapide commentatur: *Thesauros congregant per linguam mendacem: Primò Judices, qui auro corrupti mendacem ferunt sententiam: Secundò falsi testes, qui falsum testimonium vendunt auro: Tertiò Advocati, qui injustam causam defendunt ob lucrum.* Deinde declarat, qui sint laquei mortis, in quos impingunt: & subdit eos esse angorem conscientiæ, horrorem mortis, nimiam cupiditatem ad pecuniam, ob quam impediuntur restituere; undè subdit: *Hinc videmus ex centum vix tres reperiri, qui ablata restituant.* Hæc dicta sint de Advocatis consimilibus illi, de quo in casu; nam cæteris piis, timorem Dei præse ferentibus, & non nisi justas causas patrocinantibus & salus æterna, & magnum præmium reservatur in cœlo à Redemptore nostro, qui Advocatus omnium est fidelium, & hoc nomine voluit insigniri à Discipulo dilecto, ubi scripsit: *Advocatum habemus apud Patrem* JESUM *Christum justum.* 1. *Joh.* 2. 2. De iisdem vide infra *Decis.* 156.

DECISIO C.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Abstinentia? Quotuplex? Quot ejus species? Quæ ejus extrema?

SUMMARIUM.

1. *Abstinentia quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Nobiles in mensis lautis possunt servare abstinentiam.*
4. *Homines cibantes se stercore, calce, aut viris.*
5. *Astomi, qui nutriuntur odoribus.*
6. *Sobrietas in quo differat ab abstinentia?*
7. *Abstinentiæ quæ sint vitia contraria?*
8. *Inedia quando sit peccatum?*

ABstinentia, quæ ab *Abs, & teneo* dicitur, quasi *à longe teneo*) nihil aliud est, *nisi moderatio in cibo, & potu juxta rectum dictamen rationis.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 146. *&* 147. Martin Fornar. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 25. *post. Summ. Tolet.* Eminentiss. Card. de Lauræa 2. *d. Virtut. in gener. disput* 31. *art.* 5. 1

Quadruplex est abstinentia in cibo, & potu. *Virtuosa, Religiosa, Miraculosa, Prodigiosa.* Abstinentia *Virtuosa* est illa, quæ nullam respuit qualitatem ciborum, neque condimenta, (nisi in tempore prohibito) sed omnibus utitur cum mediocritate, quæ circa quantitatem mensuratur à necessitate naturæ, circa condimenta à conditione personæ; ideò nobiles, ac Principes, etsi mensas habeant opiparas, attenta eorum conditione, possunt servare abstinentiam virtuosam. Eminentiss. Card. de Lautæa 3
dict. disput. 31. *art.* 5. *num.* 187. *&* 301. Abstinentia *Religiosa* respuit nedum superfluam quantitatem cibi, & potus, sed etiam qualitatem, pretiositatem, ac voluptuosam præparationem, & in escis simplicibus attendit mediocritatem ex pura necessitate ad vitæ sustentationem. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *ubi supr. num.* 295. *&* 309. Abstinentia *Miraculosa* est illa, quam famuli, & famulæ Dei professi sunt ex speciali gratia, viventes pluribus diebus absque cibo naturali, & pluribus annis sola Eucharistia Sanctissima, ut ex eorum Vitis constat, & exemplis simul relatis à P. Bagatta *in admirand. Orb. Christ. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. §. 5. & à Jacobo Pignatello J. C. Rom *tom.* 4. *Consult.* 42. *per totam,* plenam eruditionibus, Historiis, & casibus, quam legisse parochos delectabit. Abstinentia *Prodigiosa* est illa, quæ observatur in pluribus personis, quæ vel vivunt absque cibo, de quibus agit Fortun. Lycetus, nostra ætate in hoc Publico Gymnasio Patavino Lector eximius *in tract. de his, qui diu vivunt sine alimento lib. primo à cap.* 1. *usque ad capit.* 15. Vel quæ cibis naturalibus relictis 2

nutri-

nutriuntut ſtercore, calce viva, vitris, carbonibus, de quibus tractat P. Gaſp. Schottus Soc. Jeſu *in Phyſica Curioſa tom. 1. lib. 3. cap. 26. & 27.* ubi diſputat de cauſis, ex quibus provenit, ut homines abhorreant caſeum, piſces, vel alios cibos. Sed *prodigioſior* eſt abſtinentia *Aſtomorum*, ideſt hominum orientalium non habentium os, neque labia, qui vivunt tantùm ex halitu, & odore, quem naribus trahunt, ut refert Plinius *lib. 7. cap. 4.* Solin. *cap. 43. in deſcript. Æthiop.* & P. Nieremberg. *lib. 8. Hiſtor. Nat. cap. 1.* ubi teſtatur *in Xamocohuyca eſſe gentes, quæ membris purgationi excrementorum deſtinatis careant, ali propterea ſolùm odore fructuum, florum, herbarum. quas olfactu, & naribus, non ſtomacho condiunt.* Idemque de quibusdam *Pervenſibus* ſcribit Schottus *d. lib. 3. c. 11. § 3.* ubi exſculptas ipſorum *Aſtomorum* imagines ponit è naribus ſe alentes. Sed an hæc vera ſint? fides ſit apud prædictos relatores: ſatis enim fabuloſa eſſe videntur.

6 Duæ autem ſunt ſpecies Abſtinentiæ, *Una cibi*, quæ propriè *Abſtinentia* vocatur, & *Altera potus*, quæ proprio nomine dicitur *Sobrietas*; & differunt hæ ſpecies inter ſe non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter; & ideò in Confeſſione aperiendum eſt, an quis deliquerit in crapula, vel in potu? & qui cibo nimio ſe ingurgitat, ac vino ſe inebriat, duplex peccatum committit, ſpecie diverſum. Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *d. diſput. 31. art. 5. num. 258. & 262.*

Extrema Virtutis Abſtinentiæ ſunt duo. 7 Unum per exceſſum, & eſt peccatum gulæ, quæ habet quinque gradus excedendi contentos hoc carmine. *Præpropere, lautè, nimis, ardenter, ſtudioſè.* Ex S. Greg. Mor. *libr. 30. cap. 27.* & habetur *in can. Quinque de conſ. diſt. 5.* & dictos modos declarat S. Thom. *2. 2. quæſt. 148. art. 4.* & Cardin. Tolet. *lib. 8. cap. 59.* Aliud extremum eſt per defectum, & dicitur Inedia, quando quis cum præjudicio vitæ vult abſtinere à cibis; & in hoc caſu quando ſit peccatum, quando non? tractat Diana *par. 5. tract. 4. reſolut. 33.* quæ repoſita eſt in opere Coordinato *tom. 8. tract. 5. reſ. 53.* Georg. Gobat. *in Quinar. tract. 5. cap. 1. Sect. 3. à num. 30. & ſeqq.* Paſqualig. *deciſ. 28. & 29.* & Pignatellus *d. tom. 4. conſult. 43. per totam.*

DECISIO CI.

ARGUMENTUM.

Agitur de obligatione reſtituendi, quæ incumbit Adulatoribus, ac Meretricibus. Refertur factum mirabile, ſed non imitabile S. Vitalii Abbatis.

SUMMARIUM.

1. *Palpo quis ſit? Et quando teneatur ad reſtitutionem?*
2. *Meretrix quando teneatur reſtituere?*
3. *Meretrix ſummam excedentem retinere non poteſt.*
4. *Concubinus bonis decoctus ob donata Meretrici, hæc reſtituere tenetur.*
5. *S. Vitalii Abbatis mirabile, non imitabile factum.*
6. *Satellites in ſuo officio infideles an teneantur ad reſtitutionem?*
7. *Satellites ex pacto tenentur eſſe fideles Judicibus.*
8. *Damna obvenientia ob malitiam Miniſtrorum Juſtitiæ, ab eis reſtituenda.*
9. *Fiſco, vel Judici an reſtituenda damna ob defectum Satellitum?*
10. *Pecunia per Satellites à reis accepta an reſtituenda?*

NUnc declarare oportet: *Quis ſit Palpo? & Quando Palpo teneatur ad reſtitutionem?* Reſpondendum *Palponem*, (vulgò *Lunſighiere*, ò *Adulatore* Calepin. *in Verb. Palpo*, & Amalthæa Onomaſtica *eod. Verb.*) ſignificare eos, qui adulationibus, vel laudibus cauſant vel damnum fieri, vel factum non reſtitui; ac etiam ſi id operentur exprobrando, irridendo, murmurando; & tunc tenentur ad reſtitutionem, quando ille, qui damnum intulit, motus fuit prædictis adulationibus, vel irriſionibus ad damnum inferendum; ſapiunt enim naturam conſiliariorum. Azor. *part. 3. lib. 4. cap. 13.* Bonac. *de Reſt. diſp. 1. quæſt. 2. punct. 9. num. 1.* Leſſius *lib. 2. cap. 13. dub. 3. num. 25.* Layman. *lib. 3. tract. 2. cap. 5. num. 6.* Buſemb. *lib. 3. tract. 5. cap. 2. dub. 2. §. 4.* & Eminentiſs. Cardin. de Lugo. *de Juſt. & Jur. tom. 2. diſput. 19. num. 70.* 1

Cæterùm non erit facilè Confeſſario reſpondere ſequenti peccatrici, videlicèt, *Concubina Mercatoris (carcerati ad inſtantiam creditorum, quibus non habet amplius in bonis ut ſatisfaciat) confitetur Parocho, vitam in melius mutatura, & narrat, magnam auri, & argenti quantitatem à Mercatore ſibi donatam habere. Quæritur, an ſit adigenda, creditoribus Concubini reſtituere.* ? Ad hunc caſum non fictum, ſed factum, & frequenter practicabilem 2

Varii varia dixere: quia cum apud Theologos probabilior ſit opinio, meretricem malè agere meretricando, ſed injuſtè non agere accipiendo mercedem, DD. apud Dianam. *part. 2. tract. 16. reſ. 38.* quæ ſedet in Opere Coordinato *tom. 8. tract. 7. reſolut. 59.* & apud Ricciullum *de Perſonis, quæ in ſtatu reprobo verſan. lib. 2. cap. 23. & lib. 3. cap. 21.* plures abſolverunt Concubinam, de qua in caſu, à reſtitutione. At prudentiores eam obligatam dixerunt reſtitutioni in duobus caſibus. Primus eſt, ſi donata illi à Mercatore excedunt ſummam congruam, & proportionatam ſtatui Concubinæ; nam quod excedit, tenetur reſtituere. Sanctus Thom. *2. 2. quæſt. 62. artic. 5. ad 2.* Navarr. *in Manual. cap. 17. num. 41. Verſ. Septimo infertur.* Covaruv. *in Reg. Peccatum, part. 2. §. 2. num. 2. in fin.* Ricciul. *dict. lib. 2. cap. 33. num. 27.* Quæ autem dici debeat ſumma congrua, & proportionata; docet Tamburin. *in Decal. libr. 7. cap. 5. §. 3. num. 23. & 24.* quem curioſi legant. Secundus caſus eſt, ſi Mercator bonis decoxit, & factus eſt non ſolvendo erga ſuos creditores ex cauſa donationum, in quantitate magna auri, & argenti dictæ Concubinæ factarum, itaut mercaturam ſuam prodegerit, & diſſipaverit, vivendo luxuriose cum ipſa, ut ſæpè videmus in praxi evenire; & in hoc caſu pariter adigenda eſt Concubina, ut reſtituat creditoribus Mercatoris, ex doctrina Eminentiſs. Catdin. de Lugo *de Juſtit. & Jur. tom. 1. diſput. 20. num. 134.* & Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *tom. 2. de Virtut. in gen. diſput. 23. num. 50. Verſ. Octavo*, ubi probat, talem accipientem à debitore donante absque legitima, & urgente cauſa eſſe reum injuſtitiæ contra creditores, & 3 4

haberi autorem damnorum, quæ ex his donationibus superfluis & non necessariis resultant iisdem creditoribus; quibus propterea restitutio est facienda in utroque foro; & ita videtur concludere etiam F. Cassian. à S. Elia *in suis Centum Hist. decis.* 30. in qua proponit punctualiter hunc casum; sed in ejus resolutione loquitur confusè, modò asserendo, modò negando, sed Concubinam obligat ad restitutionem *num.* 9. & 10. ex Jurib. allegatis *decis.* 29. *à num.* 42. *usque* 45. quibus probarat, Patrem debitis involutum inutiliter constituere dotem filiæ suæ in præjudicium creditorum, unde eò magis inutiles debent esse donationes factæ Concubinæ.

Mirabile, sed non imitabile est id, quod de S. Vitalio Gazæ Abbate scribit P. Hieronymus à Basilica Petri in Ephemerid. Sacris *Die* 5 11. *Januar.* nempè quomodò retrahere satageret Meretrices à peccatis: ait enim, *che andò alla Citta d' Alessandria, e presa à pigione una stanziola, in quella nel giorno s' affaticava à lavorare stuore, sportelle, & altre cosarelle, che egli sapeva galantemente fabricare. Quando era l' ora di Vespro usciva à vendere quelle, che fatto aveva; del prezzo ne comperava un poco di lupini ammollati; i quali erano tutto il suo cibo ordinario. Fatto ciò andava alla Casa di una delle notate Donne da partito; con la quale patteggiava di dare tanti denari purche quella notte stasse à sua disposizione. Sborsato il denaro, la peccatrice si corcava à letto; & il servo di Dio in un cantocino della camera si poneva in ginocchio ad orare, à recitare Salmi, & à fare genuflessioni, & adorazioni à Dio, à cui tutto offeriva in compensa delle offese fattegli da colei; e per impetrarle emendazione in avvenire. Sorta l' aurora si faceva con giuramento promettere di non palesare ad alcuno quel, che fatto aveva, & esortata colei à lasciare la mala vita ritornava al suo lavoro, e così di giorno, e di notte fino che visse.* Actio admiranda: non imitanda sine certa Dei inspiratione.

6 Modò explicandus venit sequens casus frequentissimus in praxi. *Satellitum, ac Exploratorum, Confessiones Parochus audit. Accusant isti se in suo ministerio infidos esse Judicibus, accipiendo à delinquentibus pecuniam. Quæritur, an sint obnoxii restitutioni?*

STudiosiores in resolutione præsentis dubitationis ad decidendum ritè, & rectè, an Satellites, & Exploratores infidi obligati sint ad restitutionem, distinxerunt quatuor capita.

Primum est, de restitutione mercedis, quam à Principe, seu à Judice recipiunt, ut officium accusandi, seu capiendi reos, & transgressores legum agant. Et certum est eos teneri restituere pro rata infidelitatum commissarum, siquidem ex pacto, & conventione obligarunt se cum 7 Principe, & Judicibus officium suum fideliter exercere. Bonacina *tom.* 2. *Circa Octavum Decalog. Præceptum. disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 1. *numer.* 7. Ideò cum deficiant in servitio, non possunt retinere salarium, sicut de famulo ægrotante docent DD. & Navar. *cap.* 17. *num.* 108.

Secundum est, an debeant restituere damna, quæ vel communitati, vel privatis personis obveniunt, ob sui officii omissionem? Et absque 8 hæsitatione teneri omnes DD. clamant, quia peccant contra justitiam, ad quam obligantur ex officio. Bonacina *d. punct.* 1. *num.* 7. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5, *num.* 7. *Vers. secundo, & tertio.* Tamburin. *in Decal. lib.* 8. *cap.* 2. §. 6. *num.* 12. Eminentiss. Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de Justit. & Jur. disput.* 19. *num.* 99. & *tom.* 2. *disp.* 37. *sect.* 9.

Tertium est, an teneantur restituere Judici, vel Fisco pœnam, seu mulctam, quæ ex condemnatione reorum ei provenisset, si Satellites in capiendo, & Exploratores in denunciando fidi fuissent? & circa hanc restitutionem discordes sunt DD. quos allegant Bonacina *d. disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 1. *circa Octavum Præceptum num.* 8. Layman. *d. cap.* 5. *num.* 7. *Vers. Tertio.* Tamburin. *d.* §. 6. *num.* 12. & Coton. in summa Dianæ *Verb. Restituere num.* 19. quibus magis placet opinio negativa; ea ratione quia officiales prædicti non sunt deputati ad ditandum Fiscum, vel Judices, sed ad reos compescendos, quod approbat Diana *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 35. Quæ legitur in Coordinato *tom.* 6. *tr.* 1. *res.* 107. 9

Quartum denique caput versatur circa restitutionem pecuniarum, quas à reis, seu delinquentibus receperunt, ne accusarentur, & pariter circa illas communior est opinio non esse adstringendos ad restitutionem, ea præcipua ratione, quia censentur dono datæ; & donatio quamvis ob rem turpem valet, & tenet Layman. *dict. libr.* 3. *tractat.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. *in fin. & eodem. libr.* 3. *tract.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. *Vers. Denique*, & Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput.* 19. *num.* 103. ubi tamen limitat, quando data pecunia à reis esset in pretium silentii ob malum committendum, quo casu Exploratores & Satellites debent restituere dictam pecuniam, & protestari, se velle exercere officium suum, ne pecent lethaliter, & ne se obstringant restitutioni damnorum à delinquentibus prædictis inferendorum F. Cassian. à S. Elia *in centum Histor. decis.* 46. ubi suo more satis confusè, & modò ad dexteram, modò ad sinistram flectit. 10

DECISIO CII.

ARGUMENTUM.

Exponitur: Quid sit Eutrapelia? Quotuplex? Quando sit Virtus? Quando Vitium?

SUMMARIUM.

1. *Eutrapelia quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Quando sit Virtuosa, vel Vitiosa?*
4. *Exempla Eutrapeliæ è Sacra Scriptura, & SS. Patribus.*

DIxere. *Eutrapeliam* Græcè significare Latinè 1
bonam conversationem, idest *Urbanitatem*, convertendo dicta vel facta jocosa ad animi oblectamentum. Ideò *Eutrapelia est Habitus quidam inclinans ad quædam faceta, & jucunda juxta regulam rationis ad relaxandum animum* Aristot. 4. *Ethic.* 8. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 168. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom.* 2. *De Virtut. in genere disput.* 31. *art.* 7. *num* 355.

Est autem duplex Eutrapelia: *Una quæ* consistit 2
in verbis jucundis, & cum salibus prolatis; *Altera* in factis facetis. Unde Valla ajebat, Eutrapeliam esse *jocum in dictis, & ludum in factis.* Et de utraque plura referuntur exempla tùm Sacræ Scripturæ, tùm SS. Patrum *ab eodem.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. art.* 7. *à num.* 361. & *seqq.* unde illi Versus.

Rumpitur interdum, nimium qui tenditur, arcus,
Quod caret alterna requie, durabile non est.

Eus-

Eutrapelia tunc est *Virtus*, quando servat mediocritatem in dictis, & factis ludicris, ac jucundis. Est autem Vitium, quando declinat ad excessum, vel ad defectum. Siquidem in dictis, seu factis facetis vel est mediocritas, vel superabundantia, vel deficientia. Mediocris vocatur *Eutrapelus*, Superabundans *Stomolochus*, deficiens *Agrestis*. Mediocritas consistit in loco, tempore, & mensura, ideò Urbanitas verborum, aut factorum requirit, ut sit tempus proprium, locus conveniens, & ne homo sit profusus, multiloquus, obscœnus, scurrilis, aut injuriosus. Superabundare est vitium, sicut etiam deficere, ob nimiam animi duritiem, & asperitatem, ut demonstrant Arist. *d. lib.* 4. *Ethic. cap.* 8. & ibi P. Sylvest. Maur. *in* Comm. S. Thom. *dict. quæst.* 168. Lessius *lib.* 4. *cap.* 4. *dub.* 8. *num.* 68. *& dub.* 13. *à num.* 93. *& seqq.* Layman. *lib.* 3. *sect.* 4. *num.* 26. Eman. Thes. *in Philos. Mor. lib.* 13. Et Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. tom.* 2. *disput.* 31. *art.* 7. *num.* 387. 388. 389. Exempla Eutrapeliæ qui videre cupit tam à Scriptura Sacra, quàm ex SS. Patribus, legat eundem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. art.* 7.

DECISIO CIII.

ARGUMENTUM.

Breviter, sed clarè traditur obligatio restituendi fructus tàm bonæ, quàm malæ fidei possessoris.

SUMMARIUM.

1. *Fructus in quotuplici sint differentia?*
2. *Fructuum in restitutione bona fides vel mala attendenda.*
3. *Possessor malæ fidei restituit omnes fructus.*
4. *Damnum emergens, ac lucrum cessans restituitur à malæ fidei possessore.*
5. *Fructus etiam non perceptos restituit Possessor malæ fidei.*
6. *Possessor malæ fidei quando non restituit fructus?*
7. *Expensæ in colligendis fructibus retinentur à malæ fidei possessore.*
8. *Bonæ fidei possessor quos fructus restituat?*
9. *Fructus non restituendi à bonæ fidei possessore qui sint?*
10. *Expensæ in cultura agri retinendæ à possessore bonæ fidei.*
11. *Causæ quot sint excusantes à restitutione fructuum?*

1 NUnc declarandum venit: *An præter rem sint restituendi etiam fructus?* Præmittenda duo. *Unum*, quod fructus alii sint *Naturales tantùm*, ut partus ancillæ, pullus ex equa, herba ex campo Sylvestri: alii *merè Industriales*, ut lucrum ex negotiatione alterius pecuniæ: & alii *mixti*, qui proveniunt partim à natura, partim ab industria hominis, ut frumentum, & fructus, qui colliguntur ex agris, & comprehenduntur sub hoc nomine etiam fructus civiles, quales sunt Pensiones damnorum, vel animalium, quæ locantur. Sanchez *lib.* 2. *in Dec. cap.* 23. *num.* 48. Molina *de Justit. & Jur. tom.* 3. *disput.* 725. Thom. Tamburin. *lib.* 8. *in Dec. tract.* 3. §. 7. *num.* 22. & Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justit. tom.* 1. *disput.* 17. *num.* 38. Præmissum secundum est
2 quod illi, quibus incumbit onus restituendi, vel sint Possessores bonæ fidei, quia hucusque crediderunt, se esse veros, & legitimos dominos rei alienæ per eos possessæ: vel sint Possessores malæ fidei, qui scientiam habebant vel omninò certam, vel valdè dubiam, quod res per ipsos possessa, sit aliena; & de utroque dictum fuit abunde supra *Decis. XC.*

His præmotatis dantur sequentes regulæ, ampliationes, & limitationes.

DE POSSESSORE MALÆ FIDEI.

Malæ fidei possessor debet restituere Domi- 3
no rei injustè ablatæ, vel injustè retentæ, vel etiam injustè destructæ tùm fructus naturales, tùm mixtos, quos habuit ex re ipsa. Sanchez *d. lib.* 2. *in Dec. cap.* 23. *num.* 97. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. *& seqq.* Tamburin. *d. lib.* 8. *in Dec. tract.* 3. *cap.* 2. §. 7. *num.* 22. Eminent. Cardin. de Lugo *d. disput.* 17. *num.* 53. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom.* 2. *de Virt. in gen. disput.* 23. *num.* 138.

Ampliatur primò hæc regula, ut procedat, etiamsi res apud Dominum tantos fructus non fecisset. Sanchez *d. cap.* 23. *num.* 130. Tambur. *dict. cap.* 2. §. 7. *num.* 23. Bonacin. *tom.* 2. *de Rest. in gen. disput.* 1. *quæst.* 3. *punct. ult.* §. 2. *num.* 2.

Ampliatur secundò. Etiamsi dicti fructus quomodocunque sint consumpti, & ex eis Possessor malæ fidei ditior non fuisset factus; imò ex ejus industria, & cum suis expensis res fuisset meliorata ad tantos fructus reddendos; & ratio est, quia res semper suo Domino fructificat. Bonacin. *d.* §. 2. *num.* 4.

Ampliatur tertiò. Ut quamvis malæ fidei 4
Possessor non teneatur restituere fructus merè industriales, putà lucrum ex negotiatione pecuniæ alienæ; tamen debeat restituere Domino illius pecuniæ totum damnum emergens, & lucrum cessans, quod ipse Dominus percepisset ex dicta pecunia ex industria sua. Tambur. *d.* §. 7. *num.* 24. Layman. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 4. *num.* 7.

Ampliatur quartò. Possessorem malæ fidei restituere debere etiam fructus, quos non percepit è re aliena, sed illos Dominus percepisset, 5
si rem suam habuisset. Tamburin. *dict.* §. 6. *num.* 25. Ubi Doctores, & Bonacin. *dict.* §. 2. *num.* 6.

Ampliatur quintò; etiam illos fructus, quos Dominus habuisset, dando rem suam ad usus illicitos, Tamburin. *ibidem num.* 26. ubi exemplificat de domo locata ad ludos, vel ad meretricandum.

Limitatur modò supradicta Regula; 1. Quod Possessor malæ fidei non teneatur restituere 6
fructus casu fortuito, & absque sua culpa consumptos, puta ex incendio, tempestate, furto, Tamburin. *d.* §. 7. *num.* 23. Secundò neque illos fructus, quos ipse Possessor malæ fidei non percepit, licèt potuisset percipere, quando tamen neque Dominus fuisset illos percepturus; ut si agrum incultum reliquisset, quem neque Dominus erat culturus. Sanchez *dict. lib.* 2. *in Decal. cap.* 23. *num.* 118. Tertiò limitatur regula restitutionis quoad expensas factas. & laborem impensum ab ipso malæ fidei Possessore in cultura rei pro habendis fructibus; potest
7 enim & expensas, & laboris pretium deducere, quia utrumque cuilibet extraneo Dominus esset obligatus reficere. Tamburin. *d. lib.* 8. *in Decal. tract.* 3. *cap.* 5. §. 2. *num.* 11. Eminentiss. Card. de Lugo *d. disput.* 17. *num.* 61. Sanchez *d. lib.* 2. *cap.* 23. *num.* 137.

DE POSSESSORE BONÆ FIDEI.

Possessor bonæ fidei non tenetur restituere
8 fructus industriales, sed utique fructus naturales, & mixtos extantes, deductis tamen suis expensis. Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput. 17. num. 44.* Tamburin. *d. §. 5. num. 2.* Bonacina *d. disput. 1. quæst. 3. punct. ult. §. 1. num. 7.*

Ampliatur primò hæc regula; ut restituere teneatur bonæ fidei Possessor etiam fructus non extantes, dummodò ipse ex perceptis, & consumptis factus sit ditior. *§. Si Titius, cum duob. seqq. Iustit. de rer. divis.* Tamburin. *d. §. 5. num. 3.* Bonacina *d. §. 1. num. 9.* & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 2. disput. 23. num. 133.*

Ampliatur secundò. Ut etiam debeat restituere fructus perceptos, quos Dominus non percepisset ob suam negligentiam, vel quos diligentia, seu melioratione à Possessore facta ipse collegit; semper enim res fructificat suo Domino. Sanchez *d. lib. 2. in Decalog. cap. 23. num. 105.* Molina *tom. 3. d. disput. 725. num. 22.* Tamburin. *d. §. 5. num. 4.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. disput. 17. num. 52.*

Ampliatur tertiò etiam Pensiones rerum, quas Dominus non solebat locare, ut domus, jumenti. Sanchez *d. cap. 23. num. 142.* Tamburin. *dict. §. 5. num. 8.* Quamvis Diana absolvat ab hac restitutione Pensionis tùm bonæ, tùm malæ fidei Possessorem, si dominus dives præsumatur non curare de dicta Pensione *part. 2. tract. 17. resol. 50.* Quæ legitur in Coordinato *tom. 8. tract. 7. resol. 8.*

Limitatur autem supradicta regula; nam Possessor bonæ fidei non tenetur fructus restituere: *Primò*, quos bona fide consumpsit, & ex
9 quibus non est factus ditior, Tamburin. *dict. §. 5. num. 3.* Bonacina *dict. §. 1. num. 9. Secundò* neque eos, quos usucapione fecit suos, id est transacto jam triennio, etsi extantes, vel ditantes. Tamburin. *d. §. 5. num. 3.* Bonacina *ubi supra num. 10. Tertiò* neque tenetur reficere lucrum cessans, vel damnum emergens ob fructus industriales. Tamburin. *ibid. num. 5. Quartò* neque fructus collectos in suo agro ex semine alieno bona fide seminato in prædicto
10 fundo suo. Tamburin. *ubi supra num. 7.* Et *Quintò* bonæ fidei Possessor deducere debet expensas tùm necessarias, tùm utiles; ac etiam æstimationem laboris sui. Tamburin. *dict. lib. 8. in Decalog. tract. 3. cap. 3. §. 5. num. 11.* Eminent. Cardin. de Lugo *dict. disput. 7. num. 61.*

Ex his studiosus lector cognoscet absque alia hæsitatione, *quæ causæ excusent à restitutione fru-*
11 *ctuum*? Nempè Circa malæ fidei Possessorem tres causas reperiri. *Primam*, si ex sola industria sua fructus percepit. *Secundam*, si absque sua culpa fructus periere, ut incendio, furto, tempestate. *Tertiam*, si eum stringat inopia, vel famæ & honoris jactura gravis. Tamburin. Sanchez & de Lugo *locis supracitat.* Layman. *d. lib. 3. tract. 2. cap. 12.*

Circa verò bonæ fidei Possessorem ultra prædictas tres causas, *Quartam* addo id est Usucapionem completam, idem Layman. *d. lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 7.*

DECISIO CIV.

ARGUMENTUM.

Melioramenta facta in re aliena, quando sint restituenda ei, qui illa fecit? Et an teneantur ad restitutionem illi, qui præstant domos suas lusoribus alearum? Industriæ B. Nicolai Albergati Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis in extirpandis alearum, ac taxillorum ludis.

SUMMARIUM.

1. *Melioramentorum genera tria, & quæ?*
2. *Melioramenta bonificanda bonæ fidei possessori.*
3. *Secùs possessori malæ fidei.*
4. *Lusoribus alearum qui domum præstat, an teneatur restituere?*
5. *B. Nicolai Albergati Cardinalis industria contra lusores alearum.*

Titius litigans vicit, & evicit Cajo campos centum. Cajus petit sibi melioramenta solvi in dictis campis facta. Titius petit à Parocho consilium in conscientia. Quæritur, quid consulet?

DIcendum. Parochum scire debere, tria esse genera melioramentorum, videlicèt *Neces-* 1
saria, Utilia, & Voluptuaria. Illa dicuntur *Necessaria*, quæ si adhibita non fuissent, res nullos fructus, seu certè dereriores produxisset. *Utilia* vocantur, quibus res reddit fructus ampliores. *Voluptuaria* sunt, ut fontes, statuæ, picturæ. *cap. Impensæ. de Verb. Signific.* & ibi Gloss. Tamburin. *in Decal. dict. lib. 8. tract. 3. cap. 3. §. 5. num. 13.* Sanchez *dict. lib. 2. in Decalog. cap. 23. num. 134.* His præcognitis debet interrogare Titium, an Cajus ejus adversarius possederit dictos campos centum male fide, vel bona fide? Si bonæ fidei Possessor Cajus fuit, debet Titius omnia melioramenta solvere, & compensare. *l. Julianus. l.* 2
In fundo. ff. de Rei Vindic. l. Si quid possessor. §. Sicut autem ff. de Petit. hæred. Angelus *Verb. Expensæ num. 3.* & Sylvest. *quæst. 4. num. 5.* Sanchez *d. cap. 23. num. 147.* Tamburin. *dict. §. 5. num. 14.* qui subdit, dari libertatem Possessori bonæ fidei melioramenta voluptuaria transportandi, si sint separabilia: quæ si separari non possunt, debet eorum valor ipsi solvi à Domino rei, cui inhærent; quod si plurimi valerent, neque Dominus vellet tot expensas refundere, debet vendere rem eidem Possessori bonæ fidei justo pretio, non computatis melioramentis. Quod si Cajus fuerit Possessor malæ fidei, Titius non est 3
obligatus ad compensanda melioramenta voluptuosa in re sua ab ipso Cajo facta, qui sibi imputare debet, si in re aliena expensas non necessarias, neque utiles, sed tamen ad ornatum, & pompam fecerit. Covaruv. *in Reg. Peccatum. 2. part. §. 6. num. 3.* Menoch. *de Recuper. poss. remed. 15. à num. 501.* Joan. Garz. *de Expens. cap. 4. & seqq.* Sanchez *dict. lib. 2. in Decal. cap. 23. num. 137. & 138.* ubi pluribus DD. citatis ait, sola melioramenta necessaria, & utilia esse reficienda à Domino, etiamsi dominus non fuisset effecturus rem illam meliorem. Porrò si auferri possunt melioramenta voluptuaria absque detrimento pristini status rei, non est impediendus malæ fidei Possessor illa transportare. Layman. *lib. 3. tract. 2. cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 4.* quod si sint inseparabilia, quamvis communis sit sententia Doctorum, non esse obligatum Dominum rei ad illa compensanda. Covaruv. *dict. §. 6. num. 3.* Sanchez *dict. cap. 23. num. 139.* & Tamburin. *d. §. 5. num. 14.* nihilominùs Eminentiss. Cardin. de Lugo *dict. tom. 1. de Justit. & Jur. disput. 17. num. 63.* vult, solvendo

vendum esse à Domino saltem quid modicum pro melioramentis voluptuariis; quia etiam id resultat in ejus utilitatem, & ita consulendus Titius à Parocho.

Sed quomodo respondendum ad hunc sequentem casum? *Accedit ad Confessionem Vir, qui domum suam expositam tenet lusoribus alearum, & taxillorum. Quæritur, quomodò se gerere debeat Confessarius cum hujusmodi Pœnitente?* 4

AB omnibus studiosis concorditer responsum fuit, hujusmodi Pœnitenti denegandam esse omninò absolutionem, nisi firmiter proponat, non ampliùs permittere in sua domo ludos alearum, & taxillorum; cum enim à lusoribus horrenda blasphemiæ peccata committantur, & pecuniæ perdantur in maximum detrimentum familiarum, uxorum, & filiorum, ut experientia demonstrat, Dominus illius iniqui receptaculi reus sit prædictorum omnium peccatorum, imò tenetur ad restitutionem pecuniarum deperditarum à filiisfamilias. Navar. *in Manual. cap. 20. num. 15.* Rebell. *de Obligat. Justit. part. 2. lib. 2. quæst. ult. num. 5.* Tamburin. *d. lib. 8. in Decalog. tract. 2. cap. 9. §. 1. num. 31.* Diana *part. 2. tract. 15. resol. 65. & part. 7. tract. 9. resol. 39.* quæ à requirentibus in opere Coordinato invenientur *tom. 6. tract. 4. resol. 1. & 2.* ubi rigorosè damnantur, qui domos ludo expositas tenent: etsi eos peccare mortaliter affirmet Diana, & obliget ad restitutionem; contrarium esse improbabile oportet affirmare.

In Vita B. Nicolai Albergati Cardinalis Archiepiscopi Bononiensis legitur, inter alias ejus sollicitudinis Pastoralis industrias, illam fuisse celebrem, extirpandi scilicet alearum, ac taxillorum ludos, cum hi dent occasionem committendi maxima peccata, & sint ruina multarum animarum; in eis enim boni fiunt mali, & mali fiunt pessimi; homines marcescunt otio, divites consumunt pecuniam, & facultates, alii tempus, & conscientiam, ut latiùs disserit Hieron. à Basilica Petri *in Ephemer. sacris die 9. Maii.* Hinc Justinianus Imperator Novella 77. gravissimas pœnas statuit in lusores. 5

DECISIO CV.

ARGUMENTUM.

Docetur: Quid sit Mansuetudo? Quotuplex? Quæ ejus officia? Quæ ejus requisita? Quæ vitia Mansuetudini opponantur?

SUMMARIUM.

1. *Mansuetudo quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Mansueti multi in lingua, sed non in corde?*
4. *Mansuetudinis officia quatuor, & quæ?*
5. *Ira quid sit?*
6. *Mediocritas in Mansuetudine servanda.*
7. *Mansuetudini opponitur iracundia, & stupiditas.*

CIrca hanc virtutem oportet scire quod *Mansuetudo* (quæ derivatur à mansuescere, id est manu lenire, feras enim mansuetas manu leni tangimus) *sit affectio, seu qualitas moderatrix iræ,* Arist. 4. *Ethic. cap. 12.* & ibi Sylvest. Maur. *in Comm.* S. Thoma 2. 2. *quæst. 157.* Lessius *lib. 1. cap. 4. dub. 1. num. 18.* Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom. 2. de Virt. in gen. disput. 31. art. 9. num. 424. 425.* Est autem virtus Deo gratissima, & meritoria Paradisi, juxta *Psalm. 149. Exaltabit mansuetos in salutem.* 1

Duplex est Mansuetudo: *Exterior*, quæ in lenitate verborum consistit: & *Interior*, quæ in cordis dulcedine radicatur. *Primam* multi spirituales profitentur. *Secundam* non omnes adipiscuntur; vidi enim nonnullos, qui ob malas satisfactiones receptas à proximo suo continent se à jurgiis, & à clamoribus, sed servant in corde occultissimum appetitum vindictæ, quo satiantur tories, quoties proximus ille indiget eorum ope, vel auxilio, reddentes se aggrestes, asperrimos, ac etiam crudeles. Ideò cavendum, ne sola exteriori mansuetudine contenti simus, nam *tolerare, & odisse non est Virtus Mansuetudinis, sed velamentum furoris.* S. Greg. *hom. 7. in Ezech.* quod etiam optimè docet S. Francisc. Sal. *in Phil. p. 3. cap. 8.* 2 3

Officia, seu actus veræ, ac perfectæ mansuetudinis sunt quatuor. 1. Moderari impetus cordis iracundos. 2. Loqui verbis suavibus, placidis ac modestis. 3. Abhorrere quamcunque vindictam. 4. Paratum esse benefacere cuique injurianti. P. Laud. de Pont. *part. 3. Medit. 11. punct. 4.* 4

Requisita Mansuetudinis reducuntur ad unam mediocritatem in ira reprimenda; cum enim *ira sit accensio sanguinis circa cor.* Arist. *lib. 1. de Anim.* Seu *libido puniendi eum, qui videtur læsisse injuria.* Cic. *lib. 4. Tuscul.* non est semper mala, sed aliquando bona; cum scilicèt iracimur de malo, quantum, & quando oportet; & ideò Virtus Mansuetudinis non abjicit omnem iræ gradum, sed servat mediocritatem in iracendo. Arist. 4. *Ethic. 12.* undè scriptum est *Eccl. 7. 10. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Et de mansuetissimo Redemptore nostro notavit *Evangel. Joan. 2. 15. Quod cum fecisset, quasi flagellum* de funiculis; *ejecit omentes, & vendentes de templo,* inquiens cum Davide, *Zelus domus tuæ comedit me:* & aliàs invidentibus Pharisæis, quod Sabbato curaret, *Christus circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitatem eorum. Marc. 3. 5.* Ac etiam de pluribus Sanctis, quorum egregia erat mansuetudo, habemus aliquando iratos contra malos, quantum, & quomodo oportebat; ut de SS. Elia, Moyse, Davide, Petro, ac Paulo Apostolis demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disput. 31. art. 9. num. 455.* Igitur ad virtuosam Mansuetudinem requiritur, non ut nunquam iracamur, sed cum mediocritate, scilicèt, contra quos oportet, ac quando, & quantum oportet. 5 6

Vitia, quæ Mansuetudini opponuntur, sunt duo. *Unum* per excessum, & est *Iracundia, Acerbitasvè, aut Amaritudo*, non servata mediocritate. *Alterum* per defectum, & est *Stupiditas, seu Stoliditas, aut Segnities*; cum nescimus irasci contra malos quando, & quantum oportet. Ita ex Arist. *d. lib. 4. Ethic. cap. 12.* & ibi Maurus *in Comment.* S. Thomas 2. 2. *quæst. 157.* Lessius *lib. 1. cap. 4. dub. 4. & 5.* Eman. Thesaur. *in Philos. Moral. lib. 10. cap. 1.* Martin. Fornar. *lib. 2. tract. 2. cap. 29. post Summ. Toleti.* S. Francisc. Salesius *in Philot. part. 3. cap. 8. & 9.* P. Lud. de Ponte *in Guid. Spirit. part. 2. tract. 4. cap. 16.* & prælibatus Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 2. disput. 31. art. 9. per totum.* 7

DE-

DECISIO CVI.

ARGUMENTUM.

Referuntur compendiosè, Quæ sint causæ excusantes à restitutione rei alienæ; & quando Judices obligati sint ad restitutionem? Notantur novem qualitates boni Judicis excerptæ ex revelationibus S. Birgittæ.

SUMMARIUM.

1. *Restitutionis obligatio cessat ex 19. causis.*
2. *Carmina continentia dictas causas.*
3. *Famæ restitutio quando non sit facienda?*
4. *Judex quando sit obligatus ad restitutionem?*
5. *Judex pecuniam accipiens pro sententia peccat mortaliter.*
6. *Judex an restituat accepta ex liberalitate litigantium?*
7. *Propositiones duæ damnatæ circa Judices.*
8. *Judicis boni novem qualitates ex revelationibus S. Birgittæ.*

CAusæ excusantes à restitutione sunt sequentes. 1. Impotentia debitoris. 2. Detrimentum honesti status familiæ, nisi in eodem creditor versetur. 3. Periculum amissionis famæ, honoris, vel membrorum. 4. Condonatio creditoris, non solùm expressa, sed aliquando præsumpta. 5. Cessio bonorum. 6. Si res restituenda, sit Domino, aut Reipublicæ nocitura. 7. Usucapio, & Præscriptio cum legitimis conditionibus. 8. Solutio facta creditoribus creditoris. 9. Incertitudo Domini præcipuè in rebus inventis. 10. Sententia Judicis absolventis. 11. Ignorantia invincibilis tàm juris, quàm facti. 12. Interitus rei debitæ in individuo ex contractu. 13. Ingressus in Religionem. 14. Compensatio occulta. 15. Compositio vel cum Rever. Camera Apostolica super bonis incertis, vel ex Bulla Cruciata in casibus contentis in ea. 16. Si peccatum non fuit mortale contra Justitiam. 17. Si damnum non fuit prævisum, etsi daretur opera rei illicitæ, antequam Judex condemnet. 18. Quando res est dubia circa obligationem restituendi. 19. Quando pœnitens deliquit contra legem pœnalem tantùm, aut mixtam. Unde versus. 2

Si capias usu, cedas, si sponte remittat
Creditor, aut illi sit compensatio facta,
Debita si ignores, aut illi reddere possis
Non sine jactura famæque, animæque, statusque,
Si justè quidquam lusu, vel sorte parasti.

De quibus omnibus causis à restitutione excusantibus, quando ampliationem, vel limitationem recipiant, videndi sunt Thom. Tambur. *in Decalog. lib. 8. tract. 4. cap. 1. §. 9.* Layman. *lib. 3. tract. 2. part. 1. cap. 12.* Bonacin. *d. Rest. in genere disput. 1. quæst. ult. punct. 1. & punct. 2. cum duob. §§. seqq.* Escobar. in Theolog. Moral. *tract. 2. Exam. 2. cap. 4.* Gobat *in Quinar. tract. 1. à num. 149. 236. 262. & seqq.* Et tres Eminentissimi, ac doctissimi Cardinales, videlicèt Tolet. *lib. 5. cap. 26.* De Lugo *de Justit. & Jur. tom. 1. disput. 21.* ubi octo integræ sectiones, & de Lauræa 3 *d. tom. 2. de Virtut. in gener. disput. 24. art. 5.* Causæ autem excusantes à restitutione famæ comprehenduntur in his versibus, quos ponit P. Lohner *de Scientia Confessarii pag. 54.* videlicèt:

Si Fama obtenta est, & apertum oblivio crimen
Abstulit: aut rapta à læso sibi fama vicissim est,
Si donet læsus, vel condonarè putetur.
Reddere sique potens non sit, vel non sine damno
Majori, vel famam alia si læsus eandem
Perdidit ipse via, nihil illi reddere debes.

Et quoniam supra *Decis. XCIX. num. 10.* dictum est, etiam Judices sæpè sæpiùs esse obligatos ad restitutionem, proponitur sequens Casus. *Judex Confessarii pedibus provolutus, accusat se pluries pro dicendis sententiis, & causis expediendis, pecunias accepisse. Quæritur, quid ei Confessarius debeat injungere?* Ad hunc casum pro vera resolutione respondendum est, Confessarium requirere debere, an sententias injustas Judex iste tulerit? Quia si fecit injustas sententias, injungenda est ei restitutio omnium damnorum, quæ passæ sunt partes læsæ. Tamburin. *in Decal. lib. 7. cap. 5. §. 3. num. 13.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *tom. 2. de Justit. & Jur. Disput. 37. num. 1.* Aut 5 recepit pecunias pro justis sententiis ferendis? Et in hoc casu altercantur Doctores, non an peccaverit? (quia certum est ipsum mortaliter peccasse contra justitiam, quia litigantes jus habent ad audiendam sententiam ab ipso Judice, undè non potest ipse vendere, quod de jure debet,) Sed an teneatur ad restitutionem pecuniarum illarum acceptarum ante condemnationem? & communior opinio est affirmativa; tùm quia quod acceptum est, & ratione sui injustè accipitur, restitui debet: tùm etiam quia id permitti non debet Judicibus ad evitanda scandala, & perversionem justitiæ; ut probat Tamburin. *d. §. 3. num. 14.* & Diana *part. 3. tract. 5. resol. 55. & part. 6. tract. 6. resol. 59.* quæ sunt impressæ in Coordinato *tom. 8. tract. 7. resolut. 52. & 53.* ubi re meliùs considerata sentit, Judici esse injungendam restitutionem, nam actus justitiæ sunt invendibiles, & tenetur gratis exercere munus suum & vix, ait Diana, sunt 6 liberandi Judices à restitutione eorum, quæ processerunt ex mera liberalitate, & amicitia, aut ex gaudio, & gratitudine; quod non absque hæsitatione concedit Eminentiss. Cardin. de Lugo *d. disput. 37. sect. 11.* in qua *sub num. 135.* monet, *Expedire, ut Confessarii ejusmodi Judicibus in pœnitentiam injungant, restitutionem ejus, quod acceperunt; ne facile contemnant prohibitionem, & peccatum, quod sæpè in ejusmodi acceptione committunt.*

Et pro conclusione hujus casus notatæ fue- 7 runt duæ Propositiones damnatæ sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ circa Judicis officium. *Prima* ab Alexandro Papa VII. 26. quæ affirmabat: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.* Altera ab INNOCENTIO PAPA XI. quæ est 2. & in qua affirmabatur: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Quæ nunc sunt damnatæ.

Cæterum hic notandæ veniunt novem qua- 8 litates boni Judicis, quæ recensentur à Christo Domino in Revelationibus S. Birgittæ *lib. 4. cap. 102.* his verbis: *Ad judicem justum novem bona pertinent. 1. Attentè audire. 2. Discernere proposita. 3. Voluntas velle judicare justè. 4. Inquirere, qua de causa litigatur? 5. Inquirere, quanto tempore lis duraverit, quia gravius damnum est de Judicii dilatione? 6. Inquirere, quales testes, si probati sint? 7. Non esse præceps in Judicio, nec timere potestatem. 8.*

Non

Non curare preces, seu dona aliquorum. 9. Judicare sic pauperi, si ut diviti; ita fratri, & filio, sicut extraneo. Qualitates utique attendendæ.

DECISIO CVII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, cur, & quando Confessarius teneatur ad restitutionem, quam pœnitens ipse facere debebat?

SUMMARIUM.

1. *Confessarius quando obligatus sit ad restitutionem?*
2. *Confessarius indoctus non obligans pœnitentes ad restitutionem peccat, sed ipse non tenetur restituere. Et cur?*
3. *Confessarius tenetur restituere, si dixerit pœnitenti, ne restituat.*
4. *Confessarius monens pœnitentem de sua mala responsione liberatur ab obligatione restituendi.*
5. *Confessarii ignorantia non excusat eum à restitutione.*
6. *Confessarius ignorans an peccet contra charitatem, vel contra justitiam?*
7. *Judex tenetur ad læsionem partis per eum gravatæ.*
8. *Confessarius an sit obligatus prospicere bonis creditorum pœnitentis?*

1. *Confessarius indoctus pluries audivit in Confessione peccata furtorum, fraudum, & usurarum, & nunquam injunxit pœnitentibus obligationem restituendi. Quæritur, an Confessarius ipse teneatur ad restitutionem?*

RESponsum fuit ab omnibus non teneri; quando ex ignorantia, etsi crassa, & vincibili, seu ex oblivione non injunxit pœnitentibus obligationem restituendi; & ratio est, quia obligatio restitutionis non oritur, nisi ex violatione Justitiæ, aut contractus, Confessarius verò indoctus non lædit justitiam respectu creditorum, quia ipsis non est obligatus, neque tenetur ex officio prospicere bonis temporali-
2 bus creditorum, cum ab illis nullam mercedem accipiat; sed peccat tantùm contra Religionem, & contra charitatis legem, ex cujus virtute debet monere pœnitentem, ut restituat in ordine ad ejus salutem. Verùm enim verò tenebitur
3 Confessarius ad restitutionem, si interrogatus à Pœnitente, an esset obligatus restituere? ipse ex ignorantia crassa, vel malitia respondisset, non esse obligatum; nam tunc ejus responsum est causa positiva, & vera damni, ut dictum est supra de consulentibus, & ideò tenetur ad restitutionem. Gobat *in Experiment. Theolog. tract.* 7. *casu* 18. *num.* 564. & ibi Coninck. *de Sacram. disput.* 8. *dub.* 17. *num.* 144. Layman. *libr.* 3. *tr.* 4. *cap.* 7. *num.* 6. Cotonius *in Summa Diana. Confessarius num.* 41. Ipse Antonin. Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 1, quæ requiescit in opere Coordinato *tom.* 1. *tract.* 6. *resol.* 22. Bonacina, qui plurimos concordantes, sed nonnullos adversantes allegat, *tom.* 2. *de Restitutione in gener. disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 11. *num.* 15. Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Sacram. Pœnitentia disp.* 22. *à num.* 60. *& seqq.* qui *num.* 64. notat, quod si Confessa-
4 rius monuerit pœnitentem de errore suo, & de malo consilio dato, cessabit in ipso Confessario obligatio restitutionis; ea ratione, quia in aliis consulentibus non cessat obligatio, ob continuationem motivi, quo fuit damnum sua-

sum; at in nostro casu motivum Confessarii est ejus autoritas, quæ omninò auferut revocato consilio, & facta protestatione de veritate contraria; quare prior error non potest amplius influere in negationem restitutionis; & sic Confessarius liberatur ab onere restituendi.

Cæterùm hæc doctrina Cardinalis Lugo de 5
necessitate admonendi pœnitentem à Confessario, qui ignoranter eum deobligaverat à restitutione, ut seipsum liberet ab onere restituendi, debet procedere etiam in casu, quo ipse Confessarius omisisset sivè ex malitia, sivè ex ignorantia, aut ex inadvertentia monere Pœnitentem in Confessione de obligatione restitutionis; siquidem non est verum, quod ignorantia, seu oblivio reddat Confessarium immunem ab obligatione restituendi, si pœnitens ipse non restituat; nam ut pie, ac docte advertit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in* 4. *lib. Sentent. tom.* 2. *in tract. de Sacramento Pœnitent. disput.* 21. *articul.* 4. *num.* 106. quilibet Confessarius tam ex officio, quàm ex charitate, si in ministerio Sacramenti Pœnitentiæ omisit monere pœnitentem de restitutione facienda, sivè id fecerit ex malitia, sivè inadvertentia, tenetur postea, cum advertit, monere pœnitentem, & si non moneat, tenetur ad restitutionem: & manifesta est ratio, quia illa omissio influit moraliter in proximi læsionem; ergo tenetur eam destruere per actum oppositum, qui removeat influxum; quod si non removeatur influxus, tenetur ipse ad restitutionem.

Neque suffragari potest tali Confessario indocto illud fundamentum, quod ignorantia, seu omissio ejus sit peccatum contra charitatem, 6
vel Religionem tantùm, non autem contra justitiam: siquidem ut disputat, & plenè probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disput.* 21. *n.* 107. *&* 108. ministratio Sacramenti Pœnitentiæ est actus justitiæ in quocunque ministro, nam minister est Judex. *Conc. Trident. sess.* 14. *cap.* 2. & judicium ejus est actus Justitiæ; quo, licet absolvat, tamen ligat ad pœnam temporalem. Igitur debet esse actus judicii justi, sed facit injustum judicium omittendo obligare Pœnitentem ad restitutionem *cap. Omnis utriusque sexus. de Pœnitent. & remiss.* Igitur ut reparet injustitiam, quam committit, omittendo justè judicare tenetur vel monere pœnitentem, ut restituat, vel ipse restituere. Et confirmatur, quia quili- 7
bet Judex tenetur ad læsionem partis, quam gravat omittendo ea, quæ ad suum officium spectant, *cap. cum æterni de Sentent. & re judic. in* 6. Sed Confessarius indoctus omittens monere pœnitentem, ut restituat, gravat partem, cui facienda est restitutio, & est causa moralis, ob quam læsio influit in creditorem, ideò tenetur ad resarciendum; non solùm enim resarcire damnum debent dantes illud malitiosè, sed etiam ex negligentia, *cap. de Injur. & damno dato.* Et extat præceptum *Concil. Trident. in sess.* 14. *cap.* 8. *quo debent Sacerdotes pro qualitate criminum convenientes satisfactiones injungere; nè si fortè peccatis conniveant, & indulgentiis cum pœnitentibus agant, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Idcirco cum minister Sacramenti pœnitentiæ assumat officium Judicis, tenetur eo ritè, & rectè fungi; & si ex omissione proprii officii causet damnum tertio sivè per malitiam, sivè ignorantiam, tenetur restituere, *cap. Qui aperuerit, capit, Si bos, ca-*

pitul. Si læserit, capitul. Si egressus, cap. Si quis domum, & cap. fin. de Injur. & damn. dato. In quibus *text.* decisum est, inadvertentiam, & imperitiam non excusare à resarcitione damnorum inadvertenter, vel ex ignorantia datorum.

8 Neque refert, quod Confessarius non sit obligatus prospicere bonis creditorum, sed tantum conscientiæ pœnitentis, & ejus saluti. Nam respondetur, distinguendo; non est obligatus bonis creditorum prospicere principaliter, & per se primo? conceditur. Consequenter, & per se secundò? Negatur. Quandoquidem omnis Judex debet cavere, ne in ustè quis lædat aliquem vel directè, vel indirectè. Confessarius est Judex, & exercet jurisdictionem; ideò si peccat in officio vel ex malitia, vel ex ignorantia, peccat, contra justitiam; & tenetur ad restitutionem, si damnum resultet alicui ex officio non benè exercito, & imputet sibi, cum scriptum sit: *Nullus petat fieri Judex, neque judicium exerceat, nisi virtute irrumpere valeat in iniquitates, Eccl.* 7.

Idcirco tenendum, & dicendum est, Confessarium indoctum teneri ad restitutionem, non solùm quando per errorem deobligavit pœnitentem à restitutione; sed etiam quando ex ignorantia, vel inadvertentia omisit obligare illum, ut restitueret: neque posse seipsum liberare ob onere isto, nisi cognita sua ignorantia, moneat pœnitentem, ut restituat; ut pluribus firmat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disput.* 21. *art.* 4. *per totum*; cujus opinionem antiquitùs tenuerunt Petr. Navarr. *lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 125. Martin Navarr. *cap.* 17. *num.* 22. Medina, Rosella. Angel. Salon. Clavis Regia, & alii citati à Bonacina *d. punct.* 11. *num.* 15.

DECISIO CVIII.

ARGUMENTUM.

Explicatur, Quid sit Virtus Heroica? Quotuplex? Quæ sint requisita Heroicitatis? Quibus signis cognoscatur Heroica Virtus? Quos pariat effectus?

SUMMARIUM.

1. *Heroes unde dicti?*
2. *Heroica Virtus quænam sit?*
3. *Quotuplex?*
4. *Virtutis Heroicæ sex requisita.*
5. *Pagani, & infideles non habent virtutes Heroicas.*
6. *Virtutes à natura non insunt.*
7. *Finis supernaturalis requiritur in Virtute Heroica.*
8. *Heroica Virtus debet esse supra modum ordinarium.*
9. *Principia duo, quibus homo movetur ad operandum.*
10. *Virtus omnis est cum labore.*
11. *Signa cognoscendi virtutes Heroicas quænam sint?*
12. *Passionum totalis quietatio an detur in hac vita?*
13. *Mortificatio passionum necessaria ad Heroicitatem.*
14. *Heroicæ Virtutis effectus quinam sint?*
15. *Virtus etsi Heroica non facit hominem impeccabilem.*

PAuca scripserunt studiosi Cleri nostri ad hanc Decisionem, forsan ob defectum librorum, de ejus materia tractantium: ideò relicta videtur resolutio casus mihi Compilatori.

1 Ut breviter satisfaciam, scire oportet, Heroes ita appellari quasi Aerues ex Isid. *lib.* 8. *Etymol. cap. ult.* quia Gentiles hominibus strenuis, & benemeritis, assignabant post mortem habitaculum in aere quasi Semideis, id est Deo inferioribus, sed conditione aliorum hominum superioribus, S. Augustin. *lib.* 2. *de Civit. Dei cap.* 14. *lib.* 7. *cap.* 6. *& lib.* 10. *cap.* 21. ubi Lud. Vives *in Comment.* Et quia aerem dedicaverant Junoni. Cic. *lib.* 2. *de Natur. Deor.* propterea Heram vocabant: Laurentius *in Amalth. Onomast. Verb. Hera*, & ejus primus filius denominatus fuit Heros, Calepin. *in eod. Verb. Heros*, ideò prædicti egregii homines Heroes sunt vocati. At relictis fabulis, in Religione Catholica neque Scriptura, neque Sancti Patres antiqui Heroum nomine præcellentes Christianos ditarunt; forsan, ne viderentur Gentilium commenta approbare: sed Scholastici illud usurparunt ex Sententia Aristot. *lib.* 3. *cap.* 12. ad denotandam excellentiam, quæ in exercitio virtutum homines supra alios extollit, & Deo similes reddit; ut eruditè advertit Eminentiss. Cardin. de Lauræa *tom.* 2. *de Virtutib. in genere disp.* 32. *art.* 1. 2. *& 3.* 3

Itaque Heroica Virtus à diversis diversè de- 2
scripta invenitur. Quod *sit Eminentia quædam actus ex habitu Charitatis, ejusque gradus intensio, à quo operationes potentiarum nostrarum ex imperio voluntatis habent, ut ita dirigantur ad eminentissimum finem supernaturalem, ut illum de proximo attingant*, voluit Scachus *de Notis, & signis sanctitatis sect.* 2. *cap.* 4. *pag.* 44. Breviori methodo *Heroicitatem esse illam Virtutem, quæ excellentissimo modo naturam excedit, ad Dei similitudinem accedit, & est quodammodo divina*; scripsit Lezana *tom.* 3. *Sac. Theol. tract.* 4. *tit.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 11. *pag.* 407. Aliis verbis Jacob. Pignatellus *tom.* 4. *Consult.* 7. *num.* 10. ait, quod *Virtus Heroica sit illa ita pura, & defæcata, ut absque ullo defectu cupiditatis operetur supra conditionem, humanæ naturæ, cum perfecto dominio passionum.* Verùm his, & aliis descriptionibus Heroicitatis relictis, quas ponunt Piccolomin. *in Philosoph. Moral. in tit. De Virtute Heroica grad.* 6. *cap.* 5. Emanuel Thesaur. *lib.* 19. *cap.* 1. Et Castellin. *de Certitud. glor. Sanct. cap.* 4. *sect.* 2. *append.* 1. *num.* 3. illa cæteris clarior, & doctior est notanda, quam ponit Eminent. Card. de Lauræa in suo eruditissimo tractatu *de Virtute Heroica dict. disput.* 32. *num.* 27. Videlicèt. *Heroicitas Christiana est illa Virtutis gradus, perfectio, seu fulgor, & excellentia, quæ facit, ut homo circa materiam illius virtutis supra communem aliorum hominum operandi modum operetur, & in hoc sit, & appareat similis Deo.*

Duplex est Virtus Heroica. *Una*, quæ præ- 3
cedit habitum, & *Altera*, quæ procedit ab habitu. *Prima* est illa, quæ elicitur ab eo, qui nondum exercitium habet illius Virtutis; ut si Neophitus in Fide ita excellentèr credat, ut eam confitendo occidatur, vel quis in primo conflictu pudicitiæ exponat se morti, & eam subeat. *Secunda* est illa, quæ ut plurimùm generatur ex frequentatione actuum ejusdem virtutis; & idcircò dicitur *habitus moralis*, quia more, & assuetudine est genitus. Aristot. 2. *Ethic. cap.* 1. Eminentiss. Cardin de Lauræa *d. disput.* 32. *num.* 26. *& num.* 56.

Sex autem sunt Requisita Heroicæ virtutis 4
Christianæ, quæ facit hominem similem Deo, juxta illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester*

cœlo-

cælestis perfectus est, & Luc. 6. *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis misericors est*; & ad Ephes. 5. 1. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis*, nam ut infra notabimus, unus ex effectibus Virtutis Heroicæ est facere hominem similem Deo, & Redemptori nostro JESU CHRISTO. Igitur requisita sunt. 1. Ut operatio virtuosa sit *hominis fidelis*; quia Pagani, & Hæretici non possunt Christo assimilari; nam *Hebr.* 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo.* 2. Ut sit *in materia virtutis*: quia res mala, vel indifferens, aut merè naturalis, ut fortitudo, Nimrod, aut Gigantum, non potest ascendere ad Heroicitatem, quæ est qualitas, fulgor, & excellentia competens soli virtuti. Virtutes autem à natura nobis non insunt. Aristot. 2. *Ethic.* 1. 3. Ut sit *ob finem supernaturalem*, qui proprius est Religionis Christianæ, ad differentiam Gentilium, & Philosophorum, qui tendunt in finem naturalem; & ideò non possunt assimilari Deo, *qui omnia propter semetipsum operatur. Prov.* 16. 4. 4. Ut fiat dicta actio Virtuosa *supra communem naturæ modum*; alias omnes actiones virtuosæ essent Heroicæ, quod falsum esset asserere: hinc in Sacra Scriptura commendantur tanquam Heroicæ virtutes, quæ fuerunt supra modum ordinarium; ut obedientia Abrahæ in sacrificando Isaaco. *Genes.* 22. Pudicitia Joseph. *Genes.* 39. Fortitudo Eleazari primi. 1. *Macc.* 6. & Religio, ac legis observantia Eleazari secundi. 2. *Macc.* 6. ac Apostolorum virtutes *in Act. Apost.* & in *Gestis Sanctor.* 5. Ut sit *ex Dei dono, instinctu, seu impulsu Divino*; nam, ut docet *S.* Thom. 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 1. *in corp. ad fin. & in resp. ad prim.* homo habet duplex principium suorum motuum: Unum internum, & est ratio: alterum externum, & est Deus, qui ad duplicis generis opera concurrit cum homine; quædam sunt naturalis ordinis, quædam supernaturalis; & in hoc genere supernaturalium, quædam sunt communia, quædam superiora; pro primis sufficiunt auxilia communia: pro secundis necessaria sunt dona, per quæ homo proportionatur ad recipiendam Dei motionem, seu impulsum, & instinctum; & qui tale donum, seu instinctum recipiunt, non egent ratiocinio humano, quia moventur à meliori principio, id est dono consilii, & instinctu Dei; & sic actio Heroica ex dono Dei ejusque instinctu, & impulsu Divino procedit, ac propterea omnes Viri Sancti operati sunt Heroicas virtutes ex speciali impulsu, instinctu, & dono Spiritus Sancti. 6. Debet esse *cum abnegatione seu explicita, seu implicita operantis*; quia omnis virtus est cum labore: *Virtutem* (namque) *posuere Dii sudore parandam.* Et eò magis Virtutem Heroicam; juxta illud *Matth.* 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam & sequatur me.*

Porrò opus est signis exterioribus ad cognoscendas Heroicas Virtutes Christianas; cum enim sint habitus incorporei, insensibiles, ac supernaturales, nequeunt immediatè per seipsos, & intuitivè cognosci, nisi ab Angelis, & ab anima separata; quare cognoscendi sunt per externas actiones, in quas influunt, saltem imperativè tanquam ab effectu; siquidem scriptum est, *Matth.* 7. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Igitur quia Heroicitas facit hominem similem Christo, & Christus caruit fomite, & habuit passiones purgatas, sanctas, & in nullo refractarias, nonnulli dixerunt, signum cognoscendi Heroicitatem esse totalem, ac perfectam purgationem passionum, ita ut quiescant omninò, neque inordinatè moveantur. Sed hoc non est verum; quia non datur talis quies in Viatore nisi ex Dei specialissimo dono; nam, ut decidit Concil. Trident. *Sess.* 5. *in Decret. de pec. orig.* concupiscentia in Baptismo non aufertur, sed relinquitur ad agonem, & de seipso testatur Apostolus *ad Rom.* 7. *v.* 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*; & plures Sancti eximiæ virtutis fomitem carnis sentiebant, & asperrimis pœnitentiis reprimebant, ut S. Benedictus, S. Franciscus, & alii. Ideò ad cognoscendam Heroicitatem Christianæ Virtutis signa exteriora sunt: 1. Mortificatio magna passionum, ut vix, aut leviter insurgant: juxta illud ad *Rom.* 8 36. *Quia propter te mortificamur tota die*, & ad *Coloss.* 3. 5. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* 2. Operari supra communem naturæ modum ex fine supernaturali *expeditè, promptè, & delectabiliter*; & propterea *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Et 3. ut operatio procedat non ex humano ratiocinio, sed ex impulsu Divino, & dono particulari Spiritus Sancti, ut demonstrat Jacob. Pignatellus *tom.* 2. *Consult.* 9. usque ad *Consult.* 20. & probat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 32. *art.* 6. *& art.* 9. usque ad *art.* 17. ubi tractat de propriis donis Spiritus Sancti, quibus quælibet Virtus tam Theologalis, quàm Cardinalis ac Moralis ascendit ad gradum Heroicitatis.

Effectus Christianæ Heroicitatis sunt tres. *Unus*, ut in habente virtutem Heroicam sint omnes Theologales saltem in gradu communi, non etiam Cardinales, nisi virtualiter, seu in præparatione, ac dispositione animi. *Alter*, ut Heros Christianus vivat in timore, & tremore, & cum maxima sui ipsius humilitate, ne decidat à gratia, & perseverantiam perdat; nulla enim Virtus quamvis Heroica reddit hominem impeccabilem, ut ex autoritate Sacræ Scripturæ, SS. Conciliorum SS. Patrum, ac exemplis plurimis piè, ac eruditè demonstrat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 32. *art. ult.* *Tertius* effectus est, ut faciat Heroem Christianum similem Redemptori Nostro JESU CHRISTO. Schacchus *de Not. & sign. sanct. sect.* 2. *cap.* 4. Lezana *d. tom.* 3. *Theol. tract.* 4. *disput.* 4. *quæst.* 11. Christophorus Sylvestran. *in* 4. *sent. sect.* 4. Tarquin. Gallut. *in lib.* 4. *Moral. cap.* 3. *quæst.* 2. & prælibatus Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. disput.* 32. *art.* 3. 4. *& seqq.*

DECISIO CIX.

ARGUMENTUM.

Referuntur motiva, quibus Parochi, & personæ Ecclesiasticæ tenentur exercere Officia Divina cum Tonsura, Veste talari, decenti superlectili Sacra, & servare Silentium in Choro, & Attentionem internam, & externam.

SUMMARIUM.

1. *Tonsuræ Clericalis appellatione quid veniat?*
2. *Coma clericis prohibita.*

3. *Tonsura Clericalis motiva tria.*
4. *Tonsuram Clerici non ferentes peccant mortaliter.*
5. *Corruptela est in Clericis relaxare Comam.*
6. *Consuetudo centenaria, quæ declarata est abusus, nihil valet.*
7. *Vestis talaris in Clericis motiva tria.*
8. *Vestem talarem non deferens perdit Privilegia Clericalia.*
9. *Vestis talaris omissio an sit mortalis in Clericis?*
10. *Vestium Sacrarum Mysteria.*
11. *Supellectilia Sacra custodire est meritorium.*
12. *Vestibus immundis celebrare peccatum est.*
13. *Silentium servandum in actionibus Sacris.*
14. *Lingua refrænanda.*
15. *Confabulationes in Choro sunt peccata.*
16. *Silentium in Choro non servantes non lucrantur distributiones.*
17. *Attentio externa, & interna requiritur in Divinis Officiis.*
18. *Attentio triplex in Divinis officiis.*
19. *Attentio alia actualis, alia virtualis.*
20. *Angelos imitantur, qui psallunt in Choro.*
21. *Orationis fructus triplex.*
22. *Distributiones tenetur restituere, qui stat distractus in Choro.*
23. *Visio de malè recitantibus in Choro.*

QUOAD TONSURAM.

1 PLurimi eruditione, pietate, ac Zelo præclarissimi Parochi prænotarunt, appellatione Tonsuræ non esse intelligendam solam *Clericam*, seu *Coronam*, quam Ecclesiastici ferunt in Vertice, sed etiam *Rescissionem capillorum* per totum caput, ita ut capilli non sint auribus longiores. Hoc probarunt: 1. *ex cap. Clerici 15. de Vita, & honest. Cleric.* ubi Innocentius Papa III. & Coronam, & Tonsuram in Clericis requirit, ibi: *Coronam, & Tonsuram habeant congruentem.* Ergo sola Corona in Vertice, seu Clerica non sufficit. 2. *Ex cap. ult. de Clericis Conjug.* ubi Honorius Papa Tertius pariter nominat Tonsuram, & Coronam Clericalem tanquam duas res distinctas, ibi: *Qui cum olim minori esset constitutus ætate, Tonsuram tantùm, & Coronam Clericalem assumpsit.* Ergo satis non est sola Clerica. 3. Quia plures Canones vetant Clericis comam nutrire, & eam relaxare. *cap. Prohibete, cap. Clerici, cap. Non liceat, 23. dist.* & per eosdem Canones iidem
2 Clerici inviti jubentur tonderi, & attonso capite, patentibus auribus ire. 4. Ex Glossa *in cap. unic. de Clericis Conjug. in 6.* quæ sic ait: *Propriè Tonsura est illa abscissio capillorum, quæ est in parte inferiori, ut aures pateant: sed Clerica est abscissio capillorum in parte superiori.* 5. Ex Pontificali Romano *part. 1. tit. 3. de Clerico faciendo*, ubi Episcopus daturus primam Tonsuram non orat pro formanda Clerica, vel Corona in vertice, sed ait, *Oremus, fratres charissimi, Dominum Nostrum Jesum Christum pro his famulis suis, qui ad deponendum comas capitum suorum, pro amore ejus festinant.* 6. Ex *Vitis SS.* qui vitam Clericalem ineuntes, capillos deposuerunt, & caput totonderunt, ut videre est apud Surium in Vita S. Benigni Presbyteri, & Martyris, *die prima Novembr.* in Vita S. Gregorii Turonensis *die 17. Novembr.* & de S. Cæsario Arelaten. scribit S. Cyprian. quod in ætate annorum octo confugit ad Sylvestrum Pontificem, *& petiit, ut ablatis sibi capillis, mutatoque habitu, divino servitio manciparet*: De Sancto Joanne Gualberto ait Breviarium Romanum *die 12. Julii lect. 4.* quod cum decreverit militare Deo; *propriis sibi manibus comam totonderit.*

Notgerus Episcopus Leodiensis in vita S. Landoaldi scribit, quod *ab oratione surrexerit, capitis comam sibi abscindi fecerit, clericatus adeptus honorem.* Alia plura hujus rei argumenta refert Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. Si quis ex clericis, 4. de Vita, & honest. cleric. num. 5.* ubi ponit sequentia carmina Aratoris Poëtæ Subdiaconi S. R. E. qui floruit Anno 545. *& in Epist. ad Parthenium* de sui ipsius clericali tonsura ita cecinit:

Namque ego Romanæ caulis permixtus amœnis
Ecclesiæ, tonso vertice, factus ovis.

Et 7. Auctoritate Doctorum, quorum unus inter Eminentiores Doctrina, Pietate, ac Dignitate est Eminentissimus Cardinalis de Lauræa *in Epitome Canonum Verb. Tonsura*, ubi sic notat: *Tonsuræ Clericorum talis esse debet, ut aures videantur, Corona verò debet esse rotunda, &c.*

His prænotatis, ut certum sit, Ecclesiasticam Tonsuram non consistere in sola *Clerica*, seu *Corona*, sed etiam in *rescissione capillorum, ita ut aures pateant*; tradiderunt præfati DD. Parochi, & Confessarii sequentia motiva ad denotandam obligationem personarum Ecclesiasticarum non relaxandi comam.

Primum *Motivum ob Moralitatem*; siquidem 3
Tonsura Ecclesiastica significat excellentiam vitæ Clericalis; juxta illud 1. *Petr. 2. Vos estis genus electum, Regale Sacerdotium.* Et contemptum mundi, *cap. Duo sunt, 12. quæst. 1.*

Secundum *Motivum ob Utilitatem*; nam ex ea proveniunt quatuor Privilegia, scilicet Canonis, Fori, Immunitatis à gabellis, & Habilitatis ad beneficia, & pensiones. Toto tit. *de Vita, & honest. Cleric. in Decret. in 6. & in Clem.* Nec non in *Bulla 92. Sixti Quinti* & in Conc. Trident. *de Reform. Sess. 23. cap. 5. & Sess. 25. cap. 20.*

Tertium *Motivum ob Necessitatem*; attento
quod Tonsura in Clericis sit de Præcepto; & 4
eam non observantes non videantur excusandi à peccato mortali; tùm quia Sacri Canones ferunt excommunicatione Clericos comam relaxantes. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in Epitome Verb. Clerici, quoad habitum, & Tonsuram*: tùm quia sic censent gravissimi Doctores, Bonacin. *tom. 1. de Sacrament. Ordin. quæst. Unica, punct. ult. num. 3.* & Layman. *lib. 5. tract. 9. cap. 12. num. 3.* qui alios cumulant.

Neque suffragari potest contraria consuetu-
do particularium personarum, vel locorum, 5
quia hæc tanquam abusus, & corruptela ubique terrarum declarata est, ac damnata infinitis propemodùm Constitutionibus, quas collegit Caston. Chamilard. in Tractatu *de Corona, Tonsura, & Habitu Clericorum*, in quo leguntur Decreta sexdecim Bullarum Apostolicarum, decem Conciliorum Generalium, Provincialium centum, triginta sex, Synodalium ducentorum, quinquaginta duorum: & ulteriùs referuntur plurimæ SS. Patrum Sententiæ, Principum ac Senatuum Edicta, Theologorum, ac Canonistarum allegationes in condemnationem Clericorum relaxantium comam. Neminem verò latet, invalidam, nulliusque roboris esse consuetudinem, (quamvis centenariam, & immemorabilem) quæ declarata est abusus, & corruptela. Gonzal. *ad reg. Canc. gloss. 33. num. 10. & 11.* 6
Spereil. *decis. 37. num. 51. & decis. 182. num. 33. 57. & 60.* ac etiam illam, quæ est contra ho-

ne-

neſtatem, & Eccleſiaſticam diſciplinam, idem Sperell, *deciſ.* 179. *num.* 61.

QUOAD VESTEM TALAREM.

ADduxerunt pariter tria motiva, ut jugiter Eccleſiaſtici ea utantur. *Primum Motivum ob*
7 *Moralitatem*; tùm quia ipſa ſignificat excellentiam vitæ Clericalis, & decorem reddit utentibus illa; ideò ait Dominus Moyſi. *Exod.* 28. 2. *Facies Veſtem ſanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.* Et Romani Cives in ſignum honoris donati fuere ab Antonino Imperatore *Veſte Talari*, quæ appellabatur *Caracalla*, græcè Καρακάλλιον Beda *lib.* 1. *cap.* 7. *Hiſt. Anglic.* Cardin. Baron. *ann.* 213. *num.* 10. Hierolexicon Magrii, & Amalthæa Onamaſtica *Verb. Caracalla.* Noviſſimè Sarnell. *in Speculo Cleri Secularis part.* 1. *cap.* 4. Tùm etiam quia *Veſtis Talaris* innuit perſeverantiam. Alcuinus *de Div. offic.* nec non juſtitiam, & Sanctitatem Clericorum. Hinc S. Joan. *Apoc.* 1. *v.* 13. ait: *Vidi ſimilem Filio hominis veſtitum podere*; quæ verba declarans Marchantius in fine operis *de offic. Paſtor. collar.* 2. *Paragraph.* 2. ait: *Poderis Veſtis erat Sacerdotalis, inde Poderis dicta, quod ad pedes usque ſe porrigebat.* Et infra: *Significat autem hæc Poderis juſtitiam, qua verus Paſtor ornatus eſſe debet.*

Secundum Motivum ob Utilitatem; nam ea dimiſſa, amittuntur antedicta quatuor Privilegia Ca-
8 nonis, Fori, Immunitatis, & Beneficiorum, tùm ex jure antiquo, *cap.* 1. *& ſeqq.* 21. *quæſt.* 4. *cap.* 1. *de Apoſtat.* Eminentiſs. Cardin. de Lauræa *Verb. Veſtis*; tum ex Concilio Tridentino *Seſs.* 24. *de ref. cap.* 6. *Seſs.* 22. *cap.* 6. *& Seſs.* 23. *cap.* 6. tùm etiam ex d. Bulla Sixti Quinti. Quaranta. *Verb. Habitus Clericalis.* Gavantus *in Manual. Verb. Clericus num.* 3. *& Sa num.* 33.

Tertium Motivum ob Neceſſitatem; quia licèt
9 diſputent DD. an ſit peccatum mortale incedere absque Veſte Talari? & plures ſint pro utraque opinione, quos allegat Layman. *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 12. *num.* 2. *&* 3. & Coton. *controver. Illuſtr. lib.* 3. *contr.* 3. *num.* 143. absque dubio lethale eſt in hac Diœceſi Divina officia celebrare ſine illa ſtante Decreto Eminentiſs. Domini Cardinalis Epiſcopi *diei* 9. *Febr. anni* 1669. de Veſte Talari ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis ipſo facto incurrenda, excepta cauſa itineris, videlicèt tunc & quando celebrans diſtat à ſua ſolita habitatione per decem milliaria, ut pluries prælibatus Eminentiſs. Præſul declaravit.

CIRCA DECENTIAM SUPELLECTILIS SACRÆ.

10 TRia pariter fuere Motiva pro decentia Veſtium Sacrarum.

Primum ob Moralitatem, quia repræſentant Virtutes tùm Chriſti Domini, tùm Sacerdotum ejus, & plenæ ſunt myſteriis, quæ in ſenſu Literali, Allegorico, Tropologico, & Anagogico explicantur à Gavanto *ſuper Rubric. Miſſal. part.* 2. *tit.* 1. *num.* 6. & à P. Quarto *eod. tract. part.* 2. *tit.* 1. *num.* 3.

Secundum ob Utilitatem, nam cum inter opera Pietatis præcipuum ſit curare nitorem, & excel-
11 lentiam Sacræ ſupellectilis, magna remuneratio obtinetur tùm in præſenti, tùm in futura vita à Deo Optimo Maximo: ſicut enim Iſaac *ſtatim, ut ſenſit Veſtimentorum Fragrantiam*, benedixit Jacob. *Geneſ.* 27. ita benedictionum cœleſtium affluentiam conſequentur Eccleſiaſtici, qui verè cum Pſalmiſta dicere poterunt, *Domine, dil xi decorem Domus tuæ. Pſalm.* 25. 8. Salomon quoque felicitate potitus, quia pretioſa quæque obtulit in ſervitium Templi, & uſum Sacrificiorum, ut latè demonſtrat P. Molina *de Inſtructione Sacerd. tract.* 3. *cap.* 18.

Tertium ob neceſſitatem; quia cuncti Doctores teſtantur, mortale eſſe celebrare cum ſupellecti- 12
li valdè immunda, vel attrita. Suarez *de Sac. diſput.* 81. *lect.* 6. *Paragr. ult.* Tamburinus *de Sacrificio Miſſæ lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. Ea ratione quia Rubricæ Miſſales de hac decentia ſunt præceptivæ. Gavant. *part.* 3. *tit.* 11. *num.* 3. & eſt Præceptum naturale, ut reverenter tractentur Sacra, & decenter celebrentur Divina Myſteria. Quart. *part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. ubi loquitur de nitore Tobalearum. Et *part.* 2. *tit.* 1. *dub.* 7. ubi agit de munditia Veſtium Sacrarum.

QUOAD SILENTIUM.

EAdem *Tria Motiva* allegata ſunt: *Primum Moralitatis*, quia in Officiis Sacris militantis Eccleſiæ repræſentatur triumphans Eccleſia, de qua 13
ſcriptum eſt: *Factum eſt ſilentium in cœlo. Apoc* 8. 1. Marchant. *in Virga Aaron tract.* 3. *lect.* 14. 15. 16. *Secundum Utilitatis*, plurima enim bona è ſilentio, & taciturnitate procedunt, quæ refert Rodriq. *in Exercit. Perfect. part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 14. Et equidem ut ait *D. Jac.* 1. 26. *Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt Religio*, & commune eſt illud Catonis. *Virtutem primam reputo compeſcere linguam. Tertium Ne-* 14
ceſſitatis, quia confabulationes in Choro, nugæ, riſus, & ſtrepitus mortalia peccata ſunt, attentis tot, & tantis Canonibus ſilentium præcipientibus, Cardin. de Lauræa *in Epitom. Verb. Chorus, & Verb. Silentium.* Cecoper. *de Canonicis lib.* 2. 15
num. 200. ubi ex S. Ambroſ. *lib.* 3 *de Virg.* refert, quod Ranæ impedientes ſuo murmure auditum publicæ Orationis circa proximam Eccleſiam, juſſæ à Sacerdote, ut conticerent, miro ſilentio obedierint; unde inculpabat loquaces S. Ambroſius dicens: *Silent paludes, non ſilebunt homines?* Utinam hæc ſeriò conſiderarentur ab his, qui neſciunt tacere. Meminerint Statutis 16
Cathedralium, & Collegiatarum ordinari, ut qui ſilentium non ſervant in Choro, diſtributiones non lucrentur, & Punctatores peccant eos non punctantes.

QUOAD ATTENTIONEM.

PRæmiſerunt. *Primò* in recitatione Divinorum officiorum non ſolùm præcipi Attentionem externam, ſed etiam internam, *cap. Dolentes, de* 17
Celebrat. Miſſar. Graffius *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 41. & quidem ſub pœna peccati mortalis ex probabiliori opinione, quam tuentur Suarez *de Religion. tom.* 2. *tract.* 4. *lib.* 4. *cap.* 16. Tolet. *lib.* 2. *cap.* 13. Layman. *lib.* 4. *cap.* 5. *tract.* 1. *num.* 10. & noviſſimè Fagnan. *in eod. cap. Dolentes, an.* 51. *& ſeqq. de celebr. Miſſar.* Quia cum oratio ſit elevatio mentis in Deum, absque interiori attentione non poteſt eſſe oratio; neque obſtat, quod Eccleſia non judicet actus internos; procedit enim in foro fori, non in foro conſcientiæ. Azor. *part.* 1. *lib.* 10. *cap.* 12. *quæſt.* 6. & non habet locum in actibus internis habentibus connexionem cum externis, ut in attentione in Divinis officiis. Fagnan. *dict. cap. Dolentes, num.* 65. Verum tamen eſt, quod in precibus ex ſola

devotione evagatio mentis sit culpa tantùm venialis, Sotus *de Justit. & Jur. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 5.

18 *Secundò* præmiserunt; Triplicem esse Attentionem in Divinis officiis, Materialem, Literalem, & Spiritualem. *Prima* consistit in attendendo ad Verba, ne unum Verbum dicatur pro alio, nevè quid omittatur. *Secunda* attendit ad sensum, & significatum Verborum. *Tertia* respicit ad Deum, & suam Divinam præsentiam, Christivè passionem, vel ad aliud Divinum Mysterium. P. Molina *Instruct. Sacerd. in addit. ad Tract.* 3. *cap.* 7. Sotus *dict. art.* 5. Quælibet ex his tribus attentionibus, (quando Sacra Verba integrè proferuntur) sufficit ad præceptum Divini officii adimplendum, & ad satisfaciendum, merendum, ac impetrandum. Valentia *tom.* 3. *disput.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. *paragr.* 4. Graffius *part.* 1. *decis. lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 8. Toletus *dict. lib.* 2. *cap.* 13. Pellizarius *de Monial. cap.* 10. *sect.* 3. *num.* 291.

Tertiò præmiserunt; Unamquamque supradictarum attentionum dividi in *Actualem*, quæ actu attendit, vel ad verba, vel ad sensum, vel ad
19 Deum; & in *Virtualem*, dum quis in principio precum actuali gaudebat attentione, sed in prosecutione involuntariè distractus est ad profana. D. Antoninus *in Summ. part.* 3. *tit. de Hor. Can. cap.* 4. & Sotus *d. quæst.* 5. *art.* 5. Et hæc Virtualis attentio sufficit ad satisfaciendum, merendum, & impetrandum, si orans, quando advertit, se esse distractum, revocet animum. Abbas *in Clem. si Dominum, de Relig. domib.* & Vitalius *in Clem.* 1. *de Celebr. Missar. num.* 20. Lezana *in summ. part.* 1. *cap.* 12. *num.* 10. *& seqq.* nam & David fatur de se orante *Psalm.* 39. *Cor meum dereliquit me.*

His præmissis, *tria motiva* notarunt pro attentione habenda.

Primum *ob Moralitatem.* Quia exercemus in terris, quod agunt in cœlis Beati, &, ut profite-
20 tur Ecclesia hìc *Cum Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cumque omni militia Cœlestis exercitus hymnum gloriæ Dei canimus.*

Secundùm *ob Utilitatem;* nam uberrimi sunt fructus Orationis attentè, ac devotè factæ, de quibus Rodriquez *Exerc. Perfect. part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 1. *&* 2. & præcipuè, quia orantes satisfacimus, meremur, & impetramus. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 15. *&* 16. & ulteriùs spirituali dulcedine reficimur, Sotus *dict. lib.* 10. *quæst.* 5. *art.* 5.

Tertium *ob Necessitatem:* nam orantes sine attentione, & cum voluntaria divagatione dictos fructus perdunt, peccantque graviter, juxta il-
21 lud. *Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter. Jerem.* 48. 10. & si distributiones dentur, qui absque attentione externa, vel interna stetit in
22 Choro, tenetur eas restituere; ut confutata opinione contraria docet Moneta *de Distr. Quot. part.* 2. *quæst.* 2. *num.* 22. Graffius *part.* 1. *dec. lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 15. & Fagnanus *in d. cap. Dolentes. num.* 57. ubi alios allegat *de Celebr. Missar.*

Tandem, ut Ecclesiasticis personis magis, ac magis exterior, atque interior Attentio in Divi-
23 nis officiis commendetur, hæc, quæ sequuntur ex Graffio *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 52. *num.* 26. transscripserunt.

Considerent etiam obligati recitare Horas Canonicas visionem illam, relatam a S. Antonino *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 13. *Paragr.* 3. *de quodam Patre Sancto, cui videnti in Choro dæmonem multa imponentem Sacco, & interrogatum, quid imponeret? respondisse, Syllabas, & verba, quæ hi vel omittunt, vel deglutiunt inter dentes, vel versus incipiunt, antequam ii, quibus cum recitant, alios absolvant, vel malè versus pronunciant, ut illos ejus rei accusaret in judicio.*

DECISIO CX.

ARGUMENTUM.

Quibus mediis & rationibus, poterunt Parochi retrahere populum à peccatis carnis?

SUMMARIUM.

1. *Carnis peccata quibus mediis evitanda?*
2. *Carnis vitium Deo summè odibile.*
3. *Carnis peccata difficillimè emendantur.*
4. *Carnis peccatum non solum animam, sed etiam corpus coinquinat.*
5. *Carnalium culparum pessima conditio.*
6. *Fœminarum conversationes fugiendæ.*
7. *Carnis tentationes quibus remediis vincantur?*

SCripta fuere sequentia. 1. Excitare voluntatem eorum, qui luxuriosè vivunt, ut verè velint mutare vitam, nam absque hac enixa voluntate, frustrà agitur; ideò & Dominus ait Paralytico: *Vis sanus fieri? Joan.* 5. 2. Ostendere evidens periculum æternæ damnationis, quia Deus odit peccata carnalia super omnia; siquidem, quia *Omnis caro corruperat Viam suam, & pœnituit eum, quod hominem fecisset in terra; & tactus dolore cordis intrinsecùs, Delebo, inquit, hominem, quem creavi, à facie terræ.* Et quasi se Jurejurando obstringens, subdit: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Videbat enim, quod *cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum. Genes.* 6. 5. & ideò in odium luxuriæ omnes viventes delevit aquis diluvii, exceptis iis, qui erant in Arca Noëtica. 3. Difficillimum esse, exire è vita carnali, quæ vocatur *Puteus angustus. Prov.* 23. ob pessimum habitum, quem dimittere voluntas non potest absque magno labore; quia detinetur nexibus pravæ consuetudinis, undè Glossa *in Job* ait: *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* 4. Luxuriam non solùm animam offendere, juxta illud. *Qui faciunt peccatum, hostes sunt animæ suæ, Job.* 12. 10. sed etiam corpus infirmitatibus, & doloribus crudelibus adstringere; *Qui* enim, *fornicatur, in corpus suum peccat.* 1. *Cor.* 6. 18. 5. Carnis peccata ob eorum malitiam, assimilari in Scriptura sacra sæpè sæpiùs Idololatriæ. *Cum idolis suis fornicata sunt. Ezech.* 23. 6. Lapsum Carnis esse signum magnæ iræ Dei in eum perpetrantes. *Fovea profunda os aliena; cui iratus est Dominus incidet in eam. Prov.* 22. 14. 7. Ore suo Dominum maledixisse carnalibus peccatis: *Maledictus, qui dormit cum uxore proximi sui. Deut.* 27. & subindè pœna capitali plectendos jussit adulteros in hac vita: *Si dormierit Vir cum uxore alterius, uterque morietur. Deut.* 22. Imò contra naturam peccantes igne jussit vivos comburi. *Qui scelus operatus est, vivus ardebit, nec permanebit tantum nefas in medio vestri. Levit.* 20. 14. Quod executus est Dominus contra Sodomam, & Pentapolin; nam *subvertit civitates illas*

illas, & omnem circa regionem. Geneſ. 19. 25. 8. Invehendum præcipuè, ut propenſi in luxuriam fugiant occaſiones, ac fœminarum converſationes; ait enim Apoſtolus: *fugite fornicationem, 1. Cor.* 6. quandoquidem, *qui amat periculum, in illo peribit. Eccleſ.* 3. 27. Undè pulchrum Diſtichon Marcantii:

Quid facies, facies Veneris ſi veneris ante?
Non ſedeas, ſed eas, ne pereas per eas.

9. Injungendam frequentiam Sacramentorum, quæ ſunt. *Nubes roris. Iſaiæ* 18. 4. Et *frumentum electorum, & vinum germinans Virgines. Zach.* 9. 7 17. 10. Afflictiones corporis exercendas, jejuniis, ciliciis, flagellationibus: *Caſtigo corpus meum*, dicebat Apoſtolus 1. *Cor.* 9. & S. Thomas ajebat, *Caſtitas dicitur à caſtigando.* 11. Oratione vacandum: *Orate, ne intretis in tentationem. Matth.* 26. 12. Meditanda, & memoranda noviſſima: quis enim non deſinet peccare, ſi attentè recogitabit horrorem mortis, terribile judicium, æternitatem inferni, cœleſtem gloriam? 13. Conſiderandum: modicam eſſe Voluptatem carnis, quæ tamen vitam minuit, vires debilitat, formam deturpat, divitias diſſipat, & mortem æternam parat: *Neque enim fornicarii, neque molles, neque maſculorum concubitores regnum Dei poſſidebunt. 1. Cor.* 6. 14. Recolendam eſſe Dei præſentiam, & Angeli cuſtodis aſſiſtentiam, ne audeant committere in ejus conſpectu, quod videntibus hominibus nunquam facerent, juxta illud S. Bernardi *in Pſalm. Qui habitat in quovis diverſorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo præſente, quod videnti me non auderes.* 15. Otium vitandum, quia *Multam malitiam docuit otioſitas. Eccleſ.* 33. & ab aſpectibus mulierum, ac multò magis à tactibus cavendum: *Mors enim aſcendit per feneſtras noſtras. Jerem.* 9. prout etiam à turpiloquiis, nam *corrumpunt bonos mores colloquia prava. 1. Cor.* 15. 16. Actandem eleemoſynas pauperibus dandas, quia *Beati miſericordes, quoniam & ipſi miſericordiam conſequentur. Matth.* 5. 7. Quæ omnia, ac alia permulta utiliſſima habentur apud Reginaldum *in Praxi fori Pœn. lib.* 7. *de Sacram. ſatisfact. & prudentia Confeſſarii in ea imponenda, num.* 57. 58. & 59. Car. Pallavic. *de Art. perfect. Chriſtianæ lib.* 2. *cap.* 8. 9. 10. & P. Paulum Segner. *Soc. Jeſu*, in aureis ſuis libellis, *Confeſſor. inſtructus cap.* 12. nec non *Pœnitens inſtructus cap.* 12. & 13.

DECISIO CXI.

ARGUMENTUM.

Referuntur rationes, quibus Eccleſiaſtici, de bonis per eos cumulatis ex reditibus beneficiorum, tenentur potius facere Eleemoſynam in vita, quàm eam ordinare faciendam in teſtamento poſt mortem.

SUMMARIUM.

1. *Eleemoſyna non ſolùm eſt de conſilio, ſed etiam de Præcepto.*
2. *Præceptum Eleemoſynæ an ſit ex juſtitia, an ex charitate?*
3. *Beneficiarii non facientes eleemoſynam quando peccent?* & num 8. ac num. 9.
4. *Eleemoſyna in duobus caſibus omninò facienda.*
5. *Neceſſitas triplex Extrema, Gravis, & Communis.*
6. *Bona temporalia tripliciter conſiderantur.*
7. *Pauper quando ſit ſubveniendus de Præcepto?*
10. *Pauperum appellatione veniunt etiam Eccleſiæ.*
11. *Beneficiarius an rectè differat eleemoſynas uſque ad ſuam mortem?*
12. *Eleemoſynæ fructus tres.*
13. *Eleemoſyna magis prodeſt facta in vita, quam poſt mortem.*
14. *Eleemoſynæ facta in vita remuneratio major.*
15. *Lumen præcedere oportet in via.*
16. *Teſtamenta, ut plurimùm, inexecuta.*
17. *Munus datum poſt mortem parum valet.*
18. *Miſericordes homines ab omnibus laudantur.*
19. *Eleemoſyna non cauſat pauperiem.*
20. *Prædeſtinationis ſignum eſt eleemoſyna.*

PRæmiſerunt pro dilucidatione hujus importantiſſimi Caſus.

Primò. De Eleemoſyna pauperibus facienda, non ſolùm haberi Conſilium in Divinis Scripturis, ſed extare Divinum Præceptum, tùm in 1
Deut. 15. 11. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ, idcircò EGO PRÆCIPIO tibi, ut aperias manum tuam fratri tuo egeno, & pauperi, qui tecum verſatur in terra.* Tùm in Evang. *Luc.* 11. 14. *Quod ſupereſt, date eleemoſynam, & Matth.* 25. 35. ubi Dominus diſſerens de futuro Judicio refert opera miſericordiæ, & eleemoſynæ, ſuper quibus omnes judicabuntur, & propter quorum omiſſionem reprobi condemnabuntur; undè S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 5. ait, *Nullus punitur pœna æterna pro omiſſione alicujus, quod non cadit ſub præcepto, ſed aliqui puniuntur pœna æterna pro omiſſione eleemoſynarum, ut patet Matth.* 25. *ergo dare eleemoſynam eſt in præcepto.*

Secundò: Quod licèt Doctores diſputent, & inter ſe non conveniant, *an Præceptum eleemoſynæ ſit ex Juſtitia, vel ex charitate?* ut videre eſt 2
apud Gabrielem Vaſquez *in opuſc. moral. de Eleemoſyna cap.* 4. *num.* 8. ubi viginti Doctores allegat; apud Suarez *de Charitate diſput.* 7. *ſect. ultim.* Caſtropalaum *de Charitat. tract.* 6. *dub.* 2. *punct.* 3. & Sanchez *tom.* 1. *Conſil. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 59. Tamen omnes concorditer tenent, Beneficiarios non facientes eleemoſynam de reditibus Eccleſiaſticis ſuperfluis decentiæ ſtatus ſui 3
peccare mortaliter, quacunque contraria conſuetudine non obſtante Vaſquez *ubi ſupra num.* 12. Moſcon. *de Majeſtate militantis Eccleſ. lib.* 1. *part.* 3. *pag.* 493. *lit. C.* Sanchez *d. tom.* 1. *conſil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 38. & ego probavi in meis Deciſionibus de Pœnitentia *Deciſ.* 10. *per totam*, à Cordato Viro legendam.

Tertiò quod quamvis hoc præceptum, tanquàm affirmativum, non obliget ſemper, & ad ſemper, nihilominùs ad cognoſcendum, quando ſit facienda eleemoſyna, duas eſſe regulas; 4
nempè, quando pauper eſt in neceſſitate extrema, vel gravi: vel quando dives habe ſuperflua ſtatui ſuo; utraque enim reſpectivè, *Neceſſitas* ſcilicèt, & *Abundantia*, per ſe obligat ad eleemoſynam dandam juxta ſecuriorem opinionem. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 32. *art.* 5. *quæſt.* 66. *art.* 7. & *quæſt.* 188. *art.* 4. *ad* 2. Cajetan. *Opuſc. de Eleemoſ. cap.* 3. Layman. alios allegans *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 6. *ſub num.* 3. Abulenſis *in Matth. cap.* 6. *quæſt.* 4.

Quartò: Neceſſitatem pauperum Triplicem eſſe, *Extremam*, in qua, niſi ſuccurrantur, amiſſuri 5
ſunt vel vitam, vel honorem, vel libertatem. *Gravem*, in qua difficillimè absque eleemoſyna poſſunt ſe tueri in ſuo ſtatu. Et *Communem*,

quæ

quæ in mendicantibus ostiatim consideratur; S. Thom. 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 5. Sanchez *tom.* 1. *consil. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 4. Cotonius *lib.* 1. *Controv.* 7. *cap.* 1. *num.* 7. & Illustriss. Episcopus Sperellus *in tract. de Eleemosyna cap.* 45. *num.* 7.

Quintò: Bona esse in triplici differentia. 6 Alia dicuntur necessaria naturæ, id est pro victu, & vestitu sui, & familiæ. Alia sunt superflua naturæ, sed necessaria statui honesto sui, vel suorum, habita ratione etiam casuum, qui probabiliter timeri, vel expectari debent, & quos recta prudentia considerat. Et alia dicuntur superflua statui. S. Thom. & Sanchez *ubi supra.* Coton. *dict. Controv.* 7. *cap.* 2. *num.* 22.

Sextò: Pauperem existentem in *Extrema* necessitate esse ab omnibus juvandum de superfluis 7 tùm statui, tùm naturæ, *cap. Non satis*, 14. *& cap. Pasce.* 21. *dist.* 86. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 8. *art.* 7. Ordo enim charitatis requirit, ut præferamus Vitam, honorem, & Libertatem proximi rebus nostris temporalibus. Sperell. *d. cap.* 45. *num.* 8. 9. *&* 10. Sanchez *dict. lib.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. *num.* 28. In Necessitate verò *Gravi*, aut *Communi*, Doctores discrepant circa obligationem Laicorum dandi eleemosynam de superfluis statui, licèt opinio affirmativa sit securior, & verior, ut videre est apud Sanchez *ubi supra* Layman. *dict. lib.* 2. *tract.* 6. *num.* 7. Castropal. *tom.* 1. *tract.* 6. *disput.* 2. *num.* 15. Et Sperell. *dict. cap.* 45. *à num.* 13. *usque in finem.* At circa Beneficiarios docent concorditer omnes Doctores, eos teneri sub peccato mortali eleemosynam facere de reditibus Ecclesiasticis superfluis decentiæ sta- 8 tus sui. Vasquez *dict. cap.* 4. *num.* 14. *&* 15. Cajetan. 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 1. Coton. *dict. lib.* 1. *Controv.* 7. *cap.* 1. *num.* 7. Dixerunt *de Reditibus Ecclesiasticis*, quia de Patrimonialibus, vel quasi Patrimonialibus, (quales sunt distributiones quotidianæ, oblationes pro Missæ celebratione, aliave lucra studii, vel industriæ) tantam obligationem habent, quantam ipsi laici, & non majorem. Sanchez *tom.* 1. *Consil. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. Sperell. *dict. tract. cap.* 46. *num.* 3. *&* 4.

Stat igitur indubitata conclusio, ex reditibus Ecclesiasticis superfluis statui decenti beneficia- 9 riorum, esse omninò faciendam Eleemosynam sub pœna peccati mortalis, ut probant Theologi, & Canonistæ cumulati per Sperell. *d. cap.* 46 *à num.* 5. *& seqq.* ubi rationes reddit, & Canones allegat, nec non Conc. Trident. *de Reform. Sess.* 25. *cap.* 1. Et idem docet Eminentiss. Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de Justit. & Jure disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 16. Vasquez *dict. cap.* 4. *num.* 17. Quod adeò verum est, ut non solùm beneficiarii teneantur pauperibus petentibus eleemosynam dare, sed ulteriùs (præcipuè si curam animarum habeant) debeant eos perquirere, ad differentiam laicorum, qui ad id non adstringuntur. Vasquez *dict. cap.* 4. *num.* 14. Sanchez *d. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 39. *num.* 4. *&* 5. Diana *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 158. Quæ in Coordinato est *tom.* 4. *tract.* 7. *resol.* 31. & Sperell. *dict. cap.* 46. *num.* 12.

10 Declaratur tandem, appellatione Pauperum venire etiam Ecclesias, & omnia pia opera quæcunque. Fagnan. *in cap. Si quis sanè, num.* 22. *de Pecul. Cler.* ubi notat *num.* 28. Abbatibus commendatariis solitum esse injungi per Papam in literis Apostolicis, ut tertiam, vel quartam partem fructuum expendant, vel in alimoniam pauperum, vel in alia opera pia: quod confirmat, quæ dicta sunt circa obligationem inevitabilem faciendi eleemosynam de reditibus Ecclesiasticis superfluis decenti statui beneficiatorum.

His ita dilucidatis, allegatæ fuerunt sequentes rationes, ne differatur eleemosyna post mortem beneficiarii.

Prima Ratio: Quia ipse beneficiarius est in 11 statu peccati mortalis, & incapax absolutionis. Probarunt: Nam, qui debet, & potest rem alienam restituere, & non vult statum restituere, sed committere restitutionem hæredibus, non est absolvendus; quia non censetur benè dispositus, sed in statu peccati mortalis. Coton. *lib.* 2. *Controv.* 9. *cap.* 6. *num.* 160. & ibi Diana *part.* 5. *tract.* 3. *resol.* 104. Quæ in Coordinato est *tom.* 1. *tract.* 4. *resol.* 51. Sed beneficiarius, qui ex reditibus Ecclesiasticis cumulavit divitias, & retinet superfluum statui suo honesto, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem juxta securiorem sententiam, quam sustinet Alvar. Pelagius *de Planctu Eccles. in* 2. *part. cap.* 28. & docuerunt Sanctissimi, ac gravissimi Patres, & Doctores relati à Fagnano *in dict. cap. Si quis sanè, num.* 1. & à Diana *part.* 5. *tract.* 8. *resol.* 31. Quæ in Coordinato est *tom.* 4. *tract.* 7. *resol.* 26. nec non à Sanchez *d. tom.* 1. *Consil. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 38. *num.* 12. Ergo ut salutem consequatur æternam, debet facere eleemosynam in vita; non autem eam hæredibus committere, post ejus mortem faciendam.

Secunda Ratio; Eleemosyna est utilior eam 12 facienti in vita, quàm committenti post mortem. Probarunt. Tres sunt fructus præcipui eleemosynæ *Meritum, Impetratio, & Satisfactio.* Toler. *lib.* 8. *cap.* 41. At eleemosyna post mortem, licèt valeat satisfacere pro pœnis, quas Testator debet pati in Purgatorio, non valet ad augendum meritum gratiæ, & gloriæ, prout valeret facta, dum viveret. Nicolius *tom.* 1. *lib.* 2. *tit.* 20. *num.* 34. Quartus *ad Rubric. Missal. post* 3. 13 *part. in Appendice, quæst.* 2. *punct.* 5. *Vers. Colligitur,* ubi notat, consultius esse, ut fideles curent sibi applicari Missas, dum vivunt, quàm post mortem, quia post mortem lucrantur tantummodò satisfactionem, in Vita autem tùm satisfactionem, tùm meritum, & augmentum gratiæ. Porrò plurimi æstimare oportet augmentum meriti. Sotus *in* 4. *distinct.* 21. *quæst.* 1. *art.* 1. & Naldus *in Verb. Eleemosyna*, ubi sic ait: *meriti augmentum minimum pluris æstimandum est, quàm liberatio à maxima pœna Purgatorii: incomparabiliter, inquam, pretiosius est cum majori merito, & gratia existere in Purgatorio viginti annis, quàm cum minori esse illic una die; imò sine Purgatorio in Cœlum evolare.*

Tertia Ratio. Quia eleemosynæ factæ in vita 14 obtinent ampliorem remunerationem à Christo Domino, ut scribit S. Jo. Chrysost. *hom.* 32. *ad Hebr.* his Verbis: *Majori amore dignum fuerit, majorique dignum mercede, si Christum, dum vivis, pavetis.* Ideò dicitur *Eccles.* 14. 3. *Ante mortem benefac amico tuo:* ubi Ugo Cardin. glossat, *id est Christo.*

Quarta Ratio. Quia Ambulantibus in tenebris 15 melius est, si lumen præcedat, quàm si post terga feratur. De Purgatorio dicitur, *Antequàm vadam, & non revertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. Job.* 10. Cæterùm eleemosyna est fax ardens, & lumen resplendens. *Frange esurienti panem tuum &c. Tunc erumpet quasi lumen*

Justi-

Justitia tua, Isa. 58. 7. Ergo melius est, eam facere ante mortem.

Quinta Ratio. Quia Securior est eleemosyna facta in Vita, quam ordinata post mortem; siquidem experientia docet, longe plura esse testamenta, quæ carent executione, iis, quibus executio præstetur; & justa Dei permissione fit, ut qui sibi potuit benefacere vivendo, & noluit, ei, neque post mortem, ab hæredibus benefiat.

Sexta Ratio. Quia qui dat eleemosynam in Vita, est gratior Deo, & qui dat post mortem ea, quæ secum afferre non potest, non meretur gratitudinem, nam

Munera, quæ donat moriens, hæc munera non sunt.

Donat enim, quod jam definit esse suum.

Et ideò S. Basilius *Hom.* 7. contra divites avaros, sic ait; *Sicut nullus post mercatum solutum negotiatur, neque post certamina accedens coronatur, nec post bellum fortia gerit, sic post vitam, nullam pietatis laudem, præmiumvè capiet.*

18 *Septima ratio.* Quia nil eleemosyna gloriosius, & homines misericordes in vita laudantur ab omnibus. *Eccles.* 31. 9. *Eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* Et Senec. 4. *De benefic. cap.* 22. *Est in ipso opere merces rei, & ad alienandas mentes hominum ingens honesti potentia.* Et Cicero. *Homines ad Deos nulla re propius accedunt, quam dando*, & Ovid.

Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis:

Quos allegat Sperellus in præcitato *lib. de Eleemos.* quem omnes beneficiarios legere oporteret.

19 *Octavo ratio*, quia eleemosyna non minuit, sed abundare facit bona temporalia; spondente Spiritu Sancto, *Qui dat pauperi, non indigebit. Prov.* 28. 27. & infinita propemodùm leguntur exempla de hac veritate in Historiis, & vitis Sanctorum.

20 *Nona, & Ultima Ratio*; quia Misericordia in pauperes est signum Prædestinationis, ut fusè prælaudatus Antistes Sperell. *cap.* 30. 31. 32. & 33.

DECISIO CXII.

ARGUMENTUM.

Recensentur rationes, ac diligentiæ adhibendæ ab animarum Curatis, ut retrahant populum à crapulis, & ebrietatibus?

SUMMARIUM.

1. *Ebrietatis pro eliminando vitio remedia sex.*
2. *Ebriosus maritus quomodo emendatus ab Uxore?*

1 PRæter ea, quæ considerata fuerunt supra *Decis.* 14. *à num.* 12. Doctores, Parochi, & Curati animarum notavere sequentia. 1. Ut ipse Curatus sit studiosissimus Temperantiæ, ac Sobrietatis, juxta illud Apostoli ad *Titum* 2. 7. *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum.* 2. Docendum, ex crapula, & ebrietate procedere peccata enormia luxuriæ, juxta illud: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Ephes.* 5. 19. 3. Terrendos esse populos ab hoc vitio ob multiplicatas maledictiones, quæ in ebriosos leguntur prolatæ à Deo, & præcipuè *Prov.* 23. 20. *Cui væ? cujus Patri væ? Cui rixæ? Cui fovea? Cui sine causa vulnera? Cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* 4. Gravi sermone exponenda mala, quæ resultant ex crapula, & ebrietate; siquidem utraque aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, balbutire facit, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, excitat iram, atque furorem, omniumque vitiorum fomes est, materque morborum. 5. Monendos auditores, quod Ebriosi regnum Dei non possidebunt, ut ait *D. Paul.* 1. *Cor.* 6. & comprobat Lessius *de Just. & Jure lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 3. *num.* 15. & Bonacina *de legib. disput. ult. quæst.* 1. *punct.* 1. *num.* 2. *Ver.* 4. 6. Legendos à Curatis animarum perfrequenter Auctores agentes de remediis contra vitium gulæ, & præcipuè Marchant *in Hort. Pastor tract.* 5. *lect.* 1. *De Vitio gulæ.* Aresium *lib.* 6. *Impr.* 189. Lessium *dict. cap.* 3. *dub.* 3. Thomam Garzonum *in Plat. Univ. Discur.* 108. & Georg. Gobatum *in suo Quinario tract.* 5. *per totum*, apud quos uberrima reperiuntur argumenta, rationes, industriæ, ac exempla pro crapula, & ebrietatis abusu eliminando.

His ego addam lepidam narrationem, quam Romæ anno 1670. audivi à P. Rizzollio Soc. JESU in sermonibus suis postmeridianis in Ecclesia Sanctissimi Nominis JESU. Narravit itaque, fuisse quendam Virum ebriosum, quem quadam die vino oppressum, ac sensibus destitutum ejus Uxor posuit extensum in pavimento tanquam mortuum, manibus in Crucis formam ligatis, & syndone cooperuit, ac ad caput, & ad pedes candelas posuit accensas. Vocavit vicinas, quibus dixit, improvisa morte maritum suum sublatum, lachrymas, & dolorem simulabat, & ajebat: Ah saltem confessus esset peccata sua ante mortem! Ejus anima nunc debet esse in inferno. Dum sic lamentaretur Uxor, digesto vino Maritus extulit caput; & quæsivit, Quid esset? Cur Uxor ploraret? Ipsa detracta syndone ait: Oh miraculum! Mi marite, mortuus eras. Deus tibi vitam restituit, ut confitearis peccata tua, & te emendes ab ebrietatis vitio. Tantum concepit terrorem Vir ille ex illa imagine mortis, ut de cætero abstinuerit à vino, & fuerit virtuosæ observator temperantiæ. Ita supradictus egregius Concionator.

DECISIO CXIII.

ARGUMENTUM.

Refertur ordo, sive methodus incensandi Altare juxta Rubricas. Numerus incensationum. Earundem Mysterium, tàm in Missa, quàm in Vesperis.

SUMMARIUM.

1. *Incensum quot vicibus imponatur in Missa in Thuribulo?*
2. *Incensum quando benedicatur à celebrante?*
3. *Quando non benedicatur?*
4. *Incensatio altaris qua gravitate explenda?*
5. *Incensaturus Altare quando genuflectat?*
6. *Incensandum quomodo sit Altare in Missa, si sit exposita Sanctissima Eucharistia?*
7. *Incensandi in Choro quomodo stare debeant?*
8. *Incensationis totius ordo in Missa solenni.*
9. *Incensationum in Missa numerus, ac in Vesperis.*
10. *Incensationis Altaris Mysteria.*
11. *Incensatio Altaris Dæmones expellit.*
12. *Thuribuli significatio Mystica.*

DE hoc prænotata fuerunt plurima à doctiſſimis Parochis, & Sacrarum Ceremoniarum eruditiſſimis Confeſſariis; quorum ſelectiora (brevitatis cauſa, tanquam notatu digna, pro recta Altaris incenſatione, quam plures, etſi ſeniores ignorant, & errant) ſunt ſequentia.

1 Primum. Quod in Miſſa Solenni quater imponatur incenſum in Thuribulo à Celebrante. 1. In Sacriſtia, vel alio loco undè procedendum eſt ad Altare pro Miſſa inchoanda. 2. In Altare poſt Confeſſionem, & ante Introitum. 3. Antequam Diaconus dicat *Munda cor meum*. 4. Poſt oblationem Calicis, dicto *Veni Sanctificator*. Mich. Bauldry *in Man. Sacr. Cerem. p. 2. cap. 9. art. 2.*

2 Secundum. Thus ſemper benedicitur à Celebrante ſtatim ac immiſſum in thuribulum, & non priùs; ideò errant illi, qui illud benedicunt accipientes cochlear ante immiſſionem. Bauldry *d. cap. 9. art. 1. num. 5.* & ſi Thymiama, vel aliud miſceatur odoriferum cum Incenſo, major quantitas ſemper debet eſſe Incenſi. Gavantus *in Rubr. Miſſ. p. 2. tit. 4. ſub num. 4.* Magrius *in Hierolexic. Verb. Thus.*

3 Tertium. Omittitur benedictio Thuris feria 6. in Paraſceve, & quandocunque expoſitum eſt Sanctiſſimum Sacramentum, & illud tantùm eſt thurificandum: & tunc etiam omittuntur oſcula cochlearis, thuribuli, & manus celebrantis, qui nihilominùs non genuflexus, ſed ſtans immittit illud in thuribulum. Caſtald. *in Praxi Cerem. lib. 2. ſect. 2. cap. 2. num. 4.* Bauldry *dict. art. 1. num. 5. & 9.* Verùm tamen, ſi ultra Sanctiſſimum Sacramentum, incenſandum ſit Altare, ut potè quando canitur Miſſa in Altari, in quo Sanctiſſima Euchariſtia eſt expoſita) tunc Thus quidem benedicitur, ſed ſine oſculis. Bauldry *d. num. 5.*

4 Quartum. In ipſo actu Thurificationis celebrans debet ſe gerere graviter, & devotè. Cerem. Rom. *lib. 2. ſect. 5. cap. 2.* videlicet faciendo thurificationem tractim, modeſtè, quietè, ſine ſtrepitu, ac ſine properatione, cumque ducit, & reducit Thuribulum, caput non moveat, aut perſonam, ſed manum ſiniſtram, qua ſummitatem catenularum tenet. immobilem prope pectus collocet, dexteram verò, ac brachium commodè cum Thuribulo movebit, itaut illud retrahendo, leviter, & competenti mora ſub brachio reducat; & dum procedit in Thurificatione Altaris, pedibus tot omninò paſſus perficiat, quot Thuribuli tractus. Bauldry *d. cap. 9. art. 2. num. 17.* & Caſtald. *d. lib. 2. cap. 2. num. 8.*

Quintum. Celebrans, antequam Crucem incenſet, ſi in Altari ſit Sanctiſſimum Sacramentum, genuflectit cum miniſtris, idemque facit poſt incenſatam Crucem: ſin minùs eidem Cruci reverentiam facit profundè inclinatus; quod obſervat, quotieſcunque tranſit ante
5 Crucem. Porrò Diaconus, & Subdiaconus ſemper genuflectunt ante Crucem. Rubr. Miſſal. *part. 2. tit. 4.* niſi ſint Canonici. Bauldry *d. cap. 9. art. 2. num. 10.*

6 Sextum. Ipſum verò Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum ſemper incenſatur à Celebrante genuflexo ſuper ſecundo gradu Altaris; quod ſi incenſandum poſtea ſit Altare, (ut in Miſſa) ſurgit poſtea & Altare incenſat; at incenſatione completa ipſe deſcendit in planum extra gradus à latere Epiſtolæ, & ibi incenſatur à Diacono. Bauldry *d. cap. 9. art. 3.* ubi *num. 5.* notat, quod finito Evangelio, Celebrans non deſcendat in planum, ſed incenſetur à Diacono, ubi eſt, in cornu Epiſtolæ, licet ſit expoſitum SS. Sacramentum.

Septimum. Cum fit incenſatio generalis in choro, omnes ſtare debent, & nudo capite, 7
amoto etiam pileolo, ſi illo utantur, adeò ut nullus ſedens, aut genuflectens ſit Thurificandus, etiam populus, qui de his admoneri debet. Bauldry *d. cap. 9. art. 5. num. 1. & 2.* Caſtald. *d. lib. 2. cap. 2. num. 18.*

His prænotatis, reſpondentes ad Caſum dixere; Ordinem, ſeu Methodum incenſandi Al- 8
tare juxta Rubricas eſſe, ut priùs incenſetur Sanctiſſimum Sacramentum (ſi ſit expoſitum in Miſſa) triplici ductu; vel (ſi expoſitum non ſit) Crux ipſa, dicto triplici ductu. Deindè Reliquiæ Sanctorum, vel imagines (ſi in Altari adſint) thurificantur duplici ductu, quæ in cornu Evangelii ſunt, priùs, deinde quæ in Cornu Epiſtolæ, antequam Celebrans diſcedat de medio Altaris. Poſtea proſequitur incenſando Altare in parte Epiſtolæ ter verſus pedes Candelabrorum; bis extra cornu Epiſtolæ inferiùs, & ſuperiùs, ter ſuper Altare in parte ſuperiori, & anteriori, Thuribulum velut in ſemicirculum ter ducendo, & uſque ad medium Altaris procedendo. Facta deinde debita reverentia, incenſatur Altare in parte Evangelii eadem methodo, & ordine; & completis iiſdem ductibus, antequam tranſeat ad Cornu Epiſtolæ, incenſat ter frontem Altaris, *vulgò il Parapetto*, à parte Evangelii; mox reverentiam facit Cruci, ſeu Sanctiſſimo Sacramento; & eandem frontem Altaris ter thurificat in parte Epiſtolæ, & tunc reddit Thuribulum Diacono, qui oſculatur manum dexteram celebrantis, & manubrium Thuribuli, & deſcendens à Cornu Epiſtolæ in planum triplici ductu incenſat Celebrantem ſtantem junctis manibus ante pectus, facta profunda inclinatione ante, & poſt, cui celebrans nullatenus ſe inclinat. Secùs autem in Veſperis, quia ad Incenſationem poſt *Magnificat* Celebrans modicum reſpondet Diacono incenſanti. Gavant. *ad Rubr. Breviar. ſect. 10. cap. 3. num. 19.* & ad Rub. Miſſal. *dict. part. 2. tit. 4.* Bauldry *d. cap. 9. art. 2.* Caſtald. *d. lib. 2. ſect. 2. cap. 2. num. 7.* Corſet. *in Praxi Sacr. Rit. par. 1. cap. 10.* & Arnaud. *in Epitom. Theſaur. Sacr. Rit. par. 2. tit. 4.* apud quem *pag. 70.* prout apud Bauldry *pag. 88.* extat Stemma ſculptum incenſationum, ad præſcriptum Rubricæ, & Decretorum Sacræ Congregationis numeris ſignatum, quod intuentes, & memoriæ mandantes errare non poterunt in Sacra Thurificatione.

Ex his collegere; incenſationes Altaris, 9
quando extant in eo Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum, eſſe vigintinovem, Reliquiis verò non extantibus, eſſe vigintiquinque, loquendo de Incenſatione tùm in Introitu Miſſæ, tùm in Veſperis. At in Thurificatione poſt Offertorium, ultra prædictum numerum, ter incenſatur Calix, & Hoſtia ſimul, ducendo Thuribulum ſuper eundem Calicem, & Hoſtiam ter, in modum Crucis, recta linea, & tranſverſa; non autem veluti quatuor puncta deſignando.

Bauldry

Bauldry *dict. cap. 9. art. 2. num. 14.* Arnaud *d. part. 2. tit. 7. num. 20.* Gavant. *ead. part. 2. tit. 7. num. 10.* & Coset. *part. 1. tit. 10. num. 18.* Postea demisso aliquantulum Thuribulo illud ter ducitur circum Calicem, & Hostiam omnino, scilicèt bis à manu dextera ad sinistram, transiens priùs inter Calicem, & Crucem, & denique semel à sinistra ad dexteram proferendo interim illa verba: *Incensum istud, &c.* Quibus peractis, incensatur Crux, Reliquiæ, & Altare, ut ante, dicendo interim: *Dirigatur Domine oratio mea, &c.* Quæ oratio sic est proferenda, ut eodem tempore finiatur, quo absolvitur Altaris incensatio. Bauldry *d. art. 2. num. 14.*

10 Circa verò Mysterium Thurificationis ad ipsa oblata, adverterunt, fieri in modum Crucis, & in modum Coronæ, ut ex passione Christi ad Coronam Trinitatis fiat transitus. Durand. *cap. 31.* Et sexies incensantur oblata, quia ante sex dies Paschæ ivit Jesus Bethaniam, ter ducitur Thuribulum supra in modum Crucis, ut designetur triplex unctio Mariæ; prout in Vesperis significatur Aloes, & Myrrha, quibus Nicodemus unxit corpus Jesu, de Cruce depositum. *Jo. 10.* bis circum Calicem, & semel converso circulo, quia Jesus rediit Hierusalem ad ramos Palmarum, & de Hierusalem rediit Bethaniam. Gavant. *de par. 2. tit. 7. sub. num. 10.* Item bonus odor significat effectus gratiæ, ex Sacrificio provenientes, in quo Christus est Hostia. Et ducitur Thuribulum per modum Crucis, quia fructus Sacrificii hujus incruenti à Crucis Sacrificio, tanquam à fonte promanat; & pariter ducitur ter circumcirca à dextris, & sinistris, ut indicetur, nos hujus Sacrificii virtute adjuvari in prosperis, & adversis. Quartus in Rubr. Missal. *par. 2. tit. 7. num. 10.*

11 Fit autem incensatio tùm in Missis, tùm in Vesperis ob plurima Mysteria; præcipuè verò ad repræsentandam gloriam Dei, qui in nebula apparebat; ad reverentiam loci, ut malus odor concurrentis populi indè pellatur: ad significandum bonum Christi odorem, & orationes, quæ ad Deum diriguntur, & ad expellendos Dæmones, ut ex antiquis Autoribus colligit Gavant. *dict. part. 2. tit. 4. sub num. 4.* Thuribulum autem significat Christum Dominum, igne Spiritus Sancti plenum: tres verò Catenulæ tres Uniones in Christo, scilicet carnis ad animam, & Divinitatis ad animam, & ad Carnem. Ga-
12 vant. *dict. tit. 4. num. 4.* Quartus in Rubr. Missal. *part. 2. titul. 4. sub num. 7.* & ibi Durandus *de Rit. Eccles. lib. 1. cap. 9.* Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 84. sect. 1. in ultim. loco.* Et Illustriss. Casalius *De Veter. Sacr. Christ. Ritib. c. 41.*

DECISIO CXIV.

ARGUMENTUM.

Disputatur, quibus modis auferri, & aboleri possit pessima consuetudo Plebis blasphemandi, pejerandi, & irreverenter nominandi Sanctissimum Nomen Dei, ac Beatæ Mariæ Virginis?

SUMMARIUM.

1. *Consuetudo plebis blasphemandi, & pejerandi quomodo tollenda?*
2. *Prædicatio Parochorum contra blasphemias eas tollit.*
3. *Prædicationis Parochorum utilitas;* & num. 9.
4. *Prædicare debent Parochi indispensabiliter ex officio suo.*
5. *Parochi non prædicantes suis plebibus peccant mortaliter.*
6. *Parochi excusatio de non præjudicando inutilis.*
7. *Prædicatio verbi Dei similata dentibus. Et cur?*
8. *Dæmonum gratiarum actio ad Parochos non prædicantes.*

AD hunc Casum plurimi plurima dixere, & 1
docte quidem, & erudite circa enormitatem blasphemiæ, perjurii, & Verborum irreverentiæ, & ut vulgò dicitur di *Cospettare*: nec non circa pœnas tùm spirituales, tùm temporales in utroque foro contra hujusmodi linguæ lapsus statutas. Cæterum Unus tantùm, tot inter Parochos, & Confessarios, suggessit verum modum auferendi dictam pessimam Plebis consuetudinem juxta mentem, & sensum Eminentissimi Præsulis Nostri: videlicet, *Si Parochi omnes incessanter prædicent contra dictam pessimam consuetudinem.* Hic unicus est modus eliminandi tale flagitium, & experientia docet, blasphemias, perjuria, verba indecentia, ac *Cospetti* non 2
audiri in locis, ubi Parochi jugiter, & ferventi Zelo prædicant contra tales enormitates: è contra easdem vigere, Parochis tacentibus, & in easdem prædicando non insurgentibus. Itaque modus tollendi dictam consuetudinem pessimam verus, efficax, & omninò practicandus est prædicatio Parochorum. Ad hanc ut diligentes magis adhibendam exardescant, pigri autem excitentur, mandavit Eminentia sua notari duo, *Utilitatem*, & *Necessitatem* Prædicationis in Parochis, & animarum Rectoribus, ac Curatis. *Utilitatem*, quia Verbum Dei est gladius poten- 3
tissimus ad destruenda peccata, ideò Apostolus ait: *Vivus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hebr. 4. 12.* & ad ejus Usum alibi Pastores animarum hortatur, dicens, *Assumite gladium spiritus, quod est Verbum Dei, Ephes. 6. 17.* Qua de causa dum Pastor Pastorum Christus Dominus visus fuit ab Evangelista Joanne, *de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. Apoc. 1. 16.* Et est notabilis illa sententia S. Augustini relata in *cap. Interrogo, 93. 1. quæst 1. Æquè servandam esse Prædicationem, ac Sacratissimum Corpus Christi*, respectu scilicet utilitatis in Plebe: imo Glossa ibi subdit, quod *Prædicatio efficacior sit Corpore Christi, quia plures convertit, & plus facit compungi hominem, ita ut omnia peccata per eam tollantur*: & concordat testimonium prælibati Eminentissimi Nostri Præsulis, qui in Visitationibus amplissimæ hujus Patavinæ diœcesis reperit semper populum mundum à prædictis linguæ piaculis, ubi Parochi prædicare non desistunt contra easdem iniquitates. *Necessitatem* verò, quia officium prædicandi inhæret intrinsecè mu- 4
neri Parochiali, Glossa *in Clement. 1. de Regul.* Sperellus *decis. 70. num. 3.* & Jacob Pignatellus *in Consultationib. Canonicis tom. 4. Consultat. 202. num. 5.* & Parochi, inter præcipuas suas obligationes, hanc habent prædicandi populis suæ Parochiæ. *cap. Quod Dei timorem, 5. de Statu Monachor. Clem. Dudum. §. Hujusmodi de Sepultur cap. Inter cætera. De Offic. ordinar.* Concil. Trident. *sess. 5. de ref. cap. 2. sess 23. cap. 1. & sess. 24. cap. 4.* Et quidem sub pœna peccati mortalis, ut notat pax Jordan. *lib. 6 tit. 1 n. 10.* & ante ipsum adverterunt Hostien & Jo Andr. *in d. cap. In-* 5

ter cætera, *num.* 8. manifesta quidem ratione, tum ex rigoroso præcepto Sacrorum Canonum, & Conciliorum; tùm quia prædicatio Verbi Dei est pabulum spirituale, non minùs necessarium animæ, quam sit cibus materialis corpori, *dict. cap. Inter cætera*, & ibi Fagnanus *num.* 2. Et sermo Domini dicitur panis cœlestis, *cap. Jejunium* 2. *in fin.* 76. *dist.* quo subtracto Christianus populus dicitur pati famem, & sitim, *cap. Audacter*, 8. *quæst.* 1. Unde, quemadmodum per subtractionem panis corporalis occiditur corpus, *cap. Immolans.* 14. *quæst.* 5. *cap. Pasce*, 86. *dist.* ita per subtractionem panis spiritualis occiditur anima, *cap. Ephesis* 43. *distinct.* Glossa Unica *in dict. cap. Pasce*, ubi plura similia cumulat. Hinc illa lamentatio Domini de Pastoribus animarum tacentibus, & subtrahentibus panem Verbi Dei, non prædicando; *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis Thren.* 4. & frequentes cohortationes ad eosdem in utroque testamento, ut prædicent, ut vitia reprehendant, ut legem Dei commendent; juxta illud *Isaiæ* 58. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum*, & Apostoli Pauli 2. *Tim.* 4. 2. *Prædica Verbum: insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* En igitur, quanta sit obligatio Rectorum animarum prædicandi, & vitia reprehendendi.

6 Nec dicant; adeò dura esse corda peccatorum hisce temporibus, ut inanis videatur Prædicatio. Nam Verbum Domini, à Parochorum fervidis linguis procedens, Dei adjuvante gratia nunquam infructuosum manet; ip si etenim assimilantur dentibus mystici Ecclesiæ corporis, ut erudite scribit Octavius Scarlatin *in suo Homine Figurato, & Symbolico*, (impresso Bononiæ anno 1683.) *in Verb. Dentes pag.* 151. nam sicut hi per masticationem faciunt, quod cibus alias durus fiat tener, & aptus ad nutritionem; sic Prædicatores incessanter vitia re-
7 prehendentes mollia, & compuncta reddunt corda hominum, quæ mystice vocantur cibus Domini; ideò ipse discipulis materialem cibum præbentibus ait: *Ego habeo cibum manducare, quem vos nescitis. Jo.* 4. 32. habita relatione ad conversionem mulieris Samaritanæ, & aliorum peccatorum. Stat igitur, quod Parochi, & Animarum Curati inexcusabiles erunt apud Deum, nisi prædicaverint populis suis; quia ex officio tenentur prædicare, & indesinenter vitia reprehendere, & ad emendationem hortari.

Et hæc non piguit confirmare duobus exemplis relatis per Pacem Jordan. Episcopum Tragurien. *d. lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 111. desumptis ex Magno Speculo exemplor. *dist.* 4. *exempl.* 56. & *dist.* 5. *exempl.* 23. quibus innuitur, quod Satanas, & omne Satellitium inferorum toti Ecclesiastico cætui gratias de tartareo emitterent, quod cum ipsi in nullo suis voluptatibus deesset, tantum numerum subditarum animarum paterentur ad inferna descendere, prædicationis incuria, quantum nunquam viderunt retroacta secula. Quare subdit ibidem prælaudatus Jordanus Episcopus: *Utinam hæc nostrorum omnium corda, ad salutiferum horrorem commoveant, ut è lethargica somnolentia tandem aliquando excitati, studeamus exequi propensius partes nostras, nosque ipsos, & populos nobis commissos, erutos de potestate tenebrarum, transferamus in Dei lumen, & regnum, cum ipsius adjutorio, &c.*

Horum omnium conclusio est; Modum ve- 9
rum, unicum, & efficacissimum ad abolendam pessimam plebis consuetudinem blasphemandi, pejerandi, & irreverenter Nomen Dei, ac Sanctissimæ Virginis nominandi, esse Prædicationem incessantem Parochorum contra prædicta scelera, Cæterùm uberrima argumenta prædicandi contra eadem non deerunt in responsionibus ad Casum Prudentialem supra in his Decisionibus Miscellaneis *Decis.* 1. *num.* 9. & *Decis.* 17. cum tribus sequentibus; ubi de peccato blasphemiæ, pœnis, ac remediis, verborumque obscœnorum emendatione actum fuit; ultra Sanctos Patres, & modernos Auctores, de iisdem tractantes.

DECISIO CXV.

ARGUMENTUM.

Disputatur, An Rubricæ Missalis rectè dividantur in Præceptivas, & Directivas? Hæ, & illæ, quæ sint? Et quando earum transgressio sit culpa mortalis, aut Venialis?

SUMMARIUM.

1. *Rubricæ Missalis cur sic appellentur?*
2. *Rubricarum Missalis divisio.*
3. *Rubricæ Præceptivæ quanam sint?*
4. *Rubricæ Præceptivæ obligant sub mortali peccato.*
5. *Rubricæ directivæ quanam sint? Et an obligent* 11
sub peccato,
6. *Rubricæ Missalis omnes sunt Præceptivæ. Et quando obligent sub pœna peccati mortalis, vel venialis tantùm?*
7. *Pontificia decreta sunt omnia præceptiva.*
8. *Sacrificii Ritus nullus contemnendus.*
9. *Ritus Sacri omninò servandi ex Decreto Conc. Tridentini.*
10. *S. Congregationis Decreta, & Urbani VIII. de Rubricis servandis.*
11. *S. Congregationis Rituum Decreta habent vim legis.*
12. *Matutini, ac Laudum recitatio Missam præ-* 12
cedere debet.
13. *Missa legenda non festinanter, sed appositè, sub mortali.*
14. *Manus non lavare ante celebrationem Missæ an sit peccatum?*
15. *Sacramenta Sacra suscipere sine orationibus ad ea, an culpabile?*
16. *Castaldi monitio circa observantiam Rubricarum.*
17. *Bauldry de earundem Rubricarum importantia.*

MAjor pars respondentium dederunt in re- 1
sponsis, Rubricas Missalis (sic dictas, quia ut plurimùm rubris characteribus solent formari, siquidem *Rubrica* est terra Rubra, qua fabri lignarii asseres ad eos rectè secandos signant ex Magrio *in Hierolexic. Verb. Rubrica*) optimè dividi in *Præceptivas*, & *Directivas* juxta commune placitum

Do-

2 Doctorum, quorum Antesignanus est Gavantus *in Rubr. Missal. part. 3. tit. 11.* Marchinus *de Sacram. Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 6.* Tamburinus *de Sacram. Missæ lib. 2. cap. 5. §. 1.* & Quattus *in Quæst. fundam. sect. 2. punct. 1.* ubi alios cumulat.

Præceptivæ illæ dicuntur, (secundum Quar-
3 tum ibid. *punct. 2.*) quæ præscribunt Ritus servandos à Sacerdote in ipso actu celebrationis Missæ. Vel (secundum Gavant. *d. part. 3. tit. 11.*) sunt illæ, in quibus dicitur graviter, vel gravissimè peccare transgressores, vel in quibus agitur de integritate Sacrificii, vel Sacramenti: sic enim à Doctoribus communiter gravitas cognoscitur. Aut secundum Tamburinum *d. lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 3.* illæ sunt Præceptivæ, quæ con-
4 tinent, seu notant aliquid, quòd alias ex Jure, vel ex legitima consuetudine graviter jubetur, vel ipsæ Rubricæ expressè sub mortali præcipiunt; & hæ omnes in materia gravi obligant sub mortali, & solùm ratione parvitatis materiæ vel inadvertentiæ earum transgressio est Venialis. *DD. ibid.*

Directivæ verò sunt cæteræ aliæ à prædictis;
5 & præcipuè, quæ disponunt dicenda, vel agenda ante, vel post Missæ celebrationem, & hæ ad nullam culpam obligant; nisi omittantur ex contemptu, vel cum scandalo, aut animo mutandi Ritum. Ita Gavantus, Tamburinus, & Quattus, ac alii per eos relati DD. *ubi supra.*

Nihilominùs studiosiores, & eruditiores Parochi à supradicta vulgari Rubricarum divisio-
6 ne declinantes, constanter eam impugnarunt, affirmantes, omnes, & quascunque Rubricas Missales esse *Præceptivas*, & habere vim obligandi sub peccato mortali ex genere suo; quamvis ratione parvitatis materiæ transgressio possit esse tantùm peccatum Veniale, & hujus assertionis fundamentum est Bulla S. Pii Quinti *Incip. Quo primum tempore*, impressa in principio Missalis, in quâ mandat servari omnes Ritus præscriptos in Rubricas Missalis *districtè, & in Virtute Sanctæ Obedientiæ;* & cum sint de re gravissima, qualis est oblatio tremendi Sacrificii Missæ, dici non potest, dari Rubricas, quæ absque ullâ culpa omitti, & negligi valeant; ut docent Suarez *tom. 3. in 3. part. disput. 83. sect. 2. & disput. 84. sect. 3.* Coninch. *de Sacram. quæst. 83. art. 5.* Filliuccius *tract. 5. cap. 6. num. 140.* & alii apud Quartum *d. sect. 2. punct. 1. Vers. Secunda sententia.*

Hanc ultimam opinionem amplexa est Curia Episcopalis, eamque approbavit tanquam de Jure veriorem, & in facto tutiorem, eamque confirmavit sequentibus rationibus, & autoritatibus.

Primò, si admitteremus, Decreta Pontificum esse directiva, & ex consilio, talis interpretatio facilè destrueret quascunque Pontificias Con-
7 stitutiones; & si directivum est, quod Papa præcepit *districtè, & in Virtute Sanctæ Obedientiæ*, quale erit Præceptivum? ut plenius discurrit Caram. *in Theolog. Fundamentali fund. 13. num. 327.* & Cotonius *Controvers. celebr. lib. 2. contr. 5. cap. 4. num. 82.* ubi, refutata supradicta Rubricarum divisione, docet, eas omnes esse *Præceptivas*, & obligare sub peccato vel mortali, vel veniali secundum gravitatem, aut levitatem materiæ, quod tenet Filliuccius *ubi ante.* Nugnus *in 3. part. quæst. 83. art. 6.* Bordonus *Var. resol. part. 3. resol. 129. num. 36.* & Anton. Molina *Instr. Sacerd. part. 3. cap. 11.*

Secundò, Quia in re tàm gravi, ut est Sacrificium, nec minimum jota est contemnendum. Quintanadvenas *tract. 7. singul. 38. num. 1.* 8
Ceccoperius *de Canonicis lib. 3. num. 79.*

Tertiò. Quia *Trident. Concil. Sess. 7. can. 13.* loquens de Ritibus Sacris omninò servandis, sic ait: *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ Ritus, in solenni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine pec-* 9
cato à Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Prælatum mutari posse, Anathema sit. Ergo in nihilo contemni possunt, vel omitti Rubricæ sine peccato; etiam in materia levi, ut fatetur ipsemet Gavantus *d. part. 3. tit. 11. num. 14.*

Quartò, quia Sacra Rituum Congregatio plu-
ries decernendo præcepit, & præcipiendo de- 10
crevit, Rubricas Missalis in omnibus, & per omnia servari debere, ut testatur Fagnanus *in cap. Cum creatura num. 29. de Celebrat. Missar.* & cantat Decretum in omnibus Missalibus impressum, quod fuit confirmatum ab Urbano Papa VIII. & novissimè iterum ordinavit eadem Sacra Rituum Congregatio *die 3. Augusti 1662.* cujus Decretum legitur apud Pignatellum *tom. 3. consult. 40.* Porrò nemo inficiabitur, ejusdem SS. Congregationis Decreta habere Vim le-
gis, & obligare in utroque foro. Rodericus Q. 11
R. tom. 1. 9. 11. art. 2. Barbosa *de Jure Eccles. lib. 1. cap. 4. num. 83.* Rota coram Buratto *decis. 479. num. 21.* attenta maximè approbatione Sanctissimi Nicolius *in Lucubrat. tom. 2. in Proem. num. 13.* & Peyrinus *de Subdito quæst. 1. cap. 25.*

Quintò, quod omnes Rubricæ Missalis sint
Præceptivæ, neque possint omitti absque culpa 12
(nisi legitima urgente causa) probatur ex eo, quod ab iisdem Rubricis præscribitur, *Ne Sacerdos Missam celebret, nisi recitato saltem Matutino cum Laudibus.* Ita legitur *Rubric. 15. in princ. In Rubricis Generalibus,* & de Præparatione Sacerd. *Rubr. 1. num. 1.* Et de defectibus circa Missam occurrentibus *Rubr. 10. num. 1.* Porrò secundum Autores primæ opinionis hæ Rubricæ dicendæ forent directivæ, quæ non obligarent ad culpam: & nihilominùs communior, & tutior opinio Theologorum, & Canonistarum est tum veterum, tùm recentiorum; quod celebrare Missam ante Matutinum peroratum, (legitimo cessante impedimento) culpa sit saltem Venialis; dixi saltem, quia plurimi ex Sanctis, & Vetustioribus Doctoribus scripserunt, esse culpam mortalem; ut videre est apud Pacem Jordanum, qui eos allegat, & sequitur *lib. 4. tit. 1. à num 66. & seqq.* quibus accesserunt Filliucc. *tract. 23. cap. 7. quæst. 6. num. 236.* Carol. Macignus *de Horis Canonic. cap. 46. num. 37.* Comitol. *Respons. mor. quæst. 50. num. 3.* Trullench. *in Decalog. lib. 1. cap. 7. dub. 19. num. 4.* Vulpes *in Praxi cap. 51. num. 34.* & alii congesti per eundem Vulpem, & per Ceccoperium *de Canonicis lib. 3. num. 29.* ubi protestatur, his DD. semper adhæsisse, quia non licet transgredi Rubricas Missalis absque culpa; quod notat etiam Gavantus *part. 2. tit. 1. in princ. lit. B.* ubi ait, *Ego certè tutiorem, quæ in Rubrica est, sequor libentiùs sententiam.* Utinam hæ autoritates ponderentur ab his, qui manè celebrant, & Vespere recitant Horas Canonicas. De hac obligatione non omittat studiosus Lector

considerare, quæ à me sunt dicta, & deducta in meis Decisionibus. *de Sacrificio Missæ, Decis.* 50.

Sextò confirmatur opinio ista, quod omnes Rubricæ Missalis sint Præceptivæ *ex Rubrica* 16.
13 *inter Rubr. Generales,* ubi ordinatur, quod *Sacerdos maximè curare debeat, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distinctè, & appositè proferat, non admodum festinanter.* Hæc Rubrica si directiva appellanda foret, eam non servans Sacerdos celebrans non peccaret; & tamen communiter Doctores tenent; quod, qui festinanter celebrat, & non clara voce Missam legit, non sit immunis à culpa. Molina *in Instruct. Sacerd. tract.* 3. *cap.* 13. Ceccoperius *d. lib.* 3. *num.* 81. Molfesius *in Sum. tract.* 3. *cap.* 10. *in fine.* Verricelli *in Quæst. mor. tract.* 8. *cap.* 53. & Quartus *in d. Com. ad Rubr. Missal. part.* 1. *tit.* 6. *dub.* 6. ubi ad Tertiam difficultatem dicit hæc Verba, à nimiæ celeritatis studiosis meditanda, videlicèt: *Timendum valdè est, ne magna pars Sacerdotum hujusmodi, qui Missam præcipitant, in infernum præcipitet;* & paulò pòst subdit revelationem de magno numero Sacerdotum quotidiè ad infernum descendentium,

14 Septimò, *Rubrica Prima De Ritib. Servan. num.* 1. quod Sacerdos ante sumptionem Sacramentorum *lavet manus.* Sed hujus omissionem Rubricæ esse culpam saltem Venialem docent DD. apud Dianam *part.* 10. *tract.* 12. *resol.* 19. quæ in Coordinato est *tom.* 2. *tract.* 1. *resol.* 165. ubi eam reddit rationem, quia Rubrica præcipit. Ergo omnes Rubricæ censendæ sunt Præceptivæ.

Octavò, *Eadem Rubrica num.* 2. habet, quod
15 Sacerdos sumens Sacramenta Sacra dicat orationes ad singula præfixas. At harum orationum omissio ex tutiori sententia est culpabilis, Castropal. *de Sacram. tract.* 22. *disput. Unic. punct.* 10. *num* 8. ubi DD. Ergo non directiva tantùm est dicenda, sed etiam Præceptiva.

Nonò, Addenda est Assertio Castaldi in Praxi
16 *Cerem. lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 1. *num.* 5. sic scribentis: *Sacrorum itaque Rituum studiosi diligenter hinc colligant, quanto studio in celebratione tanti Sacrificii interiùs, exteriusque se ipsos, ut decet, Ecclesiasticis ordinationibus, ut Deo placeant, disponere debeant; quæ enim in ipsis Missalis Rubricis continentur, Romani Pontificis sunt Decreta, & Ecclesiasticæ Sanctiones ad digne talia mysteria pertractanda ordinata; quæ si voluntariè prætermittantur, vel permutentur, in majoribus quidem gravis culpæ reatum; in minoribus verò, vel cum non advertendo variantur, levioris offensionis culpam inducunt.*

Decimò. Idem testimonium reddit Mich.
17 Bauldry *in Manuali Sacr. Cerem part.* 3. *cap.* 1. *num.* 2. Quare ex his omnibus concludendum est, Rubricas Missalis quascunque esse Præceptivas, easque, etsi minimas, non esse contemnendas, aut omittendas; quia ubi absque legitima causa id fieret, culpa non evitaretur, & offensa Dei, cui in ejus districto Judicio reddenda erit ratio. Et hæc dicta sint, ut doctissimus noster Clerus sit Sacrarum Rubricarum custos fidelissimus.

DECISIO CXVI.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quibus industriis possit Parochus inserere in cordibus populorum devotionem veram erga Sanctissima Sacramenta, ita ut piè, ac frequenter accedant ad Confessionem, & communionem.

SUMMARIUM.

1. *Devotio in plebe erga Sacramenta, quomodo excitanda?*
2. *Sacramentorum excellentia à Parochis jugiter prædicanda.*
3. *Populi abstinent à Sacramentis, quia à Parochis non invitantur.*
4. *Zelus gloriæ Dei, & salutis animarum necessarius in Parochis.*
5. *Labor à Parochis non timendus.*
6. *Francisci Pavoni Soc. Jesu monitio ad Parochos.*
7. *Pauli Segneri Sos. Jesu Libellus* Il Parocho instruito *laudatus.*

PLures plura scripserunt ad hunc Casum, fugerentes diversas industrias, pro excitanda devotione erga SS. Sacramenta in populis. 1
Porrò, cæteris relictis, brevitatis causa, duæ visæ sunt sufficientes, simulque necessariæ, & à Parochis omninò adhibendæ, ut suos populos reddant devotos, & frequentes faciant in perceptione SS. Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ. *Prima* est jugis, ac fervida exhortatio ex suggestu, vel ex Altari inter Missarum solennia. *Altera* assidua, & constans eorundem Parochorum permanentia in Sede confessionali, præcipuè festivis diebus. Harum industriarum usus reddet populum devotum; earundem neglectus faciet populum indevotum.

Pro *Prima* apertissimum est testimonium Catechismi Romani *de Sacram. in gen. cap. ult.* ubi sic ait: *Hæc autem facilè Pastores assequi poterunt, si quæ de Sacramentorum divinitate, & fructu supra* 2
dicta sunt, auribus fidelium sæpius inculcabunt. Utinam hæc verba aures cordis Pastorum animarum penetrarent? Ubi Parochi sæpè disserunt de dignitate, & præstantia Sacramentorum, suasque plebes hortantur, invitant, & fervido spiritu compellunt ea frequentare; experientia docuit Eminentiss. & Reverendiss. Præsulem in suis Visitationibus, magnam devotionem, & Sacramentorum frequentiam in Parochiis haberi. At ubi Parochi tacent, cessat omnis devotio; siquidem populi ex se non audent accedere, & sicut illi operarii, interrogati, cur non 3
accedant? respondent: *Quia nemo nos conduxit, Matth.* 20. 7. Recogitent coram Deo attentè hanc veritatem animarum Rectores, sciantque illos muneri suo non satisfacere, qui perentibus tantummodò Sacramenta porrigunt; ait enim Apostolorum Princeps 1. *Petr.* 5. 2. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei* (Prædicatione scilicèt, & Sacramentis) *providentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum.*

Pro *Secunda,* quæ in assidua, & constanti sessione in Sede Confessionali consistit opus est Zelo gloriæ Dei, & salutis animarum; nam, ut 4
docet S. Thom. 1. 2. *quæst.* 28. *art.* 4. Zelus iste facit Sacerdotes attentos, & sollicitos ad procurandam Dei gloriam, & animarum salutem, quæ potissimùm à frequentia SS. Sacramentorum pendet. Negari non potest in hac industria tædium, laboremque consistere: at Dominus noster JEsu Christus pro salu e nostra tædio, ac labore est affectus, nam *Fatigatus ex itinere sedebat supra fontem. Jo.* 4. 6. *Et erat pernoctans in oratione Dei. Luc.* 6. 12. Juvat tamen Parochos 5
re-

recordari, ipsum dixisse: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth.* 11.28. Et servis qui talenta lucrati fuerant, præmia æterna concessisse. *Matth.* 25. 21. Quis mercator non residet in plateis, ut negotietur? Quis artifex non permanet in ergasterio, ut lucrum deferat? Quis advocatus non sedet in Musæo clientes expectans? Igitur eò diligentiùs Parochi, ac Rectores animarum debent esse permanentes in Confessionali Sede; sunt enim mercatores cœlestes, qui artem artium agunt; & advocare debent pro animabus sibi creditis, ut salventur. Ipsi, qui Angeli vocantur in Scripturis Sacris, & famulantur Altissimo, zelo, & charitate fervere debent, juxta illud. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem. Psalm.* 103. 4. Dedecent enim suscipientes curam animarum, de eis strictissimam rationem reddituros, accidia, & torpor.

Et hic non pigeat transscribere quæ in hoc 6
argumento scripta sunt à P. Francisco Pavone Soc. Jesu, Viro piissimo, & doctissimo simul. 1. 2. *part. de gl' obligi de Sacerdoti, Meditat.* 7. *del Zelo dell' anime pag.* 255. ubi sic loquitur:

Il terzo puncto sarà, considerare l obbligo, che tiene il Sacerdote d'aver zelo della gloria di Dio, e della salute dell' anime, per ragione d'esser Luogotenente di Dio nelle cause dell' anime, con potestà di liberarle dalla servitù del Diavolo, e del peccato. Che occupazioni non deve tralasciare, per aver tempo d'ascoltar confessioni? Che fatica non deve pigliare, per imparare la Dottrina necessaria per conoscere le cause dell' anime, e per saperle giudicare? Che diligenza non deve usare, per ridurre al Sacramento della Penitenza i peccatori? Che sollecitudine deve essere nel Sacerdote ad apprendere, & ad usare l'arte conveniente, per disporre nella Confessione l'anime allagrazia, & alla riconciliazione con Dio? Quanto grand' obbligo è tutto questo? Mà non par possibile, che à tant' obbligo passa convenientemente soddisfare chi agghiacciato tiene il cuore, e lungi dal fuoco del zelo. Talchè altretant' obbligo hà il Sacerdote d'aver zelo della gloria di Dio, è della salute dell' anime, quant'è l'obligo d'esercitare, come si conviene, la potestà d'assolvere, e di dar la gratia di Dio per via del Sacramento della Penitenza a i peccatori. Come può indursi un' uomo à sedere le ore intiere, & a continuare i giorni, ascoltando i peccati altrui, & à sopportare con pazienza gl'intricamenti delle conscienze, le sozzure abominevoli, le risposte sciocche, & impertinenti, se non hà zelo della salute de peccatori? Potrà la necessità del vitto indurre un povero Sacerdote ad ascoltare con continuazione le confessioni: mà non mai l'indurrà, se non la carità, à fermarsi con perseveranza nell'istruire, nel disporre alla contrizione, nell' interrogare quanto è necessario per la cognizione delle colpe e per l' integrità della confessione, e el provedere de i remedj alle piaghe marcite. Solamente Santo Zelo sà riprendere senza sdegnare, sà correggere con compassione, sà tirare senza rompere, sà addolcire le amarezze del cuore, sà fracassare l' ostinazione. Ora si, che io m'aveggo, qual sia stata la causa, perche io tant' hò abborito il confessare: perche non hò zelato la salute de prossimi miei, e pure mi corre pericola della dannazione, se jo non corrispondo al talento, che Iddio m'hà dato: se io potendo, e dovendo, non soccorro alle necessità dell' anime. Or io, m'aveggo, onde sia nato il tedio nell' ascoltar le confessioni, onde le mie impazienze, onde le mie frette: perche questa sorte di fatica non mai l'hò bevuta condita con la dolcezza della carità.

Quæ si cum veritate dicuntur de Sacerdotibus non Parochis, ob debitum charitatis, quid de Rectoribus animarum adstrictis ex justitia? *Considerent, prædicent, in Sede confessionali lubentes, & patientes sedeant,* ut populos suos ad frequentiam SS. Sacramentorum attrahant; & in die judicii unusquisque eorum audire mereatur à Judice æterno: *Euge serve bone, & fidelis; intra in gaudium Domini tui. Luc.* 19. 17.

His addere oportet, quæ scripta sunt eruditissimo stylo, etsi vulgari per R. P. Paulum Segneri Soc. Jesu in suo aureo Libello: *il Parocho Instruito;* in quò præcipuè *cap.* 20 21. & 22. agit de præcisa obligatione Parochorum excitandi fideles ad frequentiam Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; ait enim inter cætera, esse Sacramenta septem Planetas in Cœlo S. Ecclesiæ benignos, ac beneficos habentes pro centro Solem Divinæ Eucharistiæ. Horum tres non spectant ad domum Parochorum circa administrationem, nempè Crisma, Ordo, & Matrimonium; nam primi duo attinent ad Episcopos, Matrimonium ad ipsos contrahentes. At alia quatuor à Parochis sunt frequenter ministranda, & omni sollicitudine Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ut idem Autor ibi demonstrat. 7

DECISIO CXVII.

ARGUMENTUM.

Differitur, quo mysterio celebretur Missa pro Defunctis etiam die Tertio, Septimo, Trigesimo, & Anniversario? Et quænam sit Missa de Requie dicenda pro Defuncto Sacerdote ex quatuor positis in Missali?

SUMMARIUM.

1. *Defunctis cur die tertio celebretur Missa?*
2. *Cur etiam die Septimo?*
3. *Missa defunctorum die trigesimo ab eorum morte cur celebretur?*
4. *Anniversaria dies mortuorum cur habeat Missam?*
5. *Sacerdote Defuncto quæ Missa pro eo celebranda?*
6. *Ulfo Maritus S. Birgittæ defunctus petit suffragium Missarum.*

Circa primam partem Casus responsum fuit, celebrari Missam pro Defunctis *Tertio die* 1
Ut in Anima integrè reparetur imago Sanctis- 1
simæ Trinitatis. Alcuin. *de Divin. offic. cap. de Exeq. Mort.* 2. Ut absolvatur à peccatis, quæ quis commisit cogitatione, verbo, & opere. Tandem propter triduum Sepulturæ Christi Domini ex S. Clemente *lib.* 6. *Constit. Apost. cap.* 48.

Septima dies significat totius vitæ purgationem; vita enim septem dierum circulo ducitur, repetitis hebdomadibus. Durand. *lib.* 6. 2
cap. 87. Vel quia est Symbolum futuræ quietis. S. Ambr. *Orat. de fide Resurrect.* Vel ut anima suo corpori reconcilietur; illa namque tripliciter peccare solet, cogitatione, verbo, & opere; & corpus quadrupliciter, ob humores quatuor, quibus constat. Alcuin. apud Gavantum infra citan. Et hic mos est antiquus, nam & Joseph Prorex Ægypti luxit septem diebus Patrem suum. *Genes.* 50. undè illud. *Eccles.* 22. *Luctus mortui septem dierum.*

Trigesima dies habet antiquum pariter ritum; nam à morte Aaron, & Moysis populus flevit 3

30. diebus. *Num.* 20. *Deut.* 20. & ab Ecclesia servatur, vel quia Christus baptizatus fuit agens annum 30. undè trigesima die cupit Ecclesia veluti lavari, & mundari animas Purgatorii ab omni reatu; vel quia in hac mensura ætatis plenitudinis Christi omnes resurgemus; ideoque curat Ecclesia, ut animæ Defunctorum 30. die à pœnis resurgant. Amalar. *lib.* 4. *cap.* 42. vel ut quidquid in lege Decalogi Defunctus deliquit in Sanctæ Trinitatis misericordia deleatur nam ter decies constituunt triginta. Hugo *de Miss. observ. lib.* 3. *cap.* 37.

Anniversaria verò *dies* celebratur, ut sicut Sanctis ea dies prodest ad gloriam, ita Defunctis 4 ad salutem. Amalarius *dict. lib.* 3. *cap.* 44. Gavantus *d. Rubr. Miss. part.* 1. *tit.* 5. Quartus *eod. loc. sub Rubr.* 4. Et Hierolexicon Magri *Verb. Missa Defunctorum*, ubi de his diebus eruditiones plurimæ.

5 Circa secundam partem Casus, omnes concorditer scripserunt, pro Defuncto Sacerdote dicendam esse secundam Missam positam ex quatuor de Requie in Missali, mutata oratione quæ propria pro Sacerdote dici debet, videlicèt *Deus, qui inter Apostolicos, &c. vel Præsta quæsumus, &c.* est mens omnium DD. Quartus *dict. part.* 1. *tit.* 5. *sub Rubr.* 4. *dub.* 1. *num.* 12. Gavantus *part.* 4. *tit.* 18. *num.* 8. Bauldry *part.* 4. *cap.* 18. *num.* 21. Castaldus *lib.* 2. *sect.* 6. *cap.* 5. *num.* 5. ubisubdit quod dici possit etiam prima Missa ex prædictis quatuor, maximè si solenniter celebrentur exequiæ. Philippus Angeli *in praxi Missæ privat. part.* 2. *cap.* 16. *num.* 7. 6 & Claudius Arnaud. *tit.* 18. *num.* 2. *pag.* 274.

Lubet hic addere quæ leguntur in Revelationibus S. Birgittæ *tom.* 2. *in Extravag. cap.* 56. videlicèt huic sanctæ apparuisse Ulphonem ejus maritum defunctum, & dixisse: *Nunc igitur, quia datum est mihi auxilium petere, rogo te, ut per annum integrum facias continuè celebrare Missas de Salvatrice vostra Sanctissima* Maria *de Angelis, & de omnibus sanctis, & pro defunctis. In super de Passione Christi Salvatoris nostri, quia spero me liberari citius* à pœnis Purgatorii, in quibus jam dixerat, se detineri. Videantur alia exempla Defunctorum à me relata in Decisionibus *de Sacrificio Missæ Decis.* 14. *num.* 16. *& seq.*

DECISIO CXVIII.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, quibus rationibus persuadendi sint homines Adulti, ut concurrant ad Ecclesiam ad audiendam explicationem Doctrinæ Christianæ, hora, qua fiunt disputationes circa illam?

SUMMARIUM.

1. *Doctrinæ Christianæ discendæ necessitas.*
2. *Parochorum exhortatio attrahit plebem ad Doctrinam Christianam.*
3. *Classis quinta pro Adulteris in Scholis Doctrinæ Christianæ.*
4. *Parochorum diligentia in Doctrinæ Christianæ explicatione.*
5. *Interrogationes ad pueros de Doctrina Christiana juvant Adultos, eas audientes.*
6. *Parochos misit Christus docere, sicut ipse fuit missus à Patre.*

ETsi plurimas rationes scripserint DD. Parochi, & Confessarii ad hunc casum, desumptas ex necessitate sciendi Doctrinam Christianam, quam Laici habent, & ex obligatione illam explicandi, qua sunt obstricti ipsi Parochi, & Curati animarum, ut videre est apud Possevinum *de Offic. Curati cap.* 4. & ibi Victorell. *in Addit.* Nihilominùs placuit Eminentissimo Episcopo nostro, ut hìc tres solummodò annotarentur, quæ si servatæ fuerint in praxi, satis erunt ad suadendos Homines adultos, prout in Argumento. 1

Prima est, quod ipsi Parochi, & Curati jugiter, 2 & efficaciter cohortentur populum, ut accedat ad audiendam ipsius Doctrinæ Christianæ explicationem: siquidem experientia docuit EMINENTIAM SUAM, plebes omnes devotas, & propensas esse ad ea, quæ per Parochos efficaciter commendantur.

Secunda; quod ipsi Parochi, & Curati deputent quintam Classem, pro instruendis Adultis 3 Doctrinam Christianam in Ecclesia, juxta Decreta EMINENTIÆ SUÆ. &

Tertia; quod iidem Parochi sint assidui, & di- 4 ligentes singulis diebus festivis in explicanda Doctrina Christiana, statim post meridiem; & tempore disputationum satagant, interrogare pueros facili methodo super sensu, seu intelligentia Doctrinæ Christianæ; etenim quæsita, & interrogationes movent curiositatem adultorum, quos non pudet, audiendo pueros respondentes, addiscere ea, ad quæ si interrogarentur ipsi, nescirent respondere. Exempli gratia. Super articulo quarto Symboli fidei, ubi agitur de Passione, & Morte Redemptoris, juvat quærere, & petere in disputatione: Qua die Christus Dominus sit passus? Qua hora? Quo in loco? Qua morte? Et harum interrogationum occasione instructos reddere auditores, cur à carnibus abstineamus die Veneris? 5 Cur recitemus Angelicam Salutationem in meridie? Cur adoremus Sacrosanctum Crucis Signum? Et his similia, quæ magnoperè delectant animos, & illuminant intellectus idiotarum, & in causa sunt, ut promptè concurrant ad Ecclesiam, disputationes audiant Doctrinæ Christianæ, & illam addiscant.

De hoc onere Parochis incumbente docendi Adultos Doctrinam Christianam legendus est P. Paulus Segnerius in d. Libello *Il Parocho Instruito*, ubi *cap.* 5. ostendit Parochos in eo non solùm, esse successores Apostolorum, sed ipsius Christi qui cum hoc onere missus fuit ab æterno suo Patre in terram. *Evangelizare pauperibus misit me. Luc.* 4. 18. & nunquam cessabat docere, & prædicare, subdens hanc rationem: *Quia ideò missus sum. Luc.* 4. 43. Ad Apostolos 6 autem, & Discipulos suos ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Joann.* 20. 21. In die autem Ascensionis suæ declaravit eò magis, ad quid eos mitteret dicens: *Euntes docete omnes gentes.* Igitur Parochi electi sunt ad docendum populum. Hinc Apostolus Paulus vocat unico serm. *Rectores* animarum *Doctores.* Ad *Ephes.* 4. *ibi Alios verò Pastores, & Doctores*, ubi S. Th. glossans scripsit: *Ad ostendendum, quod proprium officium Pastorum Ecclesiæ sit, docere ea, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores.* Quis inter Parochos erit, qui recogitans corde hanc strictissimam suam obligationem negligat docere Adultos Doctrinam Christianam?

DE-

DECISIO CXIX.

ARGUMENTUM.

Differitur, quot, & quibus causis non sint permittendæ confabulationes, discursus vani, verba otiosa. aut ridicula in Sacristiis?

SUMMARIUM.

1. *Sacristia est Sacer locus.*
2. *In Sacristia decet silentium sub pœna peccati.*
3. *Religiosus non est, qui non refrænat linguam.*
4. *Multiloquium destruit devotionem.*
5. *Otiosa etiam verba punienda in die Judicii.*
6. *Sapientis est custodire linguam.*
7. *Sacerdotum est laudare Deum.*
8. *Aures duæ, lingua una cur data hominibus?*
9. *Tacens rarò peccat.*
10. *Senecæ dictum de Tardiloquio.*
11. *Silentium est præparatio ad Missam.*
12. *Apostoli monitio ad Stultiloquium vitandum.*
13. *Sacerdotum vita est eruditio aliorum.*
14. *Scurrilitates in ore Sacerdotum damnatæ.*
15. *Linguæ vitia Libri detestantes.*

1 DIxere, Silentium servandum esse in Sacristia. *Primò*, quia est Locus Sacer Barbosa *de Jure Eccl. Univ. lib. 2. cap. 1. num. 16. Secundò* quia, ratione scandali erga Laicos orantes in Ecclesia, & Sacerdotes se præparantes ad Mis-
2 sam, confabulationes, discursus vani &c. sunt peccata mortalia. Niger *in addit. ad Ruiz part. 2, reg. 1. quæst. 4.* Quartus *ad Rubric. Missal. part. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 6. Tertiò* ob hanc rationem, quia, si Missam celebrare nemo potest, qui non sit Religiosus, nemo erit Religiosus, teste Divo
3 Jacobo, *Si non refrænat Linguam suam, Jac. 1. 26. Quartò*, nam pro futuro Sacrificio necessaria est devotio: sed Multiloquium destruit omninò
4 devotionem; ideò orabat David dicens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis Psal. 140. 3. Quintò*, quia inter cætera motiva silendi, terribilis est illa sententia Salvatoris, quam quilibet Ecclesiasticus frequenter considerare deberet; videlicèt, *Dico autem vobis,*
5 *quoniam de omni verbo otioso, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Matth. 12. 36.* Hæc non sunt verba Doctorum, vel Patrum, sed ipsius Redemptoris, & Judicis æterni. Quis non contremiscet? *Sextò:* Nam juxta parabolas Salomonis, *Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem, &*
6 *imprudens non servabunt tempus. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam. Eccl. 20. 7. Septimò*, ut magis ad obligationem Sacerdotum accedamus, quia dedecet Sacerdotes, qui quotidie dicunt
7 ad Deum: *Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Psal. 50. 15.* os suum aperire, ut ridicula, otiosaque verba proferant. *Octavò*, & est pulchra ratio, quia Deus fecit homini aures duas apertas, unicam autem linguam dentibus, & labiis clausam; ut esset *Omnis homo*
8 *velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Jac. 1. 9. Nonò* ex Auctoritate SS. Patrum; nam dicebat Divus Ambrosius, *Complures vidi loquen-*
9 *do in peccatum incidisse: vix quenquam tacendo, lib. 1. Off. cap. 8. Decimò*, quia ex gentilibus ipsemet Seneca ajebat; *Tardiloquum te esse jubeo, & propè erit tibi Deus.* Turrecremata *tract. 39. in Reg. D.*
10 *Bened.* At *Undecimo*, quia nulla major præparatio ad Missam, quàm silentium; juxta illud: 11
Bonum est præstolari cum silentio Salutare Dei. Jer. Thren. 3. 26. & ratio est; quia, ad Missam dignè celebrandam, necessaria est devotio. At silentium est fundamentum devotionis: *Sedebit solitarius, & tacebit, quia levavit se* (idest in fervore devotionis) *super se. Thren. 3. 28. Duodecimò*, quod est valde considerandum, quia offenditur inexplicabiliter gravitas Sacerdotalis; & violatur Præceptum Apostoli dicentis: *Turpitudo, aut Stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem* 12
non pertinet, nec nominetur in vobis; sed magis gratiarum actio. Ephes. 5. 4. Decimò Tertiò ob hanc politicam rationem, nam aliàs ipsi Sacerdotes minimè poterunt hortari populum ad silentium, & devotionem in Ecclesia, dum, *Ministrorum Altaris Vita aliorum debet esse eruditio, & continua præ-* 13
dicatio. S. August. *serm. 109. de Temp. Decimò Quartò*, ex communi animadversione Majorum, quia Sancti Patres semper detestati sunt risus, scurrilitates, & vanos sermones in ore Sacerdotum. Unde S. Hieron. *Epist. 8. Ridere, & rideri Sacerdotibus derelinque; gravitas tuam personam decet.* Et expressius B. Petr. Damian. *lib. 4. Epist. 4. Admonendi sunt, qui Sacris Altaribus ministrare di-* 14
sponunt, ut non modò Cor ab æstuantium passionum igne custodiant; sed etiam Linguam, quæ inter Deum, & nos quodammodo mediatrix est, à supervacui levitate Sermonis compescant. Ac efficacius S. Anselmus *Meditat. 1. cap. 5. Os tuum os Christi est: non debes, non dico ad mendacia, sed nec ad otiosos sermones os aperire, quod ad solas laudes Dei, & ad ædificationem proximi debes patulum habere.* Utinam hæc verba Sacerdotes recogitarent. *Decimoquintò*, tandem, legendos esse perfrequenter à Sacerdotibus libros tractantes de Vitiis Linguæ, de Virtute modestiæ, & silentii, inter quos Hieremiæ Drexelii *Orbis Phaeton*; hoc est, *De Universis Linguæ vitiis.* Item Alfonsi Rodriquez *Exercit. Perfect. part. 2. tract. 2. De Modestia, & silentio.* Nec non Francisci Pavoni *Soc. Jesu Meditation. 1. 2. part. Medit. 6.* Pariter Josephi Mansi *Verum Ecclesiasticum part. 1. lib. 2. cap. 11.* Præcipuè autem Antonii Molinæ *Instruction. Sacerd.* totum quidem Libellum aureum, proficuum, & omninò Sacerdotibus necessarium; noviter recusum *Venetiis Anno 1674.* typis Pauli Balleonii, in quo *tract. 4.* agitur *de Præparatione facienda* pro celebratione Missæ: *& tract. 6. de* attentione, consideratione, & devotione Sacerdotis in hoc Divino Ministerio.

DECISIO CXX.

ARGUMENTUM.

Referuntur Argumenta ad suadendum Mulieribus, ut modestas Vestes deferant, pectus, humeros, & brachia velata habeant, & ab ornamentis vanis abstineant.

SUMMARIUM.

1. *Mulierum vanitas naturalis in vestibus.*
2. *Mulieres suadendæ ad modestiam vestitus argumentis quatuor.*
3. *Mulieres lascivæ in vestitu peccant mortaliter.*
4. *Scandala ex nuditate pectoris, ac brachiorum mulierum.*
5. *Nuditas pectoris mulierum quando sit mortale peccatum?*

6. *Episcopi an possint prohibere mulieribus nuditatem pectoris sub Excommunicationis pœna?*
7. *Innocentii XI. Excommunicatio contra mulieres nudato pectore incedentes.*
8. *Mulierum nudato pectore incedentium pœnæ ex Scriptura Sacra.*
9. *Angeli custodes offenduntur vestitu mulierum.*
10. *Meretricibus tantùm ab antiquis vestes aureæ permissæ.*
11. *Dæmones ludentes super cauda Vestis muliebris.*
12. *Mulieres ob vanos vestitus à Deo punitæ.*

DOctè, ac erudite plurima scripserunt DD. Parochi, ac Confessarii de hoc argumento, quod difficile nimis in praxi nuncuparunt, & jure quidem; adeò enim insita est vanitas vestimentorum, & incessus lascivus, amorque ornamentorum Mulieribus, ut etiam illa vidua Elisæi quamvis pauperrima esset, & omnia consumpsisset, retineret oleum ad ungendum caput, & ornandos capillos: *Non habeo* (inquit) *ancilla tua quidquam in domo mea, nisi parum olei, quo ungar.* 4. *Reg.* 4. 2.

Cæterum pro faciliori, & breviori compilatione ea, quæ scripta fuerunt argumenta, ad quatuor capita reducuntur; quia Alia sunt *Theologica*, Alia *Juridica*, Alia *Scripturalia*, & Alia *Historica* pro dictis mulieribus suadendis, ut modestiam servent in Vestibus, pectora, humeros, & brachia non denudent.

Theologica desumuntur ex traditis per Theologos piæ, ac timoratæ conscientiæ, asserentes, & probantes, peccatum esse mortale, si Mulieres contra modestiam, de qua in casu, prævaricentur. Ita Summa Angelica *Verb. Ornatus num.* 3. Pisanell. *eod. Verb. num.* 3. Rosellanus 13. D. Antoninus *in Sum. part.* 2. *tit.* 4. *cap.* 1. §. 3. P. Albertus de Albertis *de Ornatu Mulier. Disp.* 2. *cap.* 1. per totum. Andr. Duallius *in* 2. 2. D. Thom. *tract. de Charitate quæst.* 15. *art.* 5. Petr. Marchantius *in Tribun. Sacram. tom.* 3. *tract.* 2. *tit.* 2. quos refert, & Palynodiam canens sequitur Diana *part.* 10. *tract.* 12. *& Miscell.* 2. *resol.* 30. Quæ in Coordinato est *tom.* 7. *tract.* 5. *resol.* 11. Lessius *De Card. Virtut. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 11. Dicast. *lib.* 1. *Disput.* 3. *num.* 473. Casalicch. *in Tuta Conscientia cap.* 14. *num.* 1. Ratio potissima est scandalum, & ruina spiritualis proximi proveniens ex nuditate pectoris, humerorum, ac brachiorum mulierum; quia, vix homines justi continere se possunt, ne carnaliter concupiscant, ut testatur lapsus David. ob Bethsabeæ intuitum; ideòque Sanctissimi Patres, & Doctores Ecclesiæ semper contra mulierum immodestos habitus invexerunt; undè S. Ambrosius *libr.* 1. *de Virg.* ait: *Mulier ornata est domus omnium Dæmonum infernalium.* Et de earum salvatione videntur desperare tùm S. Joan. Chrysost. *Homil.* 37. *in Genes.* ubi dicit: *Impossibile est, aliquem agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem, & ornatum*: tùm S. Cyprian. subdens, *Serico, & purpura indutæ Christum induere non possunt.* Et quamvis plures sint Theologi excusantes dictas mulieres à mortali; nullus tamen est, qui illas excuset à veniali: imò omnes concordant, culpam mortalem committi, si in vestimentis pretiosis, & nuditate pectoris, humerorum, ac brachiorum, desit una ex sequentibus conditionibus: 1. Recta intentio, scilicèt, ut non ita incedat ex vana gloria, sed ex justa causa. 2. Ut servetur honestas, quæ non videtur servari posse in ostensione pectoris, ac mamillarum. 3. Ut habitus sit conveniens qualitati personæ. 4. Ut sit ornatus cum parsimonia, & moderatione, non autem cum superfluitate. 5. Ut non insit nimia sollicitudo. 6. Ut ex eo scandalum proximis non proveniat. Hæc omnia latè examinat, & comprobat Summa Angelica *d. Verb. Ornatus*, & ibi Jacobus Ungarellus Patavinus *in Additionibus*; ex quibus Rectores animarum desumere possunt rationes, & autoritates ad comprobandam malitiam mulierum, ut supra in casu incedentium.

Juridica Argumenta sumuntur ex ea quæstione, quam tractant Canonistæ, & Juristæ; an scilicet Episcopus possit prohibere, ne mulieres portent pectus, ac mamillas nudatas, & abstineant à Vestimentis vanis sub pœna excommunicationis? In qua concludunt affirmativè, tùm ratione scandali, quod facit peccatum mortale, tùm ratione contemptus, ut videre est apud Marian. Socin. *in cap. A nobis, à num.* 21. *& seqq. de Sent. excommun.* & ibi Ubert. & Joan. Andr. & apud Sum. Sylvestrinam *part.* 2. *Verb Ornatus num.* 19. Et hodie de hoc non est ampliùs dubitandum, stante Edicto Sanctissimi D.N. Innocentii Papæ Undecimi nuper Romæ publicato, in quo Excommunicationis gladio ferit Mulieres incedentes nudis humeris, pectoribus, ac brachiis; & sic sancivit Sanctitas Sua, post audita Vota Theologorum, & Consultorum, quia talis incessus peccaminosus est, præcipuè ratione scandali, ut diximus supra; & docet Reginaldus *in Praxi For. Pœnit. lib.* 14. *num.* 23. *&* 24. Quæ igitur mulier, aut Doctorellus audebit profiteri talem ornatum à culpa vacare, cum ipsum gravem culpam, excommunicatione latæ sententiæ dignam Vicarius Christi judicaverit?

Scripturalia argumenta desumuntur ex ipsa Scriptura Sacra, quæ frequenter detestatur ornamenta vana mulierum. Nam *Eccles.* 9. 8. ait: *Averte faciem tuam à muliere compta.* Isaias *cap.* 3. 24. minatur sequentia supplicia, *erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium.* Et ad ostendendum scandalum, ac ruinam spiritualem proximi ex talibus ornamentis legitur, *Prov.* 7. 10. *Occurrit illi mulier ornatu meretricio parata ad capiendas animas.* Hinc S. Paulus Apostolus mandavit mulieribus velare caput suum *Propter Angelos* 1. *Cor.* 11. 10. Nempè ob Angelos Custodes hominum; ipsi enim Sancti Tutelares Angeli offenduntur prædictis ornatibus, ac vanitatibus mulierum, à quibus impugnatur finis custodiæ, idest salvationis æternæ, quam sæpè sæpius homines amittunt, illecti, & attracti à mulieribus lascivis in peccata, ut latiùs docet Velasquez *in Epist. ad Philip. cap.* 1. *Vers.* 13. *annot.* 3.

Historica tandem Argumenta habentur apud Scriptores tùm profanos, nam Lacedæmonii & Syracusani non permittebant vanos ornatus, & vestes aureas, nisi Meretricibus, teste Clem. Alex *lib.* 2. *Pædagog. cap.* 10. tùm apud Sacros, qui enarrant terribiles punitiones à Deo inflictas mulieribus, ornatus vanos affectantibus. Quando quidem S. Vincent. Ferrerius refert. Dæmones visos fuisse ludere super cauda Ve-

Vestis cujusdam fœminæ, ut legitur apud Epi-
11 scopum Aresium *Imper.* 186. *num.* 16. Et Marius Mutius *in Vitis SS. Bergom.* narrat, mulierem se ornantem in speculo intuitam quatuor horribiles spiritus eam eludentes. In libro *Scala Cœli*, vidit pius homo rete magnum, impediens animabus ingressum in cœlum, illudque ornatum mulierum esse audivit. Et apud Joan. Bapt. Matthiol. *in Sylva Histor. part.* 2. *lib.* 2.
12 *cap.* 1. *tit.* 2. leguntur exempla plurima Divinæ Vindictæ contra mulieres, hujuscemodi vanis ornatibus propensas; quorum recitatione ac aliorum penes Ecclesiasticos Autores existentium, facillimum erit Parochis, ac animarum Rectoribus, mulieres ipsas retrahere ab immodestis vestimentis.

In Revelationibus S. Birgittæ *lib.* 9. *cap.* 15. refertur judicium animæ mulieris tunc defunctæ coram Deo, ubi legebantur peccata illius, & inter alia ita de se confitebatur Anima illa: *Vana, & superba portamenta ego de novo adinveni personaliter, quædam verò sequebar, secundùm Patriæ consuetudinem.* Cui ex parte Judicis responsum fuit: *Juris diaboli est retribuere tibi pro meritis, quia te ornasti, & composuisti, sicut ipse tibi inspirabat, & dictabat.*

DECISIO CXXI.

ARGUMENTUM.

Demonstrat hæc Decisio, quot rationibus Parochus timere non debeat incommoda? Sed eum oporteat incessanter laborare in ministerio suo, procurando spiritualia bona, ac Salutem animarum sibi creditarum?

SUMMARIUM.

1. *Parochi Etymologia.*
2. *Parochi officium prædicare Verbum Dei.*
3. *Decreta obligantia Parochos ad prædicationem.*
4. *Ars artium Cura Animarum.*
5. *Duces exercituum vigiles.*
6. *Parochi sunt plebis suæ Medici, Advocati, & Judices.*
7. *Vincentii Caraffæ Præpositi Generalis Soc. Jesu dictum.*
8. *Exempla Sanctorum circa salutem animarum.*
9. *Parochorum desidum periculum.*
10. *Ferventium remuneratio.*

PLurimæ, eæque perpulchræ fuerunt adductæ rationes, quarum præcipuè sunt decem.

1 *Prima* ob Etymologiam Vocabuli: nam *Parochus* idem est, ac *Distributor*, quia semper paratus esse debet, distribuere plebi suæ Sacramenta, ac Verbum Dei. *Hierolexicon Magrii Verb. Parochus.*

2 *Secunda* ob Divinum præceptum, quo habentes animarum curam tenentur pascere oves suas Verbi Dei prædicatione. *Joan.* 21. 18. ibi: *Pasce oves meas. Et Act.* 20. 28. ibi: *Attendite vobis, & universo gregi.* Et habetur *in cap. Ephesiis* 43. *dist.* & in Concil. Trident. *de Reform. sess.* 23. *cap.* 1. & notat Fagnan. *in cap. Inter cætera num.* 7. *de Offic. Ordinar.*

3 *Tertia* ob Præceptum Ecclesiæ, quæ pluries decrevit Parochos prædicare debere, *cap. Quod Dei timorem, de Statu Monachor. Clem. Dudum. §. Hujusmodi De Sepultur.* Glossa *in Clem* 1. *Verb. Officia. De Regular.* Concil. Trident. *de Ref. sess.* 5. *cap.* 2. *& d. sess.* 23. *cap.* 1. *& sess.* 24. *cap.* 4.

Quarta ob gravitatem officii, siquidem Cura 4
animarum est Ars artium, *cap. Cum sit*, 14. *De ætate, & qualitat. ordinan.* ad quam Christus Dominus vocavit Piscatores, tanquam magnis laboribus assuetos; ut quilibet Parochus sciat se necessariò esse debere laborantem, & sollicitum. Barbos. *de Offic. Paroch. cap.* 3. *num.* 1.

Quinta ob Similitudinem. Rectores enim 5
animarum sunt Duces earum: At exercituum Duces, dum milites dormiunt, vigilare debent, exploratores audiendo, pericula præcavendo & quæ expedire reperiunt ordinando, ut de Duce Parma Farnesio in bello Gallico narrat Caterin. Davila *lib. XI.*

Sexta ob Ministerium: Nam Parochi plebium 6
suarum sunt Medici, Advocati, ac Judices: ideò ut talia ministeria utiliter gerant, non feriandum, non dormiendum, sed studendum, orandum, ac laborandum est; prout testatus est de se Apostolus dicens (*Actor. dict. cap.* 21. *num.* 31.) *Quoniam per triennium nocte, & die non cessavi, cum lachrymis monens unumquemque vestrùm.*

Septima ob excellentiam animarum, quas 7
acquisivit Deus sanguine suo. Act. 20. 28. Hinc P. Vincentius Caraffa Septimus Præpositus Generalis Societ. JESU dicebat: *Per ben amare i poveri al paragone de ricchi, si devono mirare le loro anime addobbate del prezioso Scarlato del Sangue di Gesum Christo.* P. Daniel. Bartoli *in ejus vita lib.* 2. *cap.* 13.

Octava ob Exemplum tùm Sanctorum Apo- 8
stolorum, *Qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam Sanguine suo, & Calicem Domini biberunt*; tùm aliorum Sanctorum, de quibus scriptum est, *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione*; ac præcipuè Sancti Ignatii Loyolæ, qui *indefessus lucrandis Deo animis instabat; auditus aliquando dicere, si optio daretur, malle, se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire, & proximorum saluti; quam certum ejusdem gloriæ statim mori. Lect.* 6. *Brev. Rom.*

Nona ob imminens periculum damnationis, 9
cum de Pastoribus negligentibus dixerit Dominus: *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum. Ezech.* 34. 10. *cap. Dispensatio* 43. *dist.* omninò legendum.

Decima ob certitudinem cœlestis remunera- 10
tionis, juxta illud: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Matth.* 11. 28.

Ex quibus omnibus constat, laborandum esse à Parochis, neque incommoda timenda, quia in morte, (teste Divo Gregor. *Hom.* 9. *in Evang.*) Dominus *benè operantes pro apportato lucro remunerat; servum verò à bono opere torpentem damnat.*

DECISIO CXXII

ARGUMENTUM.

Disseritur, quibus rationibus retrahendi sint per Confessarios filiifamilias, ac famuli à furtis domesticis, & à dissipatione rerum suæ domus?

SUMMARIUM.

1. *Furta domestica filiorum, ac famulorum sunt peccata.*
2. *Fures à Deo maledicti, & à Regno cœlesti exclusi.*

3. *Furta circa domestica Propositio damnata.*
4. *Furta parva requirunt restitutionem.*
5. *Fures ipso Jure infames, & irregulares.*
6. *Furum pœnæ corporales.*
7. *Furtivas res ementes quando de Jure Veneto perdant pretium?*
8. *Furum punitorum exempla.*
9. *Peculiorum genera quatuor.*
10. *Patresfamilias de filiis, ac famulis Deo reddituri rationem.*
11. *Furis à serpente in pedibus colligati exemplum.*

OBservanda sunt motiva, & rationes, quæ sequuntur: videlicèt.

1 *Prima.* Quòd sæpè Parochi in publicis Sermonibus, & Confessarii in privatis exhortationibus filios familias, ac famulos moneant, eorum domestica furta esse peccata, & quidem mortalia, si in notabili quantitate, vel frequentia fiant. Bonacina *de Restit. disp. 2. quæst. 10. punct. 1. num. 3.* P. Cassianus à S. Elia *in Theol. Mor. Expurg. Verb. Furtum 2. num. 125.* Tamburin. *Decal. lib. 8. tract. 2. cap. 3. num. 4.* Et notat de hoc divinum Oraculum *Prov. 28. 24. Qui subtrahit à Patre suo, vel à Matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidii est.*

2 *Secunda.* Ideò maledicti sunt à Deo *Zach. 6. 3. Omnis fur, sicuti scriptum est, judicabitur, & veniet ad domum furis maledictio.*

Tertia. Et à regno cœlesti exclusi 1. *Cor. 6. 11. Neque fures, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

3 *Quarta.* Declarandam esse Propositionem inter damnatas à Sanctissimo Papa Nostro Innocentio XI. 37. idest ejus tenorem mentibus fidelium inculcandum, ut sciant, esse erroneam, ac scandalosam, & omninò vitandam Doctrinam illam, seu opinionem, quæ asserebat, quod *famuli, & famulæ domesticæ possint occultè heris suis surripere, ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.* P. Cassian. à S. Elia *in The. Mor. Expurg. Verb Compensation. n. 1.*

4 *Quinta.* Quo circa neque sunt absolvendi, nisi faciant restitutionem: quæ etiam pro modicis furtis est semper imponenda juxta opinionem Lessii *de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 12. dub. 8. num. 50.* quam refert etiam P. Cassianus. *d. Verb. Furtum 2. num. 49.*

5 *Sexta.* Quod fures sint ipso Jure infames. *L. 1.* & ibi Glossa *ff. de his, qui notant. infam Cap. In infames, cap. Nos sequentes, 6. quæst. 1.*

Septima. Ac etiam Irregulares, *cap. fin. de Furtis.* Thesaur. *de Pœnis part. 2. Verb. Furtum. cap. 1.*

6 *Octava.* Terrendos esse pœnis corporalibus, quibus Tribunalia plectunt fures, videlicèt fustigatione, ictu funis, exilio, triremibus, & suspendio in furcas. Chartar *Criminal. Decis. 86. num. 11. 12. & 13.*

7 *Nona.* Increpandos illos, qui emunt res furtivas à filiisfamilias, vel famulis, & docendos, quod ex legibus Venetis sint punibiles, & cogendi ad earum restitutionem rerum, amisso pretio. Laur. Prior *in Praxi Crim. Veneta sub tit. de Furto. pag. 175.*

8 *Decima.* Narrandas punitiones à Deo inflictas contra fures, quarum exempla plurima habentur *in Sylva Historiali* Jo. Bapt. Matthioli *tom. 1. lib. 6. tit. 42.* recusa Venetiis 1672. apud Balleonium.

9 *Undecima.* Declarandas quatuor species Peculiorum nempè Castrense, Quasi Castrense, Adventitium, & Profectitium; & docendos filiosfamilias, in duobus ultimis usum esse Patris, ac proindè ex eis quidquam surripere non licere. Az. *part. 2. lib. 2. cap. 22. num. 23.* Tamburin. *in Decal. lib. 1. cap. 3. §. 7. &* P. Cassian. *dict. Verb. Furtum. 2. num. 120.*

Duodecima. Incessanter obsecrandos, monen- 10
dos, arguendosque Parentes, & Heros, ut educent filios, & famulos in timore Domini, invigilent super eorum moribus, retrahant eos à ludis à conversationibus, & sociis malæ vitæ, illosque frequentare faciant Sacramenta, Orationes, & Doctrinam Christianam, & omninò sciant Patres familias, ac Domini, se reddituros esse strictissimam rationem Deo de vita, educatione, ac actionibus filiorum, ac famulorum suorum, ut eruditè probat Scripturis, & Autoritatibns Sanctorum P. Paulus Segneri *Soc. Jesu in Concionib. suis Quadrages. Concione 25.* ab omnibus Parochis, & confessariis omninò, & attentè legenda; tanquam utilissima, & ad hoc argumentum probandum aptissima.

Jucundum satis, sed ponderosum est exemplum, 11
quod narrat S. Gregorius Papa *lib. 1. Dial. cap. 3.* de quodam fure domestico Monasterii Judani, cujus hortum noctu expilabat; quod cum advertisset Monachus horti custos, & vidisset in eo Serpentem, ait illi: *In Nomine JESU præcipio tibi, ut aditum istum custodias, ac furem huc ingredi non permittas.* Nocte sequenti, advenientis furis serpens sic pedes, ac tibias colligavit. ut indè discedere non posset, & mane facto reversus Monachus ad hortum vidit illum sic detentum, gratiasque agens Deo, jussit serpentem, ut illum furem à se leviter correptum dimitteret.

DECISIO CXXIII.

ARGUMENTUM.

Exponuntur, quæ, & quot sint utilitates resultantes, quando Parochus, præcipuè in Villis, scholam aperit, & docet pueros suæ Parochiæ legere ac scribere?

SUMMARIUM.

1. *Docendi Pueri à Parochis, ut sciant saltem legere, & scribere ob utilitates decem.*
2. *Sapientia cur similata Torrenti?*
3. *Monachi antiqui docebant pueros literas.*
4. *S. Ignatius Scholas humaniorum literarum instituit.*

RElatæ fuerunt utilitates sequentes.

Primò, Parochus impense amatur & diligi- 1
tur à toto suo populo. Secundò. Honorantiis saltem ac munusculis sæpè donatur. Tertiò. Pueri illi edocti, scientesque legere, & scribere, utiliores sunt parentibus in gubernio rerum domesticarum, locationum, & computorum. Quartò, ac etiam Ecclesiæ suæ in regimine Confraternitatum Spiritualium. Quintò, ipsimet capiunt, & ediscunt Doctrinam Christianam, dum eam legunt. Sextò. Fiunt aptissimi ad illam aliis tradendam, explicandam, & insinuandam in Parochorum subsidium, ac levamen, undè creantur Magistri in Schola. Septimò, Domi suæ legunt libros spirituales, vitas Sanctorum, & exempla virtutum cum profectu audientium, quos retrahunt à detractionibus, & verbis otiosis. Octavò, In Ecclesia deserviunt mirabiliter, in Choro ad cantandas Vesperas, & Missas, hisque inserviendum, præcipuè in Officiis Defunctorum. Nonò, Parochi utiliter tempus insumunt, & evitant otium, quod adeò pernicioſum est in Villis, potissimum æstivis diebus adeò prolixis. Decimò, Tandem opus dignissimum exercent, laudabile, & meritorium, cum sit opus Misericordiæ Spiritualis; de quo Gerson. *in libr. de Pueris ad Christum trahendis,* & rem gratam Eminent. Præsuli faciunt, à quo toto corde commendatur Parochis suis hoc charitatis exercitium.

Hinc

2 Hinc Salomon similavit sapientiam non aquæ stagnanti, sed torrenti redundanti dicens, *Torrens redundans fons sapientiæ. Prov.* 18. 4. ut scilicèt diffundatur in mentes puerorum, sicut aqua Torrentis in arva vicina; ut ait Menochius in 3 *Hist. Miscell. part.* 5. *f.* 134. Quare mos fuit antiquorum Monachorum recipere pueros ad eos docendos, ut de S. Mauro, & de S. Placido legitur feciſſe S. Benedictum: quem pium, sanctumque morem in usum restituit S. Ignatius 4 Loyola, volens, ut à suis Religiosis doceantur pueri humaniores literas, & unà cum illis timorem Domini.

DECISIO CXXIV.

ARGUMENTUM.

Traditur, quibus rationibus Parochus suadebit populo suo, ut propriam Ecclesiam Parochialem frequentet, in ea audiendo Divina officia, & recipiendo Sanctissima Sacramenta?

SUMMARIUM.

1. *Ecclesia Parochialis olim adeunda à Parochianis de Præcepto.*
2. *Etiam nunc ex mente Concilii Tridentini.*
3. *Cantare Missam, & Vesperam attrahit populum ad Ecclesiam.*
4. *Deiparæ dictum ad S. Birgittam de trahendis populis ad Ecclesiam.*
5. *Prolixitas à Parochis in sermone evitanda.*
6. *Orationes, & Sacrificia in Ecclesia Parochiali magis juvant.*
7. *Parochi ferventes in convocandis populis ad officia Divina.*
8. *Parochi desides similati à Christo molæ immobili.*

ALlatæ fuerunt rationes quinque: pro populis suadendis, prout in augmento.
Prima *Legalis.*
Secunda *Industrialis.*
Tertia *Prudentialis.*
Quarta *Potentialis.*
Quinta *Fundamentalis.*

1 *Legalis Ratio est.* Quia olim adire propriam Ecclesiam Parochialem, & in ea audire Divina officia, ac percipere Sanctissima Sacramenta, erat de Præcepto, *cap. in Dominicis, cap. Nullus Presbyt.* 9. *quæst.* 2. *cap.* 2. *de Parochiis,* & Extravag. 2. *de Tregua, & Pace inter Comm.* Gobat. *in Experim. Theol. tract.* 5. *num.* 164. Et licèt hodie ex generali consuetudine dictum Præceptum sit abrogatum, ita ut qui ad suam Ecclesiam Parochialem non vadit, non peccet, nisi eam deserat ex contemptu, non solùm expresso, sed etiam tacito. Trullench. *in Decal. lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 6. *num.* 4. Reginald. *lib.* 19. *quæst.* 3. *num.* 22. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in Epitom. Canon.* Verbo *Missa in quo loco audienda à populis.* 2 Nihilominùs Sacrum Concilium Tridentinum vehementer optavit, & adhuc optat, ut populi Dominici, & festivis diebus accedant ad suam Ecclesiam Parochialem, ut legitur *Sess.* 22. *in Decreto de Obser. & evitan. in Celebr. Miss. Vers. Mancant. & Sess. de Refor. cap.* 4. ad effectum, ut audiant intra Missarum Solennia proprium Parochum sibi Evangelium explicantem, jejunia indicentem ad æternam salutem consequendam, quæ non absque mortali culpa ignorari possunt. Hac igitur ratione à Lege Conciliari desumpta, quæ vehementer optat, ut quilibet propriam Parochialem frequentet, poterit Parochus populum suum ad dictam frequentiam hortari.

Industrialis Ratio est. Sermones Spirituales ex affectu cordis proferre, ac celebrare diebus festis Missam, & Vesperas Solenni cantu, cum pluribus vocibus puerorum, juvenum, & aliorum ad hunc effectum selectorum; nam, in Villis præcipuè, populi alliciuntur, & lubentes properant ad propriam Ecclesiam, glorianturque in ea, audiri cantus Spirituales, soliti dicere hæc formalia verba: *Se tal volta manco della mia Chiesa, mi pare di non essere stato a Messa.* Parochi itaque industriosi, & in rebus sacris devotionem profitentes, attrahunt mirabiliter populum; quod testata est Deipara ad S. Birgittam 4 *lib.* 3. *Revelat. cap.* 3. *num.* 4. his verbis: *Qui Pastoris vices habet, tenetur habere fasciculum florum sub brachiis suis, quo oves vicina, & remota illecta currant gaudenter post odorem ejus. Iste verò fasciculus florum significat prædicationem divinam.*

Prudentialis Ratio est, ut in prædicando loquatur appositè, juxta captum audientium, cum facilitate, cum exemplis, cavendo à prolixitate, juxta methodum præscriptam à Sacro Concil. Trident. *Sess.* 5. *cap.* 2. his verbis: *Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eas declinare, & virtutes, quas sectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Non semel contigit, ab hac Curia munitum iri Parochos prolixos nimis, & tædio intolerabili afficientes populum in prædicando, ut breviores forent in dicendo, & quod, non quæ passiones inordinatæ, sed quod prudentia suggerit, exponerent.

Potentialis Ratio est, utilissimum fore Parochianis proprias Ecclesias Parochiales frequentare, 6 *tùm vivis,* ob intelligentiam præceptorum Dei, & Ecclesiæ, prosperitatemque laborum suorum, frugum, negotiorum, ex communi oratione, ac benedictione Sacerdotis provenientem, ut ostendit Marchant. *in Resol. Pastor. de Celebrat. Missæ cap.* 7. (quem legere juvabit Doctores Parochos) & ex literis commendatitiis, quas ipsi Parochi sæpè faciunt in favorem eorum, qui suam Ecclesiam frequentant; *tùm defunctis* eorum consanguineis, in eadem Ecclesia tumulatis, quibus magis prosunt Missæ, orationes, & suffragia, quæ fiunt ibi, quàm alibi, ut ex Navar. *de Orat. cap.* 5. *num.* 12. *Notand.* 5. & Zerola *part.* 2. *Verb. Missa* probat Samuellius *de Sepult. tract.* 2. *Controv.* 7.

Fundamentalis tandem *Ratio est,* quod Parochus 7 ipse velit verè, & ex corde, ut Ecclesia sua frequentetur à Parochianis suis: nam data tali vera, & intima voluntate, desiderio, & ardore, exaudietur à Domino, qui *esurientes implet bonis; Luc.* 1. & à quo dictum est; *Beati, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matth.* 5. 6. Testis est experientia, qua in hujus amplissimæ Diœcesis Visitationibus compertum est, Parochos obtinere à suis populis, quicquid eis proponunt devotionis, pietatisque faciendum, si ipsi Parochi nulli labori parcant. At è contra, si Parochi desides, frigidi, & parùm solliciti fuerint in spirituali cultura suorum populorum, Ecclesias suas desertas videbunt; nam hujusmodi animarum Rectores *sunt similes rotæ*

8 *molendini, quæ immobilis est, quæ cum stat fixa, se non movens, tunc grana in molendino non conteruntur;* ut locutus est Christus Dominus Sanctæ Birgittæ *lib. 4. cap. 97. Revelation.*

DECISIO CXXV.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, quot, & quibus rationibus debeat quilibet Confessarius singulis diebus determinatè legere tùm Spiritualem aliquem librum, tùm alterum librum de casibus conscientiæ pertractantem?

SUMMARIUM.

1. *Lectionis spiritualis, & studii Utilitas, & Necessitas.*
2. *Confessarius quomodo evadat prudens & devotus?*
3. *Pœnitens instruendi in devotione.*
4. *Docere alios juvat docentem.*
5. *Ignorantia Confessarii potest reddere absolutionem invalidam.*
6. *Episcopi approbantes Confessarios ignorantes peccant mortaliter.*

1 PLures plura dixere: sed à pluribus dicta rediguntur ad duas fortissimas rationes, videlicèt quoad lectionem Spiritualis libri *ob Utilitatem*; quò verò ad lectionem libri Theologiæ Moralis, seu casuum conscientiæ *ob Necessitatem.*

Quoad Primum. Utilitas est duplex. *Una* ipsius confessarii, *Altera* Pœnitentium

2 *Utilitas Confessarii* resultat ex lectione quotidiana libri alicujus Spiritualis, quia cum ipse esse debeat doctus, prudens, & devotus. Tolet. *lib. 3. cap. 15.* Reginald. *tom. 1. toto lib. 2.* talis fit assiduè legendo libros sacros, pios ac Spirituales, ut probat. P. Ludovic. Granata *in Proem. Memorialis Vitæ Christi. pag. 5. & part. 1. tract. 4. Vers. La Nona cosa,* & in Addit. *ad idem Memor. tract. 1. in proem.* Nam, ut ait D. Ambros. *lib. 1. Offic. cap. 20. Christum alloquimur, cum oramus: illum audimus, cum divina legimus oracula.* Undè Apostolus scribit Timotheo. *Attende lectioni, 1. Tim. 4.* Et Dominus in Evangelio: *Scrutamini Scripturas. Joan. 5.* Ideò Confessarii lectionibus spiritualibus quotidiè vacantibus mirificè eruditur in virtutibus, in cognitione cœlestium & amore æternitatis.

3 *Utilitas Pœnitentium;* quia tot, & tanti sunt, de quibus dici potest, *Nescierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. Psalm. 81. 5.* scilicèt quoad amorem Dei, & virtutum Evangelicarum cognitionem, & exercitium; undè eos oportet instrui, atque eruditi à Confessariis. Reginald. *d. tom. 1. lib. 2. cap. 12.* Quod perficere non possunt, nisi ipsi studeant, legant, & se ipsos instruant, & quod didicerint legendo, suaviter insinuent, & communicent Pœnitentibus, ad instar nutricis, quæ cibum sumit in se, & conversum in dulce lac tribuit infantibus, juxta illud Divi Petri Apostoli *1. Petr. 2. 2. Sicut modò geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite.* Quapropter ab Apostolo post lectionem injungitur exhortatio, & doctrina, *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. 1. Tim. 4.* Quia perfectus Confessarius non est contentus audire pœnitentem, absolvere, & dimittere (ut non pauci, neque laudandi, neque imitandi faciunt) sed erudire, instruere, & ad virtutes conatur excitare, juxta illud: *Labia justi erudiunt plurimos. Prov. 10. 21. Et in corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quoque erudiet. Prov. 14. 33.* Et ex hoc charitatis, & eruditionis officio magnum bonum proficiscitur. *Hoc enim faciens, & seipsum salvum faciet, & eos, qui audiunt eum. 1. Tim. 4.* & maximum præmium, testante Spiritu Sancto, quòd *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates. Dan. 12. 3.* 4

Quoad Secundum. Necessitas quotidiè legendi librum de Conscientiæ casibus pertractantem resultat pariter ex duplici motivo; *Uno* pœnitentium, *Altero* ejusdem Confessarii. *Motivum pœnitentium* est nullitas, & invaliditas Confessionis factæ Confessario ignoranti, ac nescienti vel absolvere, vel debitam satisfactionem injungere, ita ut illa sit reiteranda. Riccard. *in 4. dist. 17. art. 2 quæst. 8.* Adrian. Gabr. & Vasquez quos citat, & sequitur Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 4. Sent. tom. 2. de Sacr. Pœnit. disput. 20. num. 28. & seq.* *Motivum Confessarii* supradictæ Necessitatis est, quia nisi doctus fuerit, non potest licitè Sacramentum Pœnitentiæ ministrare, & ministrando peccat mortaliter; nam juxta Sacrum Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 5.* plura tenetur scire; quæ referuntur ab Illustriss. Maraviglia Episcop. Novar. *in libro Ammaestram. del Clero Am. 7. 8. 12. 13. & 14.* & ab Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. tom. 2. disput. 20. num. 53.* his Verbis: 5

Collige autem ex his, Sacerdotem ignarum & nescientem distinguere mortale à veniali, nec mortale à mortali, neque circumstantias peccatorum mutantium species, graviter peccare, quoties hoc ministerium exercet (excepto casu extremæ necessitatis) toties enim exponit se periculo sacrilegii, ut scilicet solvat, quos non potest, & liget præter formam debitam; ideòque non censeri idoneum pro hoc ministerio, ut Benedictus XI. Extrav. Inter cunctas, de Privileg. *clarè docet, explicans illud* Oseæ 4. Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi, quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt de ore ejus; *alias (subdit Pontifex) prout ad eum pertinet, inter peccatum, & peccatum non potest discernere. Undè infero, gravissimè etiam peccare Episcopos, & alios Prælatos, qui tales Sacerdotes suis ovibus præficiunt.* 6

Quam purpurati, & eruditissimi Doctoris sententiam ab omnibus perpendi cupit Curia Patavina, & ab illis præcipuè, qui in eam, Capellanos imperitos ab hoc ministerio repellentem, blaterant. Legantur meæ Decisiones de Sacramento Pœnitentiæ, & præcipuè *Decis. 31. num. 16. & Decis. 37. num. 18.*

DECISIO CXXVI.

ARGUMENTUM.

Demonstratur, quibus industriis, seu rationibus evelli possit à populo Vitium detractionis?

SUMMARIUM.

1. *Detractio quid, & quotuplex sit?*
2. *Detractione totum penè genus humanum perielitatur.*
3. *Detractio semper tres personas offendit.*
4. *Detractores tenentur famam restituere.*
5. *Detrahere alteri signum est damnationis.*

6. De-

6. *Detractorum punitiones.*
7. *Lingua cautè custodienda.*
8. *Detractores corriguntur Oratione publica pro eis facta.*
9. *Detractionis Vitium libri impugnantes.*

EX multiplici numero responsionum, selectæ fuerunt.

1 Prima Frequenter explicare tanti vitii naturam, qualitatem, ac modos, quibus in illud homines impingunt, videlicèt, quod *Detractio sit ablatio famæ*, quæ committitur, vel dicendo malum de Proximo, & hoc quatuor modis, juxta illud *Imponens, Augens, Manifestans, in Mala vertens*; aut tacendo bonum, quatuor pariter modis, hoc carmine contentis: *Qui negat, aut minuit, tacuit, laudatuè remissè.* Toletan. *lib. 5. cap. 6.*

2 Secunda: Notam facere gravitatem ejusdem Vitii, quod est mortale ex genere suo contra justitiam, pejus quàm furtum, nam fama præstantior est pecuniis; & ideò Glossa super illud. *Prov. 24. Cum detractoribus nè commiscearis* dicit, *Hoc specialiter vitio penè totum genus humanum periclitatur.* Tolet. *d. lib 5. cap. 64.*

3 Tertia. Docere, hoc crimine semper offendi tres personas eodem tempore: illam, cui detrahitur in honore, & detrahentem, ac ei aures præbentem in anima; undè S. Bernard. *lib. 2. de consid. in fine* ait: *Detrahere, aut detrahentem audire, utrùm horum detestabilius sit, non facilè dixerim.*

4 Quarta. Inculcare incessanter, tùm in publicis concionibus, tùm in Sacramentalibus Confessionibus, obligationem restituendi famam; in qua, quia multi deficiunt, pauci salvantur; idcircò Israelitæ, qui murmuraverunt in deserto *Num. 11.* non sunt ingressi terram promissionis in signum, quod in Terram viventium, id est in Cœlum non recipiuntur Murmuratores: nam *Detractores Deo odibiles. Rom. 1. 39. Et neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6. 10.*

5 Quinta. Et hujus comminationis fortissimum adduci potest argumentum, quod fit à P. Paulo Segneri Soc. Jesu in præclaro suo opusculo Italico *Il Confessore instruito cap. 10. in fin.* his Verbis: *A questi rappresentate, che uno de più chiari segni di essere prescito è mancare di carità; giacchè si come Santo Agostino raccolse da S. Giovanni,* Sola dilectio discernit inter filios Dei, & inter filios diaboli. *Mà come in essi può essere Carità, se la Carità vicuopre gl' altrui peccati ed essi gli scroprono?* Charitas operit multitudinem peccatorum.

6 Sexta. Narrandas esse punitiones tùm missas è Cœlo à Deo contra Murmuratores, videlicèt Ignem, lepram, aperitionem Terræ, ut habetur *Num. cap. 11. cap. 12. cap. 16.* tùm aliàs permultas relatas in *Sylva Histor.* Jo. Bapt. Matth. *part. 1. lib. 6. tit. 52. & 53.* & in Admir. Orbis Christ, *tom. 1. lib. 2. pag. 99. num. 8. & 9.*

7 Septimò. Commendandam potissimùm virtutem silentii, & linguæ custodiam, juxta præceptum Apostoli Jac. 3. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum:* & exemplum Regii Prophetæ *Psalm. 140. 3.* orantis *Pone Domine custodiam ori meo:* de qua silentii virtute, & linguæ custodia mirificè scripsit P. Rodriquez *in Exercit. Perfect. p. 2. tract. 2.*

8 Octava. Recitare facere singulis diebus festivis à populo post Missam Parochialem *Unum Pater, & Ave* pro conversione, & emendatione *malarum linguarum*; remanet enim in plebe impressa gravitas hujus facinoris, & sollicitior est in tacendo.

Nona plurima alia argumenta, eaque pul- 9
cherrima in hanc rem desumenda esse ab Autoribus de hoc vitio tractantibus, quos legere pigere non debet Parochos, & præcipuè Marchantium *in Horto Pastorum lib. 3 pag. 383.* Caramuelem *in Theolog. fundam. lib. 2. fund. 55. num. 1579.* Plateam Universalem Garzonii *disc. 89.* Polyantheam *Verb. Detractio.* P. Drexelium *de Vitiis Linguæ.* P. Didacum Stellam *de Vanitat. Mund. part. 3. cap. 32. ac* passim alios.

DECISIO CXXVII.

ARGUMENTUM.

Explicatur, quot, & quibus rationibus debeant Parochi personaliter exercere curam animarum, & administrare SS. Sacramenta per se ipsos, non autem per capellanum?

SUMMARIUM.

1. *Parochi per se, & non per alios curam animarum gerunt ex Conc. Trident.* & num. 3.
2. *Canones id ipsum præcipientes.*
4. *Industria personæ ubi est electa, opus agitur personaliter.*
5. *Beneficium datur propter officium.*
6. *Residentia non debet esse tantùm materialis.*
7. *Parochum non esse, & non operari idem est.*
8. *Pastores, Duces, & Medici personaliter officium suum faciunt.*
9. *Meritum ibi majus, ubi major labor.*
10. *Doctorum opinio, quod Parochus per se curam exerceat.*

RElatæ fuerunt rationes decem.

Prima. Quia Jure Divino sunt obligati; ut 1
expressè testatur Sacrum Tridentinum Concilium *Sess. 23. de ref. cap. 1.* his verbis: *Cum Præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c.*

Secunda. Quia Sacri Canones sic disponunt, 2
ut legitur in *cap: Extirpandæ 30. §. Qui verò De Præbenda* ubi ita: *Qui verò parochialem habet Ecclesiam, non per Vicarium, sed per seipsum illi deserviat.* Idem statutum est in *cap. Quia nonnulli 3.* ibi: *talis ad hoc persona quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per seipsam valeat exercere:* & in *cap Relatum 4.* ibi: *& curam ejus per se valeat exercere. De Clericis non resident.*

Tertia. Quia sic jubet idem Sacrum Trident. 3
Concil. *Sess. 7. de ref. cap. 3.* ibi: *Inferiora beneficia Ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis, & habilibus, & quæ in loco residere, ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant, &c conferantur.*

Quarta. Quia de Jure civili quando electa 4
est industria personæ, opus est personaliter exequendum. *l. Inter artifices 21. ff. de Solutionibus.* Sed in Ecclesiis Parochialibus electa censetur industria personæ ipsius Parochi. Possevin. *de Offic. Curat. cap. 1. num. 8.*

Quinta. Quia sic obligatur Parochus ex ju- 5
stitia commutativa; nam ei dantur fructus Parochiæ, ut ipse præstet personales operas suas Parochianis, juxta illud: *Beneficium datur propter*

Offi-

Officium c. Cum secundum Apostolum. de Præben. & c. fin. de Rescript. in 6.

6 Sexta. Quia ad implendum debitum Residentiæ non sufficit materialiter residere in Parochia, sed opus est, munia Parochialia personaliter administrare. Barbosa *de Offic. & pot. Parochi cap. 8. num. 40. ubi DD.*

7 Septima. Ratione Naturali, nam idem est Parochum non habere, ac non operantem habere, *cap. Inter corporalia. de Transl. Episc.*

8 Octava. Respectu necessitatum populi, quibus melius providet Parochus, quam Capellanus, & ideò Parochus vocatur Pastor, Dux, Medicus, quia hi omnes personaliter operari tenentur, *cap. Quamvis, de Reg. Jur. l. Qui mercedem, ff. Locat.* Navar. *in cap. Placuit, de Pœnit. dist. 6. a num. 151.*

9 Nona. Respectu Utilitatis ipsius Parochi: quia quantò difficiliora operatur cum charitate, tantò magis meretur. S. Thom. 2. 2. *quæst. 27. art. 8. ad 3.*

Decima. Respectu communis opinionis Doctorum, quos cumulat Joan. Sancius *disput. 47.* 10 quam legisse Parochos omnes juvabit, ut sciant, per se ipsos, non autem per substitutos Curam animarum exercendam esse, ac Sanctissima Sacramenta administranda.

DECISIO CXXVIII.

ARGUMENTUM.

Referuntur rationes omnes, quibus demonstratur obligatio genitorum, ne permittant pueros & puellas quinquennio completo dormire simul.

SUMMARIUM.

1. *Pueri & Puellæ, quinquennio completo, ne dormiant simul.*
2. *Impuberes carnalia peccata committere possunt.*
3. *Puer octo annorum lapsus in carnem cum sorore.*
4. *Genitores non sinant filios utriusque sexus simul dormire.*

1 DE hoc dictum fuit, quod omnium rationum Ratio summa sit periculum impudicitiæ, & lapsus in peccata carnis eorundem puerorum, & puellarum; siquidem, ut testatur Scriptura Sacra; *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Genes. 8. 21.* Et licèt adhuc sint in tenera ætate, & inhonestatis non capaces; tamen vel ex diaboli suggestione, vel ex fomite naturæ, vel ex verbis aut actionibus majorum ediscere possunt opera carnis, & vel tactibus, vel aliis indignis conatibus Deum offendere; cum in aliquibus adeò præcox sit libido, & præceps lascivia, ut *nulla ætatula Veneris luctæ immatura videatur*, ad tradita per Balthasarem Bonifacium *in sua ludicra Histor. lib. 2. cap. 18. & 19.* ubi plura exempla puerorum luxuriosorum.

Quòcirca optime Marchantius *in Horto Pastor. lib. 3. tract. 4. Lect. 10. propos. prima pag. mihi* 361. ita scribit: *Quapropter serio monendi sunt parentes,* 2 *ut diligenter caveant, ne personas consanguineas, in eorum domo cohabitantes, in eodem cubiculo, aut lecto, etiam impuberes dormire sinant: quia, licèt impotentes sint ad carnalis commixtionis consummationem, tamen instinctu Diaboli, sæpè libidinosi actus inter eos exercentur, quos spiritus luxuriæ suggerendo etiam inficit parvulos. Nec dubium est, quin in ætate septem, octo, vel novem annorum, peccati mortalis reatus incurri possit, cujus ob pudorem frequenter nulla fit in Confessione mentio; & ideò vulneratam conscientiam plerique in multam ætatem protrahunt, cum æternæ salutis dispendio.*

Et paulò post subdit revelationem quandam à Deipara factam his verbis: *Hodie etiam puer* 3 *submergetur, & damnabitur in Hispania, qui annorum octo existens, cum sorore sua fornicatus est, qui etsi opus non compleverit, tamen inchoavit.*

Ex quibus Parochi, & Confessarii magnopere monitos facient Patres, & Matres, ne simul accubare sinant filios, & filias, etsi impuberes; quia 4 luxuria ignis est; *Omnis autem caro fœnum Isa. 4. 6. & à scintilla una augetur ignis. Eccles. 11. 34.*

DECISIO CXXIX.

ARGUMENTUM.

Proponitur, quot, & quibus rationibus debeat Parochus personaliter assistere agonizantibus, & moribundis suæ Parochiæ?

SUMMARIUM.

1. *Diabolus an visibilis appareat omnibus morientibus?*
2. *Satanas timet præsentiam Sacerdotis.*
3. *Monialis Capuccinæ agonizantis terror ob visum diabolum.*
4. *Tentationes diaboli in articulo mortis.*
5. *Rituale Romanum præcipit Parochis, ut assistant morientibus.*
6. *Deipara, ac Angeli assistentes morituris.*
7. *Pastor animarum de eis rationem redditurus Deo.*
8. *Amor Parochianorum erga Parochos assistentes agonizantibus.*

PRima, ac principalis recensita *Ratio* fuit, ob nimium terrorem, & gravissimam animæ agi- 1 tationem, in qua agonizantes reperiuntur teterrima Diaboli apparitione. Siquidem à pluribus Parochis relata fuit quæstio illa, *Utrùm cuilibet morienti semper Dæmones appareant?* quam examinat F. Bart. Sybilla *in Speculo Peregrinar. Quæst. Decad. 3. cap. 10. quæst. 6.* & Joan. Bapt. Corrad. *in Respons. Cas. Conscient. p. 2. quæst. 194.* apud quos leguntur rationes, & argumenta pro utraque opinione, quas etiam ego retuli in meo Libello, *La Prima età del Mondo cap. 4.* Et licèt satis probabile sit, non omnibus morientibus Dæmonem in forma visibili apparere, cum plurimi, potissimùm timorati viri, ac irreprehensibilis vitæ, absque terrore ullo, seu indiciis visionis Dæmonum expirent, loquentes, ac adstantibus pacem, & quietem interiorem suam attestantes; nihilominùs infinita propemodùm sunt exempla apud Sanctos, ac fide dignos Autores, quibus comprobantur frequentissimæ, eæque horribiles Dæmonum apparitiones in extremo vitæ constitutis, quæ passim leguntur apud Surium, & Severum Sulpicium in Vita S. Martini, qui ait (ut etiam habet Breviarium Romanum) *quid adstas cruenta bestia?* in Vita S. Bernardi in Annalibus Cardinalis Baronii *Anno 1048. num. 3. 11. 12. Anno 1058. num. 6.* In *Select. Pœnit. Mort.* Pauli Aringhi *lib. 2. cap. 14.* & in alio ejusdem opere *Mortes Peccatorum pessimæ lib. 6. cap. 6.* & in Sylva historiali Joan. Bapt. Matthæoli *tom. 2. lib. 12. cap. 1. tit. 9.* adeò ut negari non possit, quod tanti Patres testantur. & credendum sit, quod *Diabolus morituris soleat terrifica apparere specie*, ut scribit etiam Mart. Delrius *Disquisit. Magic. lib. 2. quæst. 28. sect. 3.*

Qua-

Quapropter ad adjuvandos agonizantes, tanto in terrore constitutos, debet Parochus adstare, 2 eosque orationibus, ac monitis consolari: nam præsentiam Sacerdotis Satanas timet; ut sex ab hinc circiter annis egò ipse expertus sum, dum Monialis Capuccinæ, ætatis suæ ann. 20. agonizantis animam Deo commendarem; etenim vix cubiculo exiveram, quando ipsa magno emisso ejulatu clamare cœpit; *auxiliare Pater, auxiliare?* & intrò statim reverso, scisitantique mihi, quid esset? aut quid timeret? ipsa sudans, 3 & algens ait; *Dæmonem horribilem, nigerrimam faciem habentem aspexi hujus ad pedes lecti, qui (vestra Reverentia ingrediente) statim aufugit.* Eam enixè rogantem, ne amplius discederem, consolatus fui, ac recitatione Litaniarum, aliisque piis precibus, & Aquæ benedictæ aspersione munivi, actibusque fidei, spei, & charitatis in Deum usque ad ejus transitum, quem eadem die in Domino complevit, nullis amplius perterrita visionibus.

4 *Secunda ratio* est, propter quam Parochus agonizantibus adstare debet, quia, etsi Dæmones visibiliter iisdem non appareant, attamen interiùs terribiles tentationes suggerere non desunt in illo extremo vitæ, ut animas perdant; scriptum est enim *Gen.* 3. *Tu insidiaberis calcaneo ejus*, idest fini vitæ hominis: & *Ps.* 55. *Ipsi calcaneum meum observabunt*, quod interpretamur de fine hominis. Undè S. Gregor. 1. *Moral. cap.* 7. dicit; *Hostis noster tunc duriores in fine laqueos tendit, & tantò solicitiùs tunc insidiatur, quantum sibi solum remansisse ad decipiendum finem considerat.*

Tertia Ratio est Præceptum hujus assistentiæ, 5 quod legitur in Rituali Romano *sub Rubric. De Visitatione, & Cura infirmorum*: ibi: *Parochus inprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes, ægrotantium curam habere*, & ibi: *Omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via salutis eos dirigat; atque à diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat, ac tueatur.* Et de modo juvandi Morientes: *Ingravescente morbo, Parochus infirmum frequentiùs visitabit, & ad salutem diligenter juvare non desinet, monebitque, instante periculo se confestim vocari, ut in tempore præstò sit morienti.*

Quarta Ratio; quia tale Ministerium non de- 6 dignatur Deipara exercere, ac ipsi Angeli Sancti, ut legitur apud Paul. Aring. *in Select. Pœnit. Mort. d. lib.* 2. *cap.* 14. & in Vita S. Philippi Nerii Petr. Jacob. Bacius *lib.* 2. *cap.* 8.

Quinta Ratio: quia ita expostit officium veri Pastoris, à quo reddenda est Deo strictissima ra- 7 tio ovium suarum; quæ si perierint ob negligentiam, inevitabilis erit ultio Divina; juxta illud *Ezech.* 34. 8. *Vivo ego dicit Dominus Deus, quia pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eò quod non esset Pastor &c. ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum.*

Sexta tandem Ratio: quia resultat ex hac paterna, & assidua adsistentia agonizantibus magnus amor 8 populorum erga ipsos Parochos, qui propterea enixè diliguntur, venerantur & in existimatione multa habentur; ac amplam autoritatem acquirunt, tùm in corrigendis pravis moribus suæ parœciæ, tùm in exigendis quibuscunque bonis operibus, & actibus devotionis ab eodem populo; ut experientia quotidiana demonstrat. Legatur mea *Decis.* 74. *de Extr. Unct.*

DECISIO CXXX.

ARGUMENTUM.

Ostenditur, quibus rationibus persuadendus sit populus ad servanda jejunia sacra, tùm Quadragesimæ, tùm Vigiliarum de Præcepto?

SUMMARIUM.

1. *Jejunia quibus motivis populo commendanda?*
2. *Apostoli instituerunt jejunium Quadragesimale.*
3. *Jejunium omni Feria* 4. & 6. *olim de præcepto.*
4. *Jejunii rigor quoad cibos, & quoad horam apud antiquos.*
5. *Jejunium opus satisfactorium.*
6. *Jejunium dat vitam longam.*
7. *Ulphonis mariti S. Birgittæ jejunia proficua.*
8. *Quadragesimalis jejunii mysterium.*

Dictum fuit, si Parochi frequenter prædicabunt eidem populo Necessitatem, Utili- 1 tatem, ac Excellentiam jejunii, ex sequentibus potissimùm considerationibus.

Primò. Quia jejunia, etsi quoad tempus sint de Jure positivo, tamen quoad se sunt de præcepto Juris naturalis. S. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 3.

Secundò. Quia jejunia valent ad placandam iram Divinam, & obtinendam Misericordiam, ut de Ninivitis, Daniele, & tribus pueris Babyloniæ ostendit Eminentiss. Card. Valerius *in sua Rhetorica Eccl. lib.* 2. *cap.* 5.

Tertiò. Quia Redemptor noster jejunavit 40. continuis diebus. *Matth.* 4. & SS. Apostoli jejunium Quadragesimale instituerunt; Emi- 2 nentiss. Card. Baron. *Anno* 57. *n.* 199. & Eminentiss. Card. de Lauræa *In Epitome Can. Verb. Jejunium.*

Quartò. Quia in Primitiva Ecclesia fuit maxima observantia Jejuniorum apud omnes fideles; ita ut jejunarent omnes, etiam quarta, & 3 sexta feria, ac Sabbato per totum annum. *cap. Jejunia sanè* 16. *De Consecr. dist.* 3. Eminent. Cardin. Baron. *Anno* 388. *num.* 81.

Quintò. Et quidem rigorosissimè, idest manducando semel in die, post Vesperas, solos fructus, 4 vel uvas assas tàm senes, quàm pueri, cum orationibus, disciplinis, & eleemosynis, ut notat Magrius *in Hierolexic. Verb. Jejunium*, & P. Menochius *nelle Stuore Cent.* 3. *cap.* 11. *ubi quod hac de causa Jejunium vocabatur* Ξηροφαγία, idest comestio rerum siccarum, ut amygdalarum, nucium, ficuum, ut latiùs dixi in meis Decisionibus *de Pœnitentia. Decis.* 4. *n.* 11. & 15. ubi attuli Historias, & exempla.

Sextò. Quia ex jejuniis non solùm resultat meritum, sed etiam satisfactio pœnarum pro 5 peccatis juxta illud *Joel.* 2. *Convertimini ad me &c.* S. Thom. 2. 2. *qu.* 147. *art.* 1. Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *senten. tom.* 2. *disp.* 13. *n.* 186.

Septimò. Quia jejunium sanat corporales 6 infirmitates, *capit. Legimus* 30. *de Cons. dist.* 5. & dat vitam longam. Pign. *tom.* 4. *Consult.* 43. ubi plura exempla.

Octavò. Quia vitia comprimit, & Dæmones fugat. S. Thom. *de quæst.* 147. *art.* 1. S. Birgitta in Revelat. *lib.* 3. *cap.* 21. & in Revel. Extrav. *cap.* 52.

Nonò. Quia præponderat in tremendo judi- 7 cio finali pro obtinenda salvatione æterna. Hinc anima Ulphonis mariti S. Birgittæ, eidem apparens, narrans se esse in Purgatorio, & per

quæ opera bona effugisset infernum, ait: *Quintum est abstinentia, quam assumpsi mihi, per quam deleta est illa longa sessio, quam habui in mensa, & loquacitas, & excessus. d.* Revel. Extrav. *cap.* 56.

8 Decimò. Tandem quia mysticam habent significationem jejunia Quadragesimæ, ac Quatuor temporum; sunt enim Decima totius anni, quam solvimus Domino, ut legitur in S. Thom. 2. 2. *d. quæst.* 147. *art.* 5. *c. Quadragesima* 16. *de Cons. dist.* 5, & Magrius *Hierolexic. in d. Verb. Jejunium.*

DECISIO CXXXI.

ARGUMENTUM.

Item demonstratur, quibus, & quot rationibus Parochus obligatus sit prædicare populo suo Verbum Dei festivis diebus?

SUMMARIUM.

1. *Prædicare Verbum Dei sub qua forma Parochus teneatur?*
2. *Parochi de Præcepto tenentur prædicare Verbum Dei, ex Concil. Trid. & Sacris Canonibus hic relatis.*
3. *Parochi Patavini obligantur ad prædicandum ex Decreto Emin. Card. Barbadici Episcopi.*
4. *Parochi ex pacto tenentur prædicare suis populis.*
5. *Parochi salvatio difficilis* ex S. Joan. Chrysost. & S. Isidoro.
6. *Consuetudo non prædicandi an excuset Parochos?*
7. *Parochorum prædicantium meritum, & præmium.*
8. *Temporalia præmia Parochorum prædicantium Verbum Dei.*
9. *Verbum Dei pabulum Animarum.*

1 PRæmittendum est. Prædicationis vocabulo, Curiam Patavinam non intendere Prædicationem formalem, & declamatoriam, sed explicationem Sacri Evangelii, ac legis Divinæ, per quam absque verborum lenocinio populus erudiatur, & edoceatur ea, quæ ad salutem scire tenetur. Igitur ad hanc habendam prout in casu, relatæ fuerunt sequentes rationes.

2 Prima, quia ad eam obligati sunt Parochi ex Præcepto Divino. Ita testatur Sacr. Concil. Trident. *sess.* 23. *de Refor. cap.* 1. ubi ait: *Cum præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c.*

Secunda. Quia extat Præceptum Apostolorum: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* 1. *Petr.* 5. 2. *& Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* 2. *Tim.* 4.

Tertia. Quia idem statutum est per Sacros Canones, *cap. Quod Dei timorem.* 5. ibi *Ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari, ex quo debent prædicationis Officium exercere. De Statu Monach.* & in Clem. *Dudum.* §. *hujusmodi de Sepult.* ibi, *Parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati, sive Rectores, qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta, quibus noscitur de jure competere prædicare, seu proponere Verbum Dei.*

Quarta: Quia à Sacro Tridentino Concilio renovatur, & strictè injungitur hoc officium *sess.* 5. *de refor. cap.* 2. *sess.* 22. *cap.* 8. *de Sacrif. Missæ, d. sess.* 23. *cap.* 1. *de Refor. & sess.* 24. *de Refor. cap.* 4. *& cap.* 7. in quibus omnibus capitibus præcipitur Parochis, ut prædicent, & doceant populum fidem Catholicam, & legem divinam Dominicis, ac aliis festis diebus.

Quinta. Quia idem mandat Synodus Patavina *Par.* 1. *cap.* 7. *his verbis: Parochi igitur, curamque animarum exercentes omnibus Dominicis, ac solennibus diebus hoc concionandi munere inter Missarum solennia, ex Concilii Tridentini Decreto fungantur.*

Sexta. Quia extat Præceptum Eminentissimi Nostri Præsulis, innovatum in Decretis Congre- 3
gationis Generalis Parochorum, habitæ coram Eminentia sua die 26. Septembris 1684. ubi *num.* 1. jubet; quod *In Verbi Dei prædicatione, ac Doctrinæ Christianæ explicatione omnes Parochi sint ferventes.*

Septima. Quia, ut habetur in Epistola Pastorali ejusdem Eminentissimi nostri Præsulis 4
diei 30. Julii 1681. Parochi ex contractu inito in acceptatione Beneficii se ipsos obligarunt, & spoponderunt prædicare, juxta illud: *Fili mi, si spopondisti pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es Verbis oris tui. Prov.* 6. 1. Quapropter Christus Dominus exiget à Parochis rationem prædicationis ex justitia tanquam extraneus, idest creditor; nam, ut ait S. Thom. *in Epist. ad Hebr. capitul.* 13. *lect.* 3. *Dicitur Christus extraneus, quia amicus est in sponsione, sed erit extraneus in exigenda ratione.*

Octava, ob illam tremendam Sententiam S. 5
Joan. Chrysost. *Hom.* 34. *ad Heb. Miror, an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus animarum sit salvus?* Nam *Omnium, quos regunt, Mulierum, & Virorum, & Puerorum ab eis reddenda est ratio;* ut consideravit Eminent. D. Præsul. Noster in alia Epistola sua *diei* 12. *Martii* 1681.

Nona. Item ob grave illud dictum *S. Isidori libr.* 3. *Sentent. Sacerdotes curam gerentes animarum pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccatores non corrigant, testante Domino ad Prophetam, Speculatorem dedi te domui Israel: si non fueris locutus, ut se custodiat impius à via sua mala, ille in impietate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech.* 3. 17.

Decima. Quia Parochos Civitatis non prædi- 6
cantes ex motivo desuetudinis, nonesse excusandos à peccato mortali ait Bonacina *in tertium Præceptum Decal. dist.* 5. *quæst. Unic. punct.* 2. *num.* 29. juxta illud *Dispensatio est nobis cœlestis Seminis injuncta: Væ! si non sparserimus: Væ! si tacuerimus:* cap. *Dispensatio.* 5. *dist.* 43.

Undecima. Quia è contra Parochis prædi- 7
cantibus, & Verbum Dei suis ovibus sollicitè proponentibus æterna gloria, ac præmium magnum in Cœlo dabitur. *Si autem tu annunciaveris impio, & ille non fuerit conversus ab impietate sua, & à via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur, tu autem animam tuam liberasti.* Ezech. *dict. cap.* 3. 19. Siquidem: *Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. 12. 4. Et *Qui fecerit, ac docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cœlorum.* Matth. 5.

Duodecima. Ob remunerationem spi- 8
ritualem, ac temporalem, quam DEUS elargitur etiam in hac vita Parochis expli- 8
cantibus legem suam, eamque populum docentibus, ut legitur in *cap. Revertimini.* 16. *quæst.* 1. ibi *Qui scripturæ Sanctæ alimenta in Eccle-*

Ecclesia populis ministraverit, statim aperientur super eum cataractæ Cœli, & effundetur pluvia spiritualis; & mandavit Deus nubibus suis, ut pluant super eum imbrem, & abundantia rerum omnium perfruetur.

Tertiadecima. Quia prædicatio habet tantam Excellentiam, quantam gratia Miraculorum, & suscitatio mortuorum. *cap. Olim.* 8. *q.* 8.

Quartadecima. Quia, ut scribit Pax Jordanus *lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 7. Inter cætera, quæ ad 9
salutem populi spectant, pabulum verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo pascitur, & nutritur; eò quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. *cap. Inter cætera de Offic. Ord.* ubi DD. Et Illustr. Meraviglia *Ammaestram. del Clero Am.* 12.

DECISIO CXXXII.

ARGUMENTUM.

Recensetur, quæ sit vera methodus prædicandi fructuosè.

SUMMARIUM.

1. *Rhetorica Ecclesiastica Cardin. Valerii commendata.*
2. *Parochorum fructuosa prædicatio quatuor requirit, & Quæ?*
3. *Qualitates bonorum Parochorum.*
4. *Parochi de quibus materiis debeant prædicare?*
5. *Auditorum qualitates attendendæ à Prædicatoribus.*
6. *Prædicatio Parochorum in quot partes dividenda.*

A Pluribus plura dicta sunt; sed quæ hìc refe- 1
renda veniunt, duo existunt. *Unum generi-cum;* videlicèt, fructuosè prædicari ab illis Parochis, à quibus & cognoscitur, & servatur libellus Rhetoricæ Ecclesiasticæ Emin. Cardinalis Augustini Valerii olim Episcopi Veronæ, & Visitatoris Apostolici hujus Civitatis, ac Diœcesis Patavinæ, impressus Mediolani anno 1574. & subinde octies typis recusus, ac novissimè anno 1672. Patavii in Typographia Matthæi de Cadorinis.

Alterum Speciale: hoc est, ad fructuosas præ- 2
dicationes populis faciendas per Parochos, quatuor ab eis esse observanda. Primum quoad se ipsos; Secundum quoad materiam. Tertium quoad audientes. Quartum quoad modum loquendi, & prædicandi.

Quoad se ipsos debent habere quatuor: Bonam 3
conscientiam, *cap. Quid est hoc, & cap. Cum exandiero, dist.* 50. Bonam conversationem, & famam, *cap. Qualis* 8. *quæst.* 1. Studium, *cap. Si quis vult. dist.* 36. Et Orationem, juxta illud: *Si quis vestrùm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, Jac.* 1. 5. Nam, ut scribit præ-libatus Card. Valerius *Rhetor, Eccl. libr.* 1. *capit.* 5. *in fin. Precibus adjungendum est studium, adjungenda est diligentia, & assidua lectio Sacrorum Librorum, sine qua qui nobilissimum dicendi munus sibi assumunt, accidit sæpè, ut in varios errores, & in confusionem incidant.*

Quoad Materiam; quinque sunt, circa quæ Parochi sermocinari debent ad populum, videlicèt.

Circa Credenda; & sunt articuli fidei Catholicæ, 4
& Sacramenta.

Circa Speranda; & hæc est æterna vita, & gloria cœlestis.

Circa Timenda; & sunt Judicium extremum, & ignis æternus infernalis.

Circa vitanda; & sunt transgressiones Præceptorum Dei, Ecclesiæ, & superiorum, ac peccata omnia capitalia.

Et Circa Agenda; & sunt quæcunque ordinantur à lege Divina, Naturali, Ecclesiastica, & Civili; Consilia Evangelica, quæ omnia eleganter demonstrantur in suprad. *Rhetor. Eccl. d.* lib. 1. *à cap.* 5. *usque ad cap.* 18.

Quoad Audientes, quatuor diversa genera personarum sunt distinguenda; *A Natura*, ut Viri & mulieres, Senes, & Juvenes, & Pueri. *A disciplina*, ut Viri docti, vel rudes; studiosi vel artifices. *A qualitate*, ut divites, vel pauperes, in adversitate, vel in prosperitate. Et *A conditione*, ut nobiles vel populares, Patritii, vel plebeji; & ad omnium horum capacitatem debet esse ordinatus sermo, ut sit fructuosus, *cap. Oportet.* 8. *quæst.* 1. prout docet *d. Rhetor. Eccles. d. lib.* 1. *à cap.* 23. *usque ad* 48. *& lib.* 2. *à cap.* 15. *usque ad* 42. ubi argumenta adhibenda pro effectibus commovendis. 5

Quoad modum tandem loquendi, ac prædicandi fructuosè, sermo, seu concio debet habere quatuor partes, Exordium, Propositionem, Probationem, & Epilogum, *d. Rhetor. Eccl. lib.* 3. *per tot.* Et licèt aliquando omitti possit Exordium, & Epilogus, nunquam tamen Propositi, & Probatio; quas circa duas partes curare debet Parochus eloqui suavi, ac grata actione, voce, ac sono convenienti, utendo figuris, & argumentis, ac autoritatibus propriis, juxta Præcepta tradita in prædicto Libello *Rhetor. Eccl. toto libro tertio*, quorum præcipuum esse debet brevitas Sermonis, seu, ut meliùs dicam, evitatio prolixitatis, quæ tædio esse solet auditoribus, & fructũ impedit in eorum mentibus. 6

DECISIO CXXXIII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quinam sit finis ultimus hominis? Undè procedat cæcitas humana, quæ de ultimo Fine parùm, aut nihil curat? Quæ sint damna hujus cæcitatis? Quæ remedia?

SUMMARIUM.

1. *Finis, ob quem creatus est homo, duplex.*
2. *Deus est finis ultimus hominum.*
3. *Exercitiorum S. Ignatii principale fundamentum.*
4. *Antonius Maria Cortivus de Sanctis Nob. Patavinus Fundator Congreg. Oratorii de Padua.*
5. *Cæcitatis Intellectus humani damna duo.*
6. *Finis ultimus hominis prædicandus à Parochis.*
7. *Prædicationis Parochorum utilitas.*
8. *Prædicare debent Parochi Patavini juxta Epistolam Pastoralem Eminen. Præsulis diei* 12. *Martii* 1681.

DIxere. Quod sicut duplex est vita hominis 1
mortalis, & Immortalis, seu præsens, & futura, ita duplex sit finis hominis, scilicèt Unus vitæ præsentis, & mortalis, qui est mors; *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* 2. *Reg.* 14, 14. Alter vitæ futuræ, & immortalis, scilicèt æterna Beatitudo, quæ consistit in Visione Dei, ejusvè Essentiæ Divinæ. S. Thom. *in* 1. 2. *quæst.* 3. *art.* 8. Igitur Fi-

2 nis ultimus, propter quem creatur homo, est Deus. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Proverb.* 16. 4. Qui de se ait; *Ego sum Alpha, & Omega: Principium, & Finis, Apoc.* 1. 8. Hinc illud principale fundamentum,
3 & principium fundamentale Exercitiorum spiritualium Sancti Ignatii, quo obtinuit tot, & tàm admirabiles conversiones personarum, hisce verbis firmatum: *L'uomo è stato creato per lodare, honorare, e servire Dio Nostro Signore, e con questo mezo salvare l'anima sua. Tutte le altre cose, che sono sopra la terra, sono state create per l'huomo; acciochè lo ajutino à conseguire il fine della sua creazione.* Lib. Exerc. S. Ignat. *Medit.* 1. *pag.* 33. Libellus Ment. 24. *Veritatum pag.* 12. Ludovic. de Ponte *part.* 1. *Meditat.* 1. *punct.* 1. Anton. Maria Cortivo de Sanctis (qui fuit Nobilis Patavinus, & Fundator Congregationis Oratorii in
4 Ecclesia S. Thomæ Martyris de Padua anno 1620. & restaurator Oratorii S. Hieronymi, ac S. Philippi Nerii in eadem Civitate, & in pluribus Castris, & Villis Patavinæ Diœcesis) in ejus Operib. Spiritualib. *in Excitam. cap.* 1. *& seqq.*

Cæcitas humana, quæ de ultimo hoc fine suo parùm, aut nihil curat, provenit tùm ab intellectus obscuritate, tùm à voluntatis malitia; juxta illud S. Thom. 1. 2. *quæst.* 105. *art.* 2. *ad* 3. *Natura humana magis corrupta est per peccatum quoad appetitum boni, quàm quoad cognitionem veri.* Et augetur hæc cæcitas à peccatis actualibus, unde S. Jo. Chrysost. *tom.* 1. *ad Theophil.* ait: *Ille* (id est Adam *initium induxit debiti; nos fœnus auximus posterioribus peccatis.*

Damna hujus cæcitatis sunt duo. Unum, quod homines reputent suum ultimum finem
5 bona temporalia, honores, dignitates, divitias delectamenta. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Psal. 143. 15. *Venite, fruamur bonis, quæ sunt; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Sap. 2. 6. Alterum, quòd ita viventes perdant æternam vitam, & incurrant damnationem æternam. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Job. 21. 13.

Remedium Unicum est, ut Parochi, animarumque Pastores doceant frequenter populos
6 supradictum verum finem ultimum, qui est Deus, eosque de illo jugiter moneant: quandoquidem, sicut *Ignorantia est mater cunctorum vitiorum, cap. Ignorantia* 38. *dist.* ita Prædicatio Parochorum est lumen ad expellendas tenebras humani intellectus. *Declaratio sermonum tuorum illuminat.* Psal. 118. 130. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis? dicit Dominus.* Jerem. 23. 28. Et habet efficacem medicinam ad sanandam volun-
7 tatem. *Vivus est sermo Dei, & efficax.* Hebr. 4. 12. *Et lex Domini immaculata convertens animas.* Psal. 18. 8. Siquidem deputati sunt Parochi, non ut tantùm celebrent, & Sacramenta administrent; sed ut doceant, moneant, prædicent veritates æternas, & sic populos ad ultimum finem salvos perducant. *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Psal. 50. 15. De qua prædicandi obligatione Epistola Pastoralis Eminentiss. ac Reverendiss. nostri Præsulis diei 12. Martii 1681. ad Parochos hujus Diœcesis, quam studiosi reperient in Libro Literarum, & Edictorum Eminentiss. ac Reverendiss. Gregorii Cardinalis Barbadici Episcopi Patavini, impresso typis Seminarii Anno 1690.

DECISIO CXXXIV.

ARGUMENTUM.

Exponitur, quid sit habitus malus ad peccandum? Unde oriatur, & augeatur? Quot ejus sint damna? Quæ ipsius remedia?

SUMMARIUM.

1. *Habitus malus quid sit?*
2. *Quomodo augeatur?*
3. *Habitus mali quot sint damna?*
4. *Impœnitentia finalis undè procedat?*
5. *Habitus malus peccandi quatuor remediis tollitur?*

SCripsere, quòd sicut Habitus, secundùm Philosophum *lib.* 12. *Ethic. cap.* 3. & ibi P. Maurus *in Comment. tom.* 2. *pag.* 38. *num.* 1. est altera 1
natura, quæ operari facit cum delectatione; ita Habitus malus ad peccandum sit usus, frequentia, & consuetudo talis, qua peccator fertur in peccata non solùm cum facilitate, sed cum delectatione, juxta illud; *Lætantur, cum malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Prov. 2. 14. & sicut Habitus differt à dispositione per hoc, quòd dispositio sit facilè mobilis, ac mutabilis: habitus verò sit difficilè mobilis, ac mutabilis; ut notat idem P. Maurus *in lib. Prædicamen. cap.* 9. *num.* 2. *tom.* 1. *pag.* 49. Ita malus Habitus ad peccandum difficilis est, ut emendetur; ideò scriptum est, *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur tanquam malleatoris incus*, Job. 41. 15.

Nascitur iste malus habitus ad peccandum, & 2
augetur à seipso, id est à frequentia actualium peccatorum; siquidem *Abyssus abyssum invocat. Ps.* 41. 9. & *Qui in sordibus est, sordescit adhuc.* Apoc. 22. 21.

Plurima autem sunt ejus damna. 1. Peccare 3
facit non solùm cum facilitate, sed cum securitate. *Sapiens timet, & declinat in malo: stultus transilit, & confidit. Prov.* 14. 16. Imò ut dictum est, cum delectatione. Hinc S. Bernard. *lib.* 1. *de Consider.* scripsit: *Primum tibi* (Peccatum) *importabile videbitur: processu temporis, si assuescas, non judicabis adeò grave: paulo post & leve senties: paulò post nec senties: paulò post etiam delectabit.* 2. Reddit habentem talem habitum incorrigilem; fit enim *Sicut aspis surda obturans aures suas.* Et ideò inutiles sunt monitiones Parochorum, Prædicatorum, ac eorumdem Prælatorum, ut non semel in Visitatione Diœcesis compertum est; Nam *Impius*, cum *in profundum venerit peccatorum, contemnit*: ubi Hugo Cardin. explicat, ideò *conscientiam, & peccata.* Et Lyran, *contemnit correptionem, pœnitentiam & omnem spiritualem medicinam.* 3. Idcircò ultimum, ac terribile damnum producit, videlicèt, impœnitentiam finalem, & damnationem æternam; juxta illud: *Et in peccato vestro moriemini.* Jo. 8. nam 4
Cor durum malè habebit in novissimo. Eccl. 3. 27. ut eruditè probat P. Paulus Segneri Soc. Jesu *in suo Christiano Instructo part.* 3. *R.* 1. *per totum.*

Remedia plurima sunt, sed præcipua hæc quatuor. 1. Oratio mentalis super novissimis, & æternitate. *Et meditatus sum nocte in corde* 5
meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum. Psal. 76. 2. Pœnitentia, & Castigatio corporis voluntaria, quia *Satisfactoriæ pœnæ medentur peccatorum reliquiis, & VITIOSOS HABITUS tollunt.* Concil. Tridentin. *sess.* 14. *de Satisfact. capit.* 8. 3. Deserere omninò quàmcunque pra-

vam

vam conservationem, & ab occasionibus peccandi separari, scriptum est enim: *Ne tibi placeat malorum via, declina & desere eam.* Prov. 4. 14. & alibi: *Recedite, recedite, exite indè, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Isa. 52. 11. quod inculcavit Dominus metaphoricè de oculi, manus, ac pedis scandalizantium abscissione: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te; erue eum, & projice abs te.* Math. 18. 8. Et 4. frequenter suscipere Sacram Eucharistiam; est enim *Salutaris Hostia, quæ cœli pandit ostium*, & dum *bella* (passionum, & malorum habituum) *premunt hostilia, dat robur fertque auxilium.*

DECISIO CXXXV.

ARGUMENTUM

Disputatur, & definitur, Quid sit Amor proprius? Quæ ejus origo? Quæ damna pariat? Quæ sint remedia?

SUMMARIUM.

1. *Philautia, seu Amor proprius quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Philautia inordinata duplex. Et quæ?*
4. *Amor proprius in spiritualibus quomodo cognoscatur?*
5. *S. Ignatii Loyolæ tentatio in interiori corde?*
6. *Pigritia in operando ex Philautia.*
7. *Amor proprius in quærendis honoribus, divitiis, & delectationibus.*
8. *Originale peccatum est radix Philautiæ.*
9. *Philautiæ, seu Amoris proprii damna plurima.*
10. *Mortificatio unicum est remedium Philautiæ.*
11. *Religiosi etsi austerioris vitæ amore proprio inficiuntur.*

1 DIxere: Amorem proprium, seu Amorem sui, (qui græcè *Philautia* appellatur. Eminent. Card. de Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 2. *disp.* 31. *num.* 57.) esse solicitudinem hominis circa necessitatem, commoditatem, & satietatem sui ipsius. Hæc autem Philautia est duplex; *Una* 2 ordinata, & *Altera* inordinata. Prima est laudabilis, & respicit necessaria ad commoditatem, & satietatem hominis juxta ejus conditionem, & merita, cum debita moderatione; ac ideò est species Virtutis Temperantiæ, neque reprehendi potest; siquidem decet, hominem seipsum moderatè diligere; prima enim caritas incipit à seipso, *cap. Qui vult de Pœnit. dist.* 3. Arist. *lib.* 9. *Ethic. cap.* 9. Et habemus præceptum: *Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 5. Ergo amor sui, cum sit prototypus amoris, lege naturæ præcipitur: undè illud: *Miserere animæ tuæ.* Eccl. 30. 24. & de hac moderata Philautia scripsit Seneca *ad Lucillum Epist.* 24. *In utrumque movendi, ac firmandi sumus, & ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus.*

3 Altera *Philautia* est inordinata, & hæc pariter duplex, *Una* in Spiritualibus, *Altera* in Temporalibus: Verùm utraque fit vel ex defectu, vel ex excessu. Philautia inordinata in Spiritualibus ex defectu consistit in negligendis spiritualibus auxiliis pro æterna salute consequenda; juxta illud: *Noluit intelligere, ut benè ageret. Psalm.* 35. 4. Et hac Philautia laborant qui in exercitiis piorum operum negligentes sunt, & animam suam in egestate meritorum tenent, ad evitandum laborem, juxta illud: *Egestatem operata est manus remissa.* Prov. 10. 4. ut demonstrat P. Fran. Stadera *Ingan. della Vita Spirit. tract.* 13. *cap.* 9. Ex excessu autem in Spiritualibus est Philautia, seu Amor proprius; quando Christianus anxiè cupit dona cœlestia, vel ad ea mentem dirigit magis, quàm ad donatorem Deum, procedendo in via spirituali supra vires suas vel ex nimia intensione affectiva, vel ex nimia extensione operativa. Stadera *dict. tract.* 13. *cap.* 10. Henricus Harphius *in Mystic. Theolog. lib.* 2. *part.* 5. *coll.* 2. Hinc S. Ignatium Loyolam dum Barcinone in Scholis linguæ latinæ studeret, ex astutia Dæmonis cœpisse experiri internas dulcedines, ac teneritudines, easque ut cognovit, ex inordinata Philautia procedere cum præjudicio studii pro juvandis proximis assumpti, omninò repressisse refert Daniel 5 Bartoli *in ejus Vita lib.* 1. *pag.* 72. 4

In Temporalibus autem Philautia est ex de- 6 fectu in illis, qui potiùs mendicare volunt, quàm insudare ad necessaria vitæ, familiæ, & statui suo acquirenda; & de his scriptum est: *Transivi per agrum hominis pigri, & ecce totum repleverant urticæ. Prov.* 24. 30.

Porrò præcipuum, & frequens amoris pro- 7 prii, seu Philautiæ extremum est excessus circa Temporalia; & hic per antonomasiam vocatur Amor proprius; nam pauci sunt, qui non impingant in ipsum circa honores, divitias, & delectationes, *Quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, ut ait Apostolus *ad Philip.* 2. ut eruditè declarat, & probat Emin. Card. de Lauræa *d. disp.* 21. *art.* 3. *à n.* 68. *& seqq.*

Originem hujus Philautiæ ex originali culpa 8 evenire scripserunt; nam, ut refert P. Rodriquez per peccatum Protoplastum *Homo fuit spoliatus gratuitis, & vulneratus in naturalibus*; & qui creatus erat, ut Deum super omnia diligeret, cœpit cum tota posteritate seipsum inordinatè amare, obscurato intellectu, debilitata Voluntate, ac appetitu ferveſcente. P. Stadera *dict. tract.* 9. *cap.* 2. Et P. Simon. à S. Paulo Carmelita Discalceatus *in suo Tractatu* Riforma dell' Uomo *in Introduct. & lib.* 1. *per totum.*

Damna esse plurima notarunt, videlicèt 9 peccata quæcunque; omnia enim ex hac radice Philautiæ proveniunt, & diffunduntur in Superbiam, Avaritiam, delectationes carnales, vindictas, aliaque multa, prout docuit Apostolus 2. *Tim.* 3. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi*; ubi Lyran. addit, *Seipsos amantes quantum ad partem hominis sensitivam.* Et omnia Amoris proprii damna compilavit S. Augustinus *de Civit. Dei lib.* 14. *cap. ult.* dicens. *Duo amores fecerunt duas Civitates, Civitatem Dei amor Dei, usque ad contemptum sui. Civitatem diaboli amor sui, usque ad contemptum Dei.*

Remedium unum omnes dedere, scilicèt 10 mortificationem tùm corporis, tùm spiritus; juxta illud Salvatoris: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*; nam *Qui voluerit animam suam salvam facere*, inordinatè amando, *perdet eam.* Matth. 16. 24. & illud Apostoli *ad Coloss.* 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*, & ad Galat. 5. 24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis*: quandoquidem scriptum est Eccles. 18. 30. *Post concupiscentias tuas non eas*; ut plenè

demonstrant P. P. Stadera, & Simon à S. Paulo locis supra cit. S. Franc. de Sales *in Philot. part.* 4. *à cap.* 10. *& seqq.* & Ludov. à Ponte *Guid. Spirit. part.* 2. *tract.* 3. *§.* 2.

Hunc Amorem proprium, seu Philautiam
11 invadere, & inficere etiam corda Religiosorum austerioris Vitæ testantur Revelationes S. Birgittæ, in quibus *lib.* 4. *cap.* 17. hæc habentur: *Sunt multi, qui temporalia relinquunt, eo fine, ut adversitatibus careant, & nihil eis desit ad utilitatem, & voluptatem; quorum rota* (ideſt intentio,) *non est benè ductilis, & versatilis: Hi, cum pungit paupertas, desiderant sufficientiam; cum gravat adversitas, requirunt prospera; cum tentat eos directio, murmurant de dispositione Divina, & affectant honores; cum præcipiuntur contraria, quærunt proprias libertates.* O quanti, & quanti tales sunt!

DECISIO CXXXVI.

ARGUMENTUM.

Quid sit Superbia; Quotuplex? Quot ejus filiæ? Quot mala pariat? Quibus remediis curetur?

SUMMARIUM.

1. *Superbia quid sit? Et unde dicta?*
2. *Quotuplex?*
3. *Leæna egrediens è mari visa à Daniele, quid esset?*
4. *Superbia spiritualis alia interior, alia exterior.*
5. *Superbiæ Filiæ decem. Et quæ?*
6. *Superbiæ effectus Hæresis, & Apostasia.*
7. *Remedia contra Superbiam.*
8. *Autores legendi contra vitium Superbiæ.*
9. *Superbiæ Luciferi quale fuerit objectum?*

1 PLurimæ fuerunt notatæ definitiones; quarum præcipua secundùm D. Thomam 2. 2. *quæst.* 162. *art.* 1. & 2. Quod *sit inordinatus appetitus propriæ excellentiæ supra mensuram, & regulam a Deo sibi præfixam.* Et dicitur Superbia ab *eo*, & *super*, quia superbi volunt ire super se, ideſt super id, quod non habent, vel quod à se non habent. Isidor. *de Etymol.* & Cardin. Tolet. *libr.* 8. *capit* 3. *in fine.*

Duplex est Superbia. Una *Mundana*, per
2 quam quis inordinatè appetit dignitates seculi, appellatur superbia vitæ. *Altera Spiritualis*, qua homo indebito modo, seu non recto fine affectat Sanctitatem. P. Ludovic. à Ponte *in Guid. Spirit. part.* 2. *tract.* 4. *cap.* 5. ubi ex SS. Aug. Greg. Thoma, & ex Cassiano notat, belluam,
3 quam vidit Daniel egredientem à mari in forma Leænæ cum alis Aquilinis *Dan.* 7. 4. fuisse symbolum mundanæ, & spiritualis superbiæ. Hæc autem superbia spiritualis subdividitur;
4 alia enim est *interior*, cùm vir religiosus credit habere in se virtutes, quas non habet; vel si quas habet, non à Deo, sed à se putat habere. Et altera est *exterior*, per quam se exercet in operibus bonis, vel loquitur de seipso, ut ab aliis existimetur, ac honoretur, & contra utramque scriptum est; *Superbiam nunquam in tuo sensu* (ecce interiorem,) *aut in tuo Verbo* (ecce exteriorem) *dominari permittas. Tob.* 4. 14.

5 Superbia gignit filias decem. Prima est *Præsumptio*, quæ aggreditur res supra vires. 2. *Ambitio*, quæ appetit dignitates, & honores non debitos. 3. *Vana gloria*, quæ nutritur laudibus hominum, & eorum obsequiis. 4. *Inobedientia*, negans subjectionem Superioribus suis. 5. *Jactantia*, decantans proprias virtutes. 6. *Hypocrysis*, simulans sanctimoniam. 7. *Contentio*, studens decertare cum proximo. 8. *Pertinacia*, quæ adhærens suo judicio, non cedit aliorum sententiæ. 9. *Discordia*, recusans consentire voluntati alienæ 10. *Curiositas*, appetens notitias tam circa intelligibilia, quàm circa sensibilia; ut plenè Card. Tolet. *lib.* 8. *à capit.* 3. *& seq.* ubi Sacri DD. Augustinus, Gregorius, Thomas, & alii. Marcant. *in tuba Sacerd. tract.* 1. *sect.* 6. *cum seqq.*

Quot mala pariat, quis enarrare poterit? 6
Superbia enim *est initium omnis peccati. Eccl.* 10. & præter supradictas decem filias, seu species iniquitatum, alias plurimas parturit, & inter cæteras *Hæresin. & Apostasiam a fide:* ut legentes edocet Ecclesiastica Historia, & de Origene, Tertulliano, & Osio observat P. Steph. Menochius *Stuore part.* 6. *capit.* 8. *pag.* 19. Quibus addere possumus Lutherum, & Calvinum.

Quibus autem remediis curetur? Duobus scri- 7
psit unus, videlicèt cogitare, quid fuerit homo ante nativitatem? & considerare, qualis futurus sit post mortem? nam de utroque tempore fatebitur unà cum Job *Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Job. 17. 14. Unum scripserunt duo; videlicèt illud Philosophi, *Nosce teipsum.* Alii notarunt, & sumpserunt quinque ex Emin Card. de Lauræa *in* 3. *lib. sent. tom* 2. *disp.* 31. *art.* 4. §. 8. videlicèt memorari; 1. Proprium conceptum. 2. Propriam corruptionem. 3. Incommoda naturalia. 4. Miserias animæ. 5. Vanitatem seculi. Alii in responsis dederunt, ut frequenter, & attentè legantur Exercitium Perfectionis P. Alphonsi Rodriquez *part.* 2. *tract.* 3. per 40. integra capita: Et P. Ludovic. Granata *part* 2. *libr.* 2. *capit.* 4. Quibus nos addimus 8
meditari vigintiquatuor veritates per nos compilatas, & traductas operibus Spiritualibus P. Juliani Haynovii Societatis Jesu, impressas typis Joannis Pasquati hìc Patavii anno 1681.

Hinc notare debemus ob superbiam Luciferum, & Angelos prævaricatores cecidisse de Cœlo. Sed dicet aliquis, Quale fuit objectum, 9
seu formalitas superbiæ Luciferi? Alii ajunt, fuisse propriam pulchritudinem, quam sibi tanquam ultimam finem constituit, contemnendo Deum Creatorem suum. *Elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum. Exod.* 28. 2. Alii, quod prætenderit Beatitudinem, non ex gratia Dei, sed ex propriis meritis, ut volebant Pelagiani. S. Thom. 1. *part. quæst.* 63. *art.* 3. Alii, quod voluerit esse similis Deo in autoritate, dominando independenter à Deo omnibus creaturis, ita ut ab omnibus adoraretur tanquàm Deus, ut exigit à sagis, strigis, & maleficis; ideò ajebat: *Similis ero Altissimo. isa.* 14. 13. Alii, quod recusaverit adorare Humanitatem CHRISTI, sibi tunc revelatam, quod innuit Apostolus, inquiens *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem Terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Hebr.* 1. 6. Et hac de causa Lucifer in superbiam elatus præcipitatus fuit in infernum, & odio implacabili persequitur CHRISTUM: & ejus Ecclesiam.

Lega-

Legatur Collegium Salmanticense de *Angelis tract. 7. disp. 10. dub. 2.* Mastrius *in 2. sent. disp. 3. quæstion. 4.* & meus Libellus *de Prima Ætate Mundi serm. 4.* ubi alii DD.

DECISIO CXXXVII.

ARGUMENTUM.

Disseritur, Quid sit Avaritia? Quotuplex? Quæ ejus filiæ? Quæ mala proveniant ex Avaritia? Quibus remediis curanda?

SUMMARIUM.

1. *Avaritia quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Ejus filiæ, & quot?*
4. *Avaritiæ mala ad quatuor genera redacta.*
5. *Avaritia similis radicibus arborum in tribus.*
6. *Avaritia vitium occultum, & apud homines incognitum.*
7. *Avaritia mater omnium iniquitatum.*
8. *Avaritia difficillimè emendatur.*
9. *Avaritia cur assimiletur Idololatriæ?*
10. *Avaritiam ad extirpandam remedia octo.*
11. *Avari difficilè salvantur.*

1 Dictum fuit, *Avaritiam esse amorem immoderatum habendi.* Ex S. Th. 2. 2. *quæst.* 118. *art.* 1. & ex Cardin. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 24. *num.* 1. Vel etiam, *esse inordinatum appetitum temporalium.* Ex Busemb. *lib.* 5. *de peccatis capit.* 3. *dub.* 2.

Duplicem verò esse Avaritiam notarunt omnes, *Unam* contra Justitiam, quando quis injustè accipit, vel retinet rem alienam, *Al-*
2 *teram*, contra Liberalitatem, quando quis ex bonis licitè acquisitis, & sibi superfluis recusat succurrere proximo existenti in extrema, vel etiam in gravi necessitate. Et in utraque specie est culpa mortalis, nisi excuset levitas materiæ, aut defectus plenæ deliberationis. Cardin. Tolet. *d. libr.* 8. *cap.* 25. Azor. *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 1. Reginald. *lib.* 23. *cap.* 2. *num.* 26. & Layman. *lib.* 3. *sect.* 3. *num.* 14. *in fine.*

Quoad Avaritiæ filias, scribentes nostri adstipulati sunt Divo Gregorio Magno *libr.*
3 31. *Moral. cap.* 31. Divo Thomæ 2. 2. *quæst.* 118. *art.* 8. & Card. Toleto *de libr.* 8. *cap.* 26. nimirùm eas esse septem, videlicèt quatenùs Avaritia stat in retinendo, *Obdurationem cordis*, qua Misericordiæ viscera clauduntur pauperibus. Ut verò est in acquirendo, respectu affectus *Inquietudinem*; nam homo cupidus ditandi semper est mente solicitus, variisque curis, & anxietatibus distrahitur, at respectu effectus, & operis *Violentiam*, prout in latronibus; *Fallaciam* præcipuè in contractibus, nudo dolo proximum decipiendo; *Perjurium*, cum additur juramentum falsum, & utroque modo verbis tantùm; & *Fraudem*, cum res mala exhibetur tanquàm bona; & *Proditionem*, quando Avarus audet offendere personam proximi sui ob lucrum; & de his omnibus Reginaldus *dict. libr.* 23. *cap.* 2. *num.* 28. Cardin. Toletus *ubi supra*, *cap.* 26. & *seqq.*

Porrò *Quæ mala proveniant ex Avaritia*? plurimi plurima, & quidem doctè, piè, ac eru-
4 ditè scripserunt; & ea omnia rediguntur ad tria genera, quæ fundantur in tribus proprietatibus Radicis (siquidem radici ab Apostolo assimilatur hoc Vitium, dicendo, *Radix omnium malorum est cupiditas.* 1. *Timoth.* 6.) Et idcircò, quemadmodum Radices arborum sunt occultæ, sunt prolificæ, & difficillimè evelluntur; sic Primum genus malorum, ex avaritia resultan- 5
tium, comprehendit nescientiam, & inintelligentiam hujus Vitii: Secundum genus insertam habet amplissimam prolem culparum ex Avaritia provenientium: Et Tertium genus amplectitur difficultatem de Avaro faciendi non Avarum.

Primum, magnumque genus iniquitatis est occultatio Avaritiæ, & juxta illud; *Frutex pec-* 6
cati radicabitur in illis, & non intelligetur. Ecc. 3. 30. nam pauperes ex avaritia furantur, eamque prætextu necessitatis cooperiunt, non brachiis, sed manibus rapacibus victum quærentes. Divites verò fraudant pauperes, cum impostura devastationis, quam hi faciunt in campis tempore fructuum? Mercatores ex avaritia fœnus patrant; at ipsum occultant sub fœnore damni emergentis, & lucri cessantis, periculi exigendi, etsi fidejussorem, vel pignora habeant, & adhuc se Patres pauperum jactant. Venditor inserit fraudem in re, emptor in pecuniis, & uterque malitiam suam vocat industriam. *Sapiens enim sibi videtur vir dives. Prov.* 28. 11. Ecclesiastici Simonias committunt, easque gratitudines, aut expensarum refectiones nominant. In summa plurimi ad avaritiam moventur in retinendo, in acquirendovè opes inordinatè; & tamen suis excusationibus vitium hoc tutantur, videlicèt quilibet debet custodire res suas: Neminem oportet deserere suæ domus providentiam; & ita *A minore usque ad majorem omnes Avaritiæ student*; & malitia incognita, turpitudo occulta, & tanti flagitii labes, tantis operta prætextibus primum parit, & quidem grave malorum genus.

Secundum autem à secunda radicum proprietate, scilicèt prolificatione procedit: Et quodnam est peccatum, quod ex Avaritia non in-
surgat? *Pecuniæ obediunt omnia. Eccl.* 10. 19. 7
ideò Avari pecunias habentes, quamcunque appetunt iniqitatem, assequuntur; & ut, quod cupiunt, assequantur, omnem iniquitatem committunt. Hinc *Avaro nihil est sceleſtius. Eccl.* 10. 9. Et de Avaris scriptum, quod *erraverint à fide.* 1. *Timoth.* 6. Et in eis dilectio Dei esse non potest, juxta illud, *Non potestis servire Deo, & Mammonæ. Matth.* 6. 24. Econtra reperiuntur in Avaris perjuria in negotiis, blasphemiæ in ludo, inobservantia dierum festorum, negligentia in filiis benè educandis, violentia in filiabus monachandis, inscitia in mysteriis fidei apprehendendis, odia, lites, fraudes, proditiones, furta, rapinæ, usuræ, homicidia. Insuper Incestus, stupra, adulteria, fornicationes, & si quæ pejora, imò pessima carnis sunt flagitia, ob abundantiam pecuniæ, superabundant; nec non Superbia, Gula, & quælibet omissionis, ac commissionis peccata; *Nihil enim est malorum quod non cupiditas, aut concipiat, aut parturiat, aut nutriat*, ut inquit S. Valerianus *Homil.* 20. *de Avar.*

Tertium tandem genus malorum ex radice Avaritiæ insurgentium est difficultas emendandi,

di, eamque è cordibus humanis evellendi:
8 prodigum namque emendari posse, non etiam avarum autumat S. Thom. 2. 2. *quæst.* 119. *art.* 3. Ratio est, quia neque Verbum Dei audit, vel si audiat, minimè credit; rarò confitetur peccata, & confessarium quærit, qui nesciat, aut non audeat illum de avaritia redarguere. Propterea avarus procedit tanquàm flumen, magis, atque magis ripas devorans, quò majores consequitur aquas, & est similis Pyramidi, quæ fit subtilior, quo magis extollitur, nam & avarus in lucro captando magis semper ingenium acuit. Quare, *Qui aurum diligit, non justificabitur. Eccles.* 31. 5. *& quàm difficilè, qui pecunias habent, in Regnum Dei introibunt? Marc.* 10. 23. Et non sine causa testatus fuit Apostolus, quod Avaritia *Sit Idolorum servitus. Ephes.* 5. 5. non solùm, quia consistit in argen-
9 ti, & auri materia, de qua formabantur Idola, vel quia Avarus credit, sperat, & amorem suum habet in argento, & auro, prout Idolatræ in Idolis; sed etiam quia non sine miraculis converti possunt Avari, prout neque Pagani; imò etsi ad miracula convertantur gentiles, ad ea non convertuntur avari; quare *Audiebant omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum*, idest Salvatorem, miracula facientem. *Luc.* 16. 14.

Quo verò ad Remedia conscripserunt Decisores sequentia 1. Mortis frequentem consi-
10 derationem, nam teste S. Hieronym. *Facilè contemnit omnia, qui sæpè cogitat, se esse morituru*m 2. Malum exitum divitiarum post mortem, dum corpus datur vermibus, anima dæmonibus, bona temporalia hæredibus, aut ingratis, aut prodigis, ea consumpturis; & ideò *Eccles.* 2. 21. habetur, quod Avarus *homini otioso quæsita dimittat* 3. Monitionem Apostolicam, omni veritate plenam 1. *Tim.* 6. 8. quod scilicet *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus* 4. Meditationem illius Evangelicæ veritatis *Matth.* 16. 26. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ suæ detrimentum patiatur?* 5. Ponderanda esse incommoda, quæ ex divitiis insurgunt, nam ut habetur 1. *Tim.* 6. 9. *Qui volunt divites fieri, incidunt in multa desideria inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum.* 6. Exemplum Christi Domini Salvatoris, qui, ut scriptum est 2. *Cor.* 8. 9. *Pro nobis factus est egenus*; voluit enim paupertatem sequi, quamvis absque ullo defectu potuisset divitias possidere 7. Fiduciam in Deo, qui nobis necessaria providebit, de quo testatur Apostolus *Hebr.* 13. 5. *Ipse enim dixit, non te*
11 *deseram, neque derelinquam* 8. Tandem inculcandam esse difficultatem æternæ salutis, quam omnes Scripturæ declamant: Siquidem *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Cœlorum.* Matth. 19. 24. Et sicut, *Neque fures, neque rapaces*, ita *neque Avari Regnum Dei possidebunt.* 1. *Cor.* 6. 10. prout latius prosequitur Marchantius *in Tuba Sacerdotali tract.* 2. *per tredecim lectiones*, ubi plurima argumenta, Patrum sententias, & exempla ad extirpandum hoc Avaritiæ genus cumulat. Sylva Historialis Joan. Bapt. Matthioli, *l.* 9. *tit.* 2. & novissimè P. Paulus Segnerius Soc. Jesu in erudito suo opere Christiani instructi *Serm.* 26. Et in Meditationibus, seu Manna Animæ *die* 30. *Martii*; & *die* 15. *Junii*, & *die* 27. *Augusti.* Optimè Reginaldus *in Praxi l.* 7. *cap.* 6. *a n.* 64. ubi remedia plura inculcat.

DECISIO CXXXVIII.

ARGUMENTUM

Declarat hæc Decisio 1. Quid sit Amor carnalis? 2. Quotuplex? 3. Qui ejus effectus? & damna? 4. Quæ remedia?

SUMMARIUM.

1. *Amor carnalis quid sit, & quàm vehemens passio?*
2. *Amor carnalis quadruplex.*
3. *Amoris Venerei damna quatuor.*
4. *Amoris Carnalis ad propinquos damna.*
5. *Amoris inter Nobiles diversi sexus pericula.*
6. *Amoris inordinati inter Spirituales damnum.*
7. *Amoris carnalis remedium fuga, & cogitatio æternorum.*
8. *Libri, & Autores legendi contra Amorem carnalem.*

QUoad primum dixere: quod *Amor carnalis* 1
sit inordinatus appetitus venereorum, aut terrenorum in homine vehementissimus. Ex S. Aug. *lib.* 11. *super Gen. ad lit. cap.* 42. ex Nav. *in Enchirid. cap.* 23. *n.* 12. ex Reginaldo *in Praxi l.* 22. *cap.* 1. 2. & 3. ex Busembaum, *l.* 5. *c.* 3. *dub.* 3. & ex P. Paulo Segnerio in Christ. instructo *par.* 1. *Reg.* 15. *n.* 14. ubi notat, ita vehementem esse passionem Amoris carnalis, ut duos sapientissimos omnium hominum insanire fecerit, quos Deus ipse erudiverat, *Adamum* scilicèt ex nimio amore erga Evam, & *Salomonem* erga mulieres suas.

Quoad Secundum ostensum fuit, Amorem 2
carnalem esse quadruplicem: nempe, *Venereum. Naturalem, Civilem, & Spiritualem.* Amor carnalis *Venereus* est illorum, qui luxuriæ dediti omnem sectantur impudicitiam, & peccata carnalia, ac eorum species frequentant, sive secundùm, sive contra naturam; de quibus ait Apostolus *ad Gal.* 5. 19. *Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria.* Amor carnalis *Naturalis* est illorum, qui inordinatè diligunt propinquos, & sanguine conjunctos; & præcipuè Ecclesiasticorum, nimio amore Nepotes prosequentium, & eos redditibus Ecclesiæ ditare studentium contra Sacros Canones, & Tridentinum Decretum *sess.* 25. *de Reform. cap.* 1. De quibus Carmen.

Cum Factor rerum privasset semine Clerum.
Ad Satanæ votum, successit turba Nepotum.

Amor Carnalis, sed *Civilis*, ille censetur, quem frequentant, ut plurimum, Nobiles sub nomine urbanitatis, Matronis servitutem profitentes, obsequium, & civilem amorem; quos redarguit Psalmista *Psal.* 4. 3. dicens, *Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Amor carnalis tandem *Spiritualis* appellatus, ille est, qui nutritur inter personas spirituales, non ad malum finem, sed cum spiritualis profectus detrimento; sunt enim hi spirituales amantes, sibi adinvicem idola; juxta illud Apostoli *Gal.* 5. 20. *Idolorum servitus.*

Quoad

3 Quo ad Tertium: Effectus & damna Amoris Carnalis *Venerei* sunt præcipuè quatuor. 1. Aufert prudentiam. *Ose.* 4. 11. *Fornicatio, & ebrietas auferunt cor.* 2. Denigrat bonam famam. *Isa.* 34. 3. *De cadaveribus eorum ascendet fœtor.* 3. Accelerat mortem corporalem. *Rom.* 8. 13. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini* 4. Causat amissionem æternæ vitæ *Gal.* 5. 21. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

4 Effectus, & damna Amoris Carnalis *Naturalis* ad unum præcipuum rediguntur, nempè ad transgressionem divinorum mandatorum; siquidem parentes nimis amantes non corrigunt filios, non instruunt, neque (*Tob.* 1. 10.) *Ab infantia timere Deum docent, & abstinere ab omni peccato.* Et multò minùs, ob nimium amorem naturalem, sed carnalem, & non virtuosum, audiunt Apostolum monentem. *Ephes.* 6. 4. *Educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini;* & præcipuè Ecclesiastici non timent in eam periculosam quæstionem descendere, an licite ditentur Nepotes de reditibus Ecclesiæ? de qua Molina *de Just. & Jur. tract.* 2. *disp.* 146. & ego in Decisionibus *de Pœnitentia decis.* 10. *à num.* 5. *usque in fin.*

5 Effectus, & damna Amoris carnalis *Civilis* notantur ab eodem Apostolo *Gal.* 5. 20. dicente: *Inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia;* quæ omnia considerat Sanctus Franciscus Salesius *in Philot. part.* 3. *cap.* 18. & 19.

6 Effectus vero; & damna Amoris Carnalis *Spiritualis* pariter ad unum reducuntur formidabile, videlicèt ad fovendum amorem creaturæ, cum exterminio amoris Dei, qui inter ipsos spirituales amatores unicus esse deberet; & de hoc conqueritur Altissimus *Jer.* 2 12. *Me de reliquerunt fontem aquæ vivæ;* idest Divinæ Charitatis; *& foderunt sibi cisternas dissipatas,* idest reciprocas spirituales, sed non virtuosas amicitias; *quæ continere non valent aquas* laudabilis dilectionis.

7 Quo ad Quartum. *Quæ remedia contra hos amores carnales?* Plurima fuere allegata; sed duo menti, & cordi alliganda. Unum est fugere, & discedere ab his amoribus, & amatis. *Gen.* 35. 2. *Abjicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt, & mundamini.* Alterum cogitare vicinam mortem, & timendam, ac tremendam gehennæ futuram æternitatem. *Ps.* 76. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum.* De Amore Venereo videndi Reginaldus *l.* 22. *c.* 1. 2. & 3. Card. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 10. & *seq.* ac *l.* 8. *c.* 55. ubi de filiabus Luxuriæ. Aresius Episc. Torton. *l.* 6. *Impr.* 199. De Amore Naturali Paulus Segner *in Christ. Instruct. p.* 1. *Rag.* 13. & 14. & Joannes Petrus Glossanus *in Documentis ad Patres famil.* scriptis de mandato Sancti Caroli Borromæi, noviter impressis Paduæ Typis Seminarii, *in Actis Ecclesiæ Patavinæ pag.* 213. De Amore Civili Sanct. Franc. Salesius *in Philotea d. pag.* 3. *cap.* 18. Aresius *l.* 6. *Impr.* 168. & Segner. *p.* 3. *Rag.* 27. & 28. De Amore tandem spirituali P. Franc. Stadiera, Inganni della vita Spirituale *c.* 13. *cap.* 15. & *cap.* 22. & B. Angela Fulginatens. *in Vita cap.* 1. *Reg. ultim. pag.* 223.

DECISIO CXXXIX.

ARGUMENTUM.

Ad avertendos Juvenes à conversationibus pravis, declarat hæc Decisio, quæ, & quot mala insurgant ex conversatione pravorum hominum? Quibus motivis sit ab eorum familiaritate, & amicitia abstinendum?

SUMMARIUM.

1. *Conversari cum perversis quot mala gignat?*
2. *Fama bona perit ex conversatione cum malis.*
3. *Conversatio malorum aufert æternam salutem.*
4. *Conversatio cum malis officit Incipientibus, Proficientibus, & Perfectis.*
5. *Conversatio malorum quot motivis fugienda?*
6. *Epiphaniæ in officio cur non dicatur Invitatorium?*
7. *Exempla fugiendæ malorum conversationis.*
8. *Planeta bonus mala influit conjunctus cum maligno.*

DIctum fuit, innumera esse mala insurgentia 1
ex pravorum hominum conversatione: nam destruuntur ex ea *temporales facultates*, ut in Roboamo Salomonis filio, qui derelinquendo consilium senum, & adhibendo adolescentes, respondit dura populo, & regnum paternum amisit. 4. *Reg.* 12. *Bona fama, & honor*, ut Dina, etsi brevi tempore conversata cum Sichemitis. *Gen.* 34. Hinc *Vinum tuum mixtum est aqua. Isa.* 1. 22. & ex hac mixtione deturpatur color, idest bonum nomen, & bona fama. Item destruitur *vita temporalis*, quam ferè perdidit Josaphat Rex Juda ob amicitiam Regis Achab. 3. *Reg.* 22. Sed periclitatur etiam *salus æterna*, 2
juxta illud *Psal.* 17. 29. *& cum perverso perverteris;* quapropter Hebræi quando *commixti sunt inter gentes, didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum; & immolaverunt filios suos, & filias suas Dæmoniis.* Psal. 105. 35. 3

Conversatio pravorum hominum trahit in ruinam *Incipientes;* nam ex eorum vel malis consiliis, vel iniquis operibus, vel importunis irrisionibus, instar Zacchæi, dum *quærunt videre Jesum*, non possunt *præ turba* istorum pessimorum sociorum, quia *statura*, idest devotione, *pusilli sunt.* Luc. 39. 3. Nec non *Proficientes*, quos, ad instar Exploratorum promissæ terræ, decantatis difficultatibus, & suppositis magnis periculis, ita deterrent, ut in via Dei non audeant perseverare. *Num.* 13. 29. Ac etiam ipsos *Perfectos* ruere dicta pravorum conversatio facit, ut Adamo evenit, quamvis tantis ornato donis, & à Deo præceptis, minis, ac monitis vallato; mulieris enim prævaricatæ exemplum compulit illum prævaricare. *Genes.* 3. 6. 4

Quocirca studiosi nostri addidere, tribus motivis esse abstinendum à familiaritate, & amicitia pravorum hominum. *Primò*, quia amici pravi sunt Vice gerentes diaboli, quos immittit, ne fideles perveniant ad cœlestem patriam; eodem modo, quo Pharao, ne Hebræi egrederentur de Ægypto, *Præposuit eis Magistros operum, ut affligerent eos oneribus. Exod.* 1. 11. *Secundò*, quia imò sunt alteri Dæmones, impedientes bonum, & suadentes malum verbo, opere, & exemplo, itaut de eis dici possit; *Vos ex patre Diabolo estis. Joan.* 8. 44. & 5

Synagoga Satanæ, Apoc. 2. 9. Et *Tertio*, quia pejores sunt ipso Diabolo: hic enim suggerendo tentat, non impellendo, compellendo, & vim faciendo, ut amici pravi, & socii iniqui faciunt; ita ut de ipsis pluries dici possit; *Quæ perfecisti*, idest bona opera, *destruxerunt. Psal.* 10. 3.

6 Igitur concludere: omninò esse cavendum à pravis amicitiis, & fugiendum à malorum conversatione, quamvis bene agere jactitarent; nam Ecclesia Sacri Epiphaniæ diei *Invitatorium* in officio & Psalmum *Venite* omittit, ad docendum Magos, ne Herodis societatem sumant in puero Divino quærendo. Magrius *in Hierolexic. Verb. Invitatorium.* Juvenem malis Sociis adhærentem Custos Angelus alapa percussit. Menoch. *Stuor. Cent. 2. cap. 13. & Cent. 6. ad pag. 362.*

7 Quod de S. Franciscæ Romanæ refert etiam Paulus Segneri *in Panegyr. Angeli Custod. pag. 614.* Et cineres SS. Martyrum admixtos cum impiorum, jussu Daciani Syracusani, miraculosè segregatos testatur Ribadeneira *in Vita Extravag. S. Engratiæ 16. Aprilis.* Hinc semper esse memoriæ tenendum: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea; & qui communicaverit superbo, induet superbiam. Eccl. 13. 1.*

8 Sicut Speculum nitidum maculatur flatu, & planeta bonus mala influit, si conjungatur cum maligno; ita conscientia pura pervertitur conversatione malorum. Hac de causa populo Dei vetitum fuerat, ita: *Cave, ne unquam cum habitatoribus* (scilicet Amorrhæis, & Chananæis) *terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam;* ut late prosequitur P. Didacus Stella *part. 2. cap. 71.* P. Paulus Segneri in Christian. Instruct. *part. 1. ragion. 21. & par. 3. Rag. 33. num. 4. & 5.* S. Franciscus Salesius *part. 3. cap. 20. 21. & 22. Ad Philot.* Episcop. Bituntinus *Conc. 2. de duab. dilectionib.* Paulettus *in Conc. Dom. 4. post Epiphan* & Veratus super versibus Catonis *Cum bonis ambula.*

DECISIO CXL.

ARGUMENTUM.

Eleganti, sed docto stylo declaratur. 1. Quid sit Ira? 2. Quotuplex? 3. Quæ ejus filiæ; 4. Quot species iratorum hominum? 5. Quæ mala nascantur ex ira? 6. Quibus remediis ira curetur?

SUMMARIUM.

1. *Ira quid sit?*
2. *Ira duplex, Virtuosa, & Vitiosa.*
3. *Vitiosa quot modis contingat?*
4. *Iracundus similis cani latranti.*
5. *Iræ filiæ sex. Et quæ?*
6. *Iracundorum genera tria.*
7. *Ira similis torrenti, qui facit mala quatuor.*
8. *Ira curatur remediis decem.*
9. *Thomas Morus quomodo reprimebat iram?*
10. *Mala pœna cur permittantur nobis à Deo?*

1 AD *Primum* dixere: Quod *Ira sit accensio sanguinis circa cor, propter apprehensionem contemptus, cum appetitu vindictæ.* Arist. 1. *de Anima cap. 2.* & ibi Maurus *tom. 4. n. 14. pag. 214.* Alii: Quod sit *immoderata cupiditas puniendi, & ulciscendi eum, à quo sumus injuria læsi.* Ex Cicer. *lib. 2. Rhet. cap. 2.* & ex Azorio *tom. 1. lib. 3. cap. 17. de Ira quæst. 1. pag 164.*

Ad *Secundum.* Quod ira sit duplex. *Virtuosa*, quando iascimur contra vitia, contra dæmonem, contra peccata, contra malas nostras 2
inclinationes, ad eas cohibendas, juxta illud: *Irascimini, & nolite peccare. Psal. 4. 5. & Eccl. 7. 4. Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis.* Arist. *lib. 3. Ethic. cap. 8. num. 6.* Et hæc facit hominem fortem Maurus *in Comment. ibi tom. 2. pag. 78.* Card. Tolet. *lib. 8. cap. 57. num. 1.* Carol. de Matta *de Canonizatione Sanctor. part. 2. cap. 10. num. 27.* Et *Vitiosa*, quæ accidit quinque modis. 1. Irascendo, quibus non oportet, ut de equo, de saxo, de filo, 3
de calamo, de aleis. 2. Ex causis, ex quibus non oportet: ut de fractura vitri, effusione ampullæ. 3. Magis, quam oportet, ut exclamando, vel percutiendo filios. 4. Citius, quàm oportet, non expectando plenam informationem. Et 5. Longiori tempore, quàm oportet, retinendo iracundiam, juxta illud *Eccl. 7. 10 Ira in sinu stulti requiescit.* Arist. *lib. 4. Ethic cap. 5.* Maurus *ibid. num. 7. 8. pag 109. Et Ethic. lib. 7. cap. 6.* ubi iracundum facit similem 4
cani latranti, & nescienti contra quem, & ultraquàm oporteat: quod explicat etiam Paulus Segneri *in Christian. Instruct. part. 1. rag. 21. num. 4. & seqq.*

Ad *Tertium* pariter dixere; sex esse filias Iræ. *Indignationem* in corde. *Tumorem mentis*, cogitando modum vindictæ. *Clamorem*, inordinate, & confuse loquendo. *Contumeliam*, profe- 5
rendo verba injuriosa. *Maledictionem* vel in Deum per blasphemias, vel in proximum per imprecationes. Et *Rixam* percutiendo, vulnerando, belligerando. S. Thomas 1. 2. *quæst. 46 art. 6. & 2. 2. quæst. 158. art. 7.* Reginald. *in praxi lib. 21. num. 126.*

Ad *Quartum*: tres esse species iratorum homi- 6
num. Nam alii vocantur *Acuti*, seu veloces ad iram, quam tamen citò deponunt. Alii *Amarulenti*, qui iram diu retinent. Tertii *Insensi*, qui absque vindicta non placantur. Arist. *d. lib. 4. Ethic. cap. 5.* & ibi Maurus *in Comment. num. 7. 8. 9 & 10.* S. Gregorius *lib. 5. Moral. cap. 3.* Reginaldus *d lib. 21. num. 124.*

Ad *Quintum* scripsere, Iram ea mala facere, 7
quæ causantur à Torrentibus, scriptum est enim: *Spiritus ejus velut Torrens inundans usque ad medium collis, ad perdendas gentes in nihilum.* Torrens quatuor mala facit. Destruit vias: corrodit campos: submergit vicina loca: & omnia sibi obviantia diluit. Sic Primò, Ira destruit vias rationis, nam *Ira viri Justitiam Dei non operatur. Jac. 1. 20.* siquidem dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. S. Greg. *dict. lib. 5. Moral. cap. 3.* Secundò, corrodit vires corporis, quia *Zelus, & iracundia minuunt dies. Eccl. 30. 26.* Tertiò consumit facultates, & bona. *Qui seminat iniquitatem, metet mala: & Virga iræ suæ consummabitur.* Prov. 22. 8. Et Quartò, offendit propinquos, & amicos. *Ira non habet misericordiam, nec erumpens furor; & impetum concitati spiritus ferre qui poterit?* Prov. 27. 4.

Ad *Ultimum* indixere sequentia remedia decem, Videlicet, Primum: Non sibi rationem dare, sed propriis demeritis offensam tribuere; nam 8
ut inquit S. Augustinus *lib. de Vera Innoc. cap. 3. Nulla irascenti sua Ira videtur injusta.* Secundum: tardum esse ad iracendum, dicebat enim Seneca *lib. 2. de Ira cap. 26. Magnum Iræ remedium, Mora*

lis

Et Regius Psaltes *Psal.* 75. 5. *Turbatus sum, & non sum loquutus.* Et Apostolus *Jac.* 1. 10. *Sit autem omnis homo tardus ad iram.* Tertium: ubi insurrexerit ira, & indignatio, eam statim reprimere, & deponere, juxta monitum Apostoli Pauli *ad Ephes.* 4. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Quartum: servare animum dispositum, & præparatum ad recipienda contraria; ne inopinatò, & ex improviso dicantur evenire, prout patientissimus Job faciebat. *Job.* 3. 25. *Timor, quem timebam, evenit mihi, & quod verebar, accidit.* Quintum: scire & pro certo habere, quòd in hoc mundo plurima sint habenda mala, & ideò *In die bonorum ne immemor sis malorum. Eccl.* 11. 27. Sextum: recordari proprios defectus, & ita compati, & sufferre alios, prout delectat nos ipsos tolerari, quod docebat Apostolus *ad Colos.* 3. 12. *Induite vos, sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes invicem, & donantes.* Septimum: decernere, & velle semper, ut ajebat idem Apostolus, *Non vinci à malo, sed vincere in bono malum, ad Rom.* 12. 21. Et benefacere etiam offensoribus, pacem servando etiam cum rixosis, & malevolis, ad exemplum David, profitentis, *Psal.* 119. 7. *Cum his, qui oderunt pacem, eram Pacificus.* Octavum: obsequi, & obedire illi Dominico præcepto; Matth. 5. 44. *Ego autem dico vobis; diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt Vos.* 9 Nonum: imitari Heroem Virum Thomam Morum, qui ad reprimendam iram sic ratiocinabitur, (ut habetur *in addit. ad Summ. Toleti lib.* 8. *cap.* 58.) *Bonus est, vel malus, cui irasci vis? Si bonus: immeritò vis ei irasci, quem amat Deus. Si malus? Vel talis erit in æternitate, vel bonus fiet? Si semper malus erit: satis replebitur miseriis in æternorum malorum abysso: unde potiùs misereri, quàm irasci debes. Si in æternitate bonus futurus est, iniquum est ei irasci, qui Deo gratus, & tibi æternæ amicitiæ nodo amicus futurus est.* Decimum, & Ultimum: scire, & credere; quòd omnia pœnalia, afflictiones, contradictiones, calumniæ, infirmitates, & cujuscunque generis flagella, & 10 mala (culpis exceptis) permittantur à Deo in bonum animarum nostrarum; testante Scriptura *Amos* 3. 6. *Si erit malum in Civitate, quod Dominus non fecerit?* Cur igitur irascendum, dolendum, maledicendum de his, quæ ab Altissimo, Sanctissima sua Providentia permittuntur? Imitandus *Job.* 1. 21. *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Imitandus David *Psal.* 38. 10. *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti.* Imitandus Ezechias *Isa.* 38. 15. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?* Imitandus Redemptor Noster, ex cujus ore Divino illud prodiit: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* Joan. 18. 81.

Plurima alia, & quidem eruditissima fuerunt allegata pro remediis iræ à studiosis nostris, quæ brevitatis causa omittuntur: & poterunt reperiri *in Homil.* S. Basilii in S. Greg. *lib.* 5. *Mor. cap.* 31. apud D. Chrysost. *Hom.* 29. 30. 31. *ad popul. Antioch.* in Marchantio *Tuba Sacerdot. tract.* 6. *lect.* 1. in Fornario post Tolet. *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 14. in Reginaldo *lib.* 7. *à num.* 70. *& seqq. & lib.* 21. *à num.* 121. in Christiano Instructo Pauli Segner. *part.* 1. *Rag.* 21. *per totum*; ultra tractatus PP. Granatæ, & Rodriquezii, & Philothæ S. Francisci Salesii *p.* 3. *cap.* 8. de Ira.

DECISIO CXLI.

ARGUMENTUM.

Tractat præsens Decisio. Quid sit Gula? Quot, & quibus modis contingat peccare per Gulam? Quot effectus, seu Filiæ ejus? Quot mala producat? Quibus remediis obviandum iisdem?

SUMMARIUM.

1. *Gula quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Gulæ peccatum committitur quinque modis.*
4. *Gula in peccato an dentur species diversæ?*
5. *Comedere ante meridiem in die Jejunii an sit peccatum?*
6. *Comedens pluries in quacunque die an peccet?*
7. *Comedere ante Missam diebus festis an sit peccatum?*
8. *Comedens lautos cibos quando peccet?*
9. *Comedens nimis an peccatum committat?*
10. *Epulones edentes, & evomentes rei sunt mortalis culpæ.*
11. *Comedens cum voracitate an peccet?*
12. *Studiositas nimia in cibis condendis quando sit peccatum?*
13. *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non esse peccatum, Propositio damnata.*
14. *Epicurei ultimum finem ponebant in delectatione gulæ.*
15. *Circumstantiæ exprimendæ in confessione circa peccatum gulæ.*
16. *Effectus pernicioſi gulæ quinque.*
17. *Gula producit quatuor damna.*
18. *Gula tribus remediis curanda.*
19. *Vincentii Caraffæ Generalis Soc. Jesu dictum circa gulam.*
20. *Comedens cum Temperantia semper comedit cum gustu.*

Quid sit Gula? Omnes dixere: *esse inordinatum appetitum cibi, vel potus, quatenus delectationem adfert.* Ita ex S. Thom. 2. 2. *quæst.* 148. *art.* 1. Card. Tolet. *lib.* 8. *cap.* 59. & Georg. Gobat. in suo Quinario *Tract.* 5. *de Vitio Gulæ cap.* 23. *num.* 4. & 5. Et vocatur *Comessatio*, seu *Crapula*, dum exercetur gula in edendo, *Ebrietas* verò, cum in potando. 1 2

Quot, & quibus modis contingat peccare per Gulam? Dictum fuit, peccare contingere per Gulam modis quinque, hoc carmine comprehensis. *Præpropere: Lautè: Nimis: Ardenter: Studiosè.* Et desumuntur ex S. Gregorio *lib.* 3. *Moral. cap.* 27. per S. Thom. *dict.* 2. 2. *quæst.* 148. *art.* 4. ut notat Gobat. *d. tract.* 5. *cap.* 23. *à num.* 41. *& seqq.* ubi *num.* 52. 53. 54. & 55. advertit, altercari Doctores, an supradicti modi constituant species diversas in confessione explicandas, vel tantummodò circumstantias aggravantes peccatum Gulæ? & cum Azor. *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 18. tenet, esse meras circumstantias, adeòut sufficiat, si Pœnitens dicat, peccavi Gulæ peccato; absque eo quod explicet, vel edendo laute, vel nimis, vel alio ex dictis modis. 3 4

Præpropere peccare contingit edendo, quando quis tempore jejunii ante horam consuetam comedit, vel citiùs, quam ex voto, vel pœnitentia deberet. Joan. Sanctius *disp.* 2. *num.* 14. Ideò aliis diebus edere summo mane, vel pluries in die, est solùm veniale; quamvis ob offensam sanitatis, qui 5 6

sæpè comedit in die cum offensione sanitatis, graviter peccat secundum S. Antonin. *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 1. §. 9. Gobat. *d. cap.* 23. *num.* 65. & 66. ubi hi versus.

Qui semel est, Deus est; Homo, qui bis: Bestia, qui ter:
Qui quater, est Dæmon: Qui quinquies, est Sua mater.

Porrò quamvis pueri, & rustici non peccent, edentes summo manè diebus festis ante auditam Missam; sunt tamen hortandi, ut priùs Missam audiant; nam fiunt indevoti, & inhabiles ad mentem in Deum elevandam. S. Antonin. *cit.* §. 7 9. Gobat ubi suprà *num.* 62. *& seqq.* ubi legitimas esse causas pluries comedendi in die docet: *Magnum laborem, ætatem puerilem, hospitalitatem, urbanitatem, & singularitatis fugam.*

Lautè. Hoc verbo illi denotantur per Gulam peccare, qui magnos, & excessivos valdè sumptus faciunt ad lenocinandum gulæ, pro habendis cibis pretiosis, & delicatis, non convenientibus conditioni sui status, ut si vir pauper, religiosus, vel civis mediocris fortunæ propter delectationem edere velit frequenter phasianos, lampredas, sturiones, truttas, & hujusmodi, ac bibere Vina Malvatica, Vernatica, Græca, & ex ultra mare venientia, vel ex collibus Vicentinis. S. Thom. *dict. quæst.* 148. *art.* 4. S. Anton. *cit. cap.* 1. §. 6. Gobat. *d. cap.* 23. *à num.* 75. *& seqq.* ubi excusat ab hoc vitio, si prædicta ex aliquo accidenti, viliori pretio haberentur, vel à divitibus dono da- 8 rentur, aut in Mensa Dynastæ, vel semel, aut bis, occasione nuptiarum, vel hospitum emerentur ad manducandum.

Nimis. Idest, Qui ex mera intemperantia ita 9 multùm vorat, & haurit, ut revomere cogatur. Quamvis enim una regula omnibus servire non possit circa quantitatem cibi sumendi; attamen, qui ultra vires sui stomachi comedit, cum sanitatis offensione, & eò magis, qui advertenter se cibo, potuque ingurgitat, & evomit, ut alteri cibo locum faciat, graviter peccat. Fernandez *in Exam. part.* 4. *cap.* 2. §. 6. Escobat *tract.* 2. *Exam.* 2. *num.* 2. Gobat *d. cap.* 23. *num.* 92. Quamvis ibi non desint DD. à mortali culpa excusantes hos epulo- 10 nes; sed perperam ob Propositionem damnatam infrà referendam.

Ardenter. Videlicèt, quando quis voraci- 11 ter comedit cibos, non mansos deglutiendo, ut faciunt leones, & canes, cum immodestia notabili. S. Antonin. *d. tit.* 6. *cap.* 1. §. 8. Lessius, Sancius, & alii apud Gobat *d. tract.* 5. *cap.* 23. *à num.* 94. *& seqq.* in quibus notat, hoc modo vix mortaliter peccari; quamvis enim non parùm noceat valetudini tuburcinari, seu bolos non mansos more ciconiarum in stomachum deijcere, ut plurimum quisquam ad hoc nocumentum non advertit, & facile non est omnibus, non festinanter, seu ardenter edere, & potare.

Studiosè. Tandem gulæ peccatum est, scilicèt 12 ponendo multum tempus, & curam ad præparandos cibos, ut magis delectent: puta, ut sint variati, assati, lixi, cum aromatibus, & cum saporibus. S. Antoninus *cit. cap.* 1. §. 7. S. Gregor. & S. Thomas apud Gobatum *d. cap.* 23. *num.* 100. quamvis Sancius *d. disput.* 2. *num.* 14. & Pasqualig. *de jejun. decis.* 13. negent, esse peccatum, quærere voluptatem, & delectationem in cibis; quorum opinionem non esse amplectandam constat, tùm 13 quia contraria est doctrinæ SS. Patrum, quos allegat Gobatus *ubi proximè num.* 108. tùm quia damnata est in Propositione octava à Sanctissimo Innocentio XI. Sanctæ memoriæ *die* 4. *Martii* 1679. *Lat VIII.* quæ sic asserebat: *Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Condimentum tamen moderatum in cibis non est reprehensibile, attenta conditione status personarum. Gobat *ibid. num* 105. qui tandem *num.* 113. replicat, hos modos non esse explicandos ex necessitate in confessione, nisi quando in eorum aliquo quis posuit ultimum finem, judicando scilicèt, delectationem gulæ esse summum, & ultimum bonum, ut faciebant Epicurei, vel ita erga gulam est affectus, ut 14 paratus sit omnia jura divina, & humana violare, vel si non omne peccatum committere, saltem aliquod mortiferum est patraturus, ut gulæ suæ satis- 15 faciat. Reginald. *in Praxi lib.* 22. *num.* 53. Lessius *lib.* 4. *de Just. cap.* 3. *num.* 6. & Baldellus *lib.* 3. *disp.* 28. *num.* 7.

Quot sint effectus, seu filiæ Gulæ? Dixere pariter esse quinque 1. *Hebetudinem sensus*, idest offuscationem intellectus, ortam ex ciborum fumositate, impedientem operationes animi, & rationis. 2. *Ineptam lætitiam*, quæ facit inaniter hilarem, & excitat ad saltus, cantus, tripudia, ludos, histrionatus actus, & instrumentorum diversorum sonitus. 3. 16 *Multiloquium*, ex quo detractiones, & secretorum revelationes. 4. *Scurrilitatem*, tùm verbis, tùm factis inhonestis ad excitandum risum. 5. *& immunditiam*, scilicèt, inordinatam emissionem quarumcunque superfluitatum, vel per vomitum, vel per pollutionem. Ita ex S. Thoma, & S. Antonino, Gobatus *d. tract.* 5. *cap.* 23. *à num.* 195. *& seqq.* Card. Toletus *d. lib.* 6. *cap.* 62.

Quot mala producat Gula? Dixere, quatuor præcipua. 1. Egestatem in familiis. *Prov.* 21. 10. 17 *Qui diligit epulas, in egestate erit: & qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur.* 2. Infirmitates in corporibus. *Eccles.* 37. 33. *In multis escis erit infirmitas.* 3. Vitæ brevitatem. *Ibid.* 34. *Propter crapulam multi obierunt.* 4. Periculum damnationis æternæ. *Phil.* 3. 19. *Quorum finis interitus: Quorum Deus venter est.* Hinc. *Luc.* 16. 23. *Mortuus est autem dives* (Epulo) *& sepultus est in inferno.*

Quibus remediis obviandum his malis? Præter adduc- 18 ta ad Casus prudentiales supra *Decis.* 14. *num.* 12. nec non *Decis.* 112. & Autores ibi citatos, ulteriùs dixere, & indixere tria remedia. I. Comminationem illam Salvatoris nostri *Luc.* 21. 34. *Attendite autem vobis, nè fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate.* II. Vilitatem corporis, quod dedecet exquisitis cibis nutrire, tanquam jumentum vile. Eccl. 33. 25. *Cibaria, & Virga, & Onus Asino.* Hinc proverbium Religiosi Viri, esse tractandum corpus nostrum, eodem modo, quo 19 Princeps tractaret equum suum, si illius sordes pluries in die manu propria strigili detergere cogeretur; ageret enim hoc citò, & malè. Bartoli in Vita P. Vinc. Caraffæ *lib.* 2. *pag.* 321. III. Jucunditatem ex temperantia provenientem; qui enim moderatè comedit, & cibos ordinatos, ac absque condimentis, (ut Eminentissimi nostri Præsulis mos constans est tantummodo admittere) semper jucundè comedit; siquidem *Prov.* 27. 7. *Anima saturata calcabit favum: & Anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet.* 20

DE-

DECISIO CXLII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, Quid sit Accidia? Quæ, & quot ejus filiæ? Quæ, & quot damna ex ea procedant, potissimùm in animarum Pastoribus? Quæ remedia adhibenda contra hoc vitium?

SUMMARIUM.

1. *Accidia undè dicta.*
2. *Ejus definitiones plures.*
3. *Accidiæ filiæ sex, & quæ?*
4. *Accidia vitium est oppositum Charitati. Et cur?*
5. *Accidia præcipuè grassatur in Parochis.*
6. *Diabolus quale thema dedit Clerico prædicaturo in Synodo?*
7. *Accidiæ remedium quale?*
8. *Exempla famulantium Deo cum fervore.*

1 DIxere studiosi nostri, Accidiam, seu Acediam derivari ab *A*, id est *sine*, & *Cedia* verbo græco, id est solicitudine, quasi sine solicitudine: vel ab *Aceto*, seu *Acredine* juxta illud *Prov.* 10. 26. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum in via.* Videlicèt, sicut acetum infert nocumentum dentibus, sic accidia causat spirituale nocumentum animæ, id est acredinem quandam, ex qua tædet animam boni spiritualis, tanquàm difficilis. Alens. *part.* 2. *q.* 157. *membr.* 1. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in* 3. *lib. Sentent. tom.* 4. *disput.* 14. *num.* 103. *& seqq.* ubi *num.* 106. refert plures definitiones Accidiæ, ex SS. Patribus collectas, nempè quod sit *Tristitia aggravans mentem, qua quis bonum inchoatum fastidit.* Ex
2 S. Joan. Damasceno *lib.* 2. Vel *Torpor mentis, bonum inchoare negligentis.* Ex Richardo de S. Victore. Vel quod sit *Diffidentia implendi mandata* ex Alens. *ubi supr. membr.* 2. Et potest esse vel in parte sensitiva, & non est peccatum; vel in parte rationali, & tunc vel procedit ex malo corporali, & pariter non est peccatum, vel ex bono spirituali, & in hoc casu est peccatum, ut luculenter explicat Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disput.* 14. *art.* 6. *num.* 123. *&* 124.

Sex autem sunt ejus filiæ. *Desperatio* consequendi finem supremum. *Pusillanimitas* in exe-
3 quendis Divinis consiliis. *Torpor* in adimplendis præceptis. *Malitia*, odio habendo bona spiritualia. *Rancor*, fastidiendo Superiores, & Religiosos. *Evagatio mentis*, se indevotè gerendo in his, quæ spectant ad Deum. Cardin. Toletus *lib.* 8. *cap.* 80. Reginaldus *lib.* 17. *num.* 109. & Layman. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 9.

Damna sunt plurima, & ea omnia, quæ pro-
4 veniunt ex otio, relata à SS. Patribus apud eundem Eminentiss. Cardin. de Lauræa *dict. disput.* 14. *art.* 6. *num.* 118. *& seqq.* ubi firmat, quod Accidia, quamvis opponatur Spei, & patientiæ, specialius tamen sit vitium oppositum charitati, quæ reddit facilia omnia difficilia; nam nihil Amanti difficile; sed Accidia econtra facilia apprehendere facit, ut difficilia. In Parochis verò,
5 & animarum Pastoribus miserrimè grassatur; ex eorum enim ignavia sequuntur perditiones Animarum, quas nec Verbo Dei erudiunt, nec Sacramentis pascunt, neque exemplo communiunt. Ideò Sacerdoti prædicaturo in Synodo diabolus dedit thema, ut gratias ageret toti Clero ob
6 Accidiam, ex qua ipse lucrabatur infinitas animas, ut refert Cantipraten. *lib.* 1. *cap.* 20. & Paul. Segneri *in Christian. instruct. part.* 1. *serm.* 14. *num.* 5.

Remedia plurima adducta fuere, quorum præcipuum, & cæteris efficacius est, considerare, cui 7
servitur? Id est Deo; qui dignus est infinitò obsequio, & qui liberalissimè remunerat sibi servientes. Hinc omnes boni famulati sunt ei cum fervore, & absque Accidia. Israelitis dictum fuit, ut agnum comederent festinanter: *Exod.* 12. 11. Hospitaturus tres Angelos *Festinavit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitque ei, accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit. Genes.* 18. 6. Pastores, audita nativitate Salvatoris, ut eum venerarentur, *Venerunt festinantes, & invenerunt Mariam, & Joseph, & infantem positum in Præsepio. Luc.* 2. 16. Zachæus vocatus à Domino, *festinans descendit, & excepit illum gaudens. Luc.* 19. 6. Deipara, omnium virtutum Magistra, ut visitaret Elisabeth, *abiit in montana cum festinatione. Luc.* 1. 39. Ipse Unigenitus Dei Filius, qui humiliavit semetipsum pro nobis, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, *Exultavit ut gigas ad currendam viam. Psalm.* 18. 7. Quare Apostolus non cognovit hac exhortationem majorem ad expellendam accidiam in Dei servitio, & ut fervore summo fidelium corda accenderentur, videlicèt, proponendo Redemptoris exemplum dicens: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in autorem fidei, & consummatorem JESUM, qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta. Hebr.* 12. 2. Quare hæc, & similia attentè meditantes, potissimùm Parochi, exuent se omni tepore; & in animarum cura erunt *Sollicitudine non pigri, Spiritu ferventes, Domino servientes. Rom.* 12. 11.

DECISIO CXLIII.

ARGUMENTUM.

In præsenti Decisione ostenditur: Quanta sit Comœdiarum inhonestarum pernicies? Quibus motivis sit ab eis abstinendum?

SUMMARIUM.

1. *Histriones undè dicti?*
2. *Histrionum species diversæ, & quæ?*
3. *Comœdiæ illicitæ quatuor ob causas.*
4. *Comœdiæ diebus festivis factæ causant inundationes, & tempestates.*
5. *Clerici Comici sunt irregulares.*
6. *Maleficium triplex.*
7. *Comœdiæ excitant inhonestos amores.*
8. *Causant interritum animæ.*
9. *Comœdiis obscœnis nihil pernicioſius.*
10. *Comœdiæ auferunt attentionem ad animæ pericula.*
11. *Comœdiæ fugiendæ ob tria motiva.*

DOctiores in hoc amplissimo Clero, & eruditis calamis scribentes, præmiserunt: Histri- 1
ones, qui in Scenis comœdias, vel tragœdias agunt, sic esse dictos vel ab Historiis, quas repræsentabant, vel quia apud Tuscos (undè à Romanis histriones sunt acciti) Ister idem significabat, quod Ludio, sivè Ludius, ut Tit. Livius scribit *lib.* 7. *post princ.* Valer. Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. & Plutarchus *in Problem. Rom. cap.* 7. Histrionum autem varias esse species, siquidem alii dicuntur *Mimi*, alii *Pantomimi*, alii *Archimimi*, alii *Ethologi*, seu *Ethopœi*, alii *Timelici*, & alii *Chironomi*, quorum 2
significationem declarat Budæus in Pandectis *in l. Athletas. ff. de his, qui not. infam.* & Alexand. ab

Alex. *Dier. genial. lib. 6. cap.* 19. Prout etiam Hiſtrionum alios vacaſſe ludis gymnicis, & hi dicebantur Athletæ, luctatores, & Curſores, & Pugiles: alios ludis ſcenicis, qui erant Mimi, Pantomimi, & alii ſupradicti; quorum officium illicitum decreverunt eſſe tum leges civiles. *l. 1. in fine ff. de Servo corrupto. l. Imperialis. §. Præſente. C. de Nupt. l. Certiſſimè 44. C. de Epiſc. aud.* tùm Sacri Canones, *cap. Propterea 15. diſt. cap. Presbyteri* 34. *diſt. cap. Nullus* 44. *diſt. cap. Non oportet diſt. 5. cap. Donare* 86. *diſt.* Ac propterea hos hiſtriones deteſtati ſunt SS. Patres, quos cumulat Paul. Segnerius *in Chriſtiano Inſtruct. part. 3. ſerm.* 31. *in princ.* D. Joan. Chryſoſt. *tom. 1. Homil. de David, & Saule:* & Petrarcha *de Remed. Utriusque fortun.* Intelligendi tamen de hiſtrionibus inhoneſtas Comœdias facientibus; ſecùs ſi opera moralia, vel pia repræſentent. Gloſſa *in c. Cum decorem. Verb. Monſtra larvarum, de Vita, & honeſt. clericor.* & ibi Innoc. Hoſtien. & Butrius *num.* 6.

Idcircò addidere; Comœdias eſſe illicitas
3 quadruplici de cauſa. Primò Ratione materiæ ſi contineant luxurioſa, obſcœna, ſatyrica. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 167. *art.* 2. *&* *quæſt.* 168. *art.* 3. Menochius *de arb. caſu 69. num.* 28. *&* 29. Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *diſput.* 46. *num.* 41. *&* 42. Paul. Comitol. *lib. 5. quæſt.* 11. *num.* 4. Secundò ratione loci, ut ſi recitentur in Eccleſiis. *dict. cap. Cum decorem, & Clem.* 1. & utrobique Gloſſa & DD. *de Celebrat. Miſſar.* ut non multò ante factum eſt Brixiæ; ſed deſcendit ignis maximus ultor. Tertiò ratione temporis, nempe in Quadrageſima, & diebus feſtivis, præcipuè ſolennioribus Paſchatis, & Pentecoſtes, ac Deiparæ. *l. fin. C. de Fer. cap. Quadrageſima diſt.* 4. *&* *de Conſecr. diſt.* 5. Julius Chartar. *Criminal. deciſ.* 2. *num.* 57. & ſunt *tex. in cap. Irreligioſa. de conſecr. diſt.* 3. *&* *cap. Qui die de Conſecrat. diſt.* 1. Quod,
4 heu! male ſervatur Paduæ; & proindè inundationes, & tempeſtates frequentes. Quartò ratione perſonarum, ſi comœdias, etſi honeſtas, recitent clerici, *d. cap. Cum decorem cap. Clerici. De Vita, & honeſt. clericor. cap. Unico eod. tit. in* 6. Concil. Trident. *Seſs.* 22. *cap.* 10. *&* *Seſs.* 24. *cap.*
5 12. Carol. de Graſſis *de Effect. Cleric. Effect.* 1. *num.* 1234. Et propterea hiſtriones clerici, ſeu Comici ſunt irregulares, *cap.* 1. *&* *cap.* 3. 51. *diſtinct. cap. Maritum.* 33. *diſt.* Bellett. *diſquiſ. Cl ric. part.* 1. §. 10. *num.* 81, & ſic incapaces ſunt ordinum, & beneficiorum. Garzias *de Benefic. part.* 7. *cap.* 8. *num.* 4. *&* 5. & amittunt privilegium tùm clericale tùm canonis. Ricciullus *De Perſonis, quæ in ſtatu reprobo verſan. lib.* 5. *cap.* 13. ubi cumulat *text. & DD.*

His præmiſſis, caſui reſpondentes dixere; tan-
6 tam eſſe comœdiarum inhoneſtarum perniciem in animabus, quantam Maleficiorum in corporibus. Quandoquidem ſicut triplex eſt Maleficium; *Amatorium, Hoſtile, & Somniferum;* Martin. Delrio *Magic. diſquiſ. lib.* 3. *part.* 1. *quæſt.* 1. horum omnium effectus peſſimos Comœdiæ inhoneſtæ producunt. Amatorium maleficium magnitudine amoris amantes in furorem vertit. Idem agunt comœdiæ; undè ait Minit. in octav. *Enervis hiſtrio, amorem dum fingit, inſtigit.* Et de ſe
7 teſtatur Divus Auguſtinus *lib.* 3. *Confeſſ. cap.* 1. *Rapiebant me ſpectacula Theatrica plena imaginibus miſeriarum mearum, fomitibus ignis mei;* quare exclamat S. Iſidor. *lib.* 3. *de ſum. bono cap.* 3. contra hiſtriones: *Per oblectamenta inanium fabularum mentem excitant ad incentivæ libidinem.* Et poſt conſimilem invectivam S. Cyprian. *lib.* 2. *Epiſt.* 2. concludit: *Quære jam nunc, an poſſit eſſe, qui ſpectat, integer, vel pudicus?* Nec omittendum quod ſcripſit Petrarcha *de remed. utriusque fortun.* videlicet, *Pudicitiam in ſpectaculis ſæpe ſtratam, ſemper impulſam; multarum mulierum ibi famam periiſſe: plures inde in domum impudicas: plures ambiguas rediiſſe; caſtiorem verò nullam.* Ita refert Ricciull. *cit. lib. 5. cap. 2. num.* 5.

Maleficium hoſtile ad offenſionem tùm corporalis vitæ, tùm bonorum temporalium dirigi- 8
tur, at inhoneſtæ Comœdiæ ad perditionem ſpiritualis vitæ, & hæreditatis æternæ. Tres ſunt animarum hoſtes: Mundus, Caro, Diabolus, & his tribus arma miniſtrant, famulantur, & juvant hiſtriones in perniciem animarum ampliorem; nam, ut ait Salvianus Epiſcopus *de Gubern. lib.* 6. *In Theatris nihil horum reatu vacat: quia, & concupiſcentiis animus, & auditu aures, & aſpectu oculi pollluuntur;* & quod Mundus ſatagit longo uſu inſinuare, caro diverſis temporibus apprehendere, & diabolus variis argumentis ſuadere: id unica inhoneſta comœdia, uno die, in cordibus audientium, & ſpectatorum imprimit, teſtante Seneca *Epiſtol.* 7. Quod, *Nihil tàm damnoſum* 9
bonis moribus, quàm in aliquo ſpectaculo deſidere: tunc enim per voluptatem facilius vitia ſubrepunt. Et bene proteſtante D. Clem. Alexand. *lib.* 3. *Pædag. cap.* 11. Quod, *Non inconcinnè Theatra Cathedram peſtilentiæ quis vocet.*

Somniferum tandem Maleficium aſtruitur ad 10
inducendam profundam dormitionem, qua durante fures prædari valeant, ut eleganti exemplo demonſtrat Martin. Delrius *dict. lib.* 3. *p.* 1. *quæſt.* 2. Simile agunt inhoneſtæ ſcenicæ repræſentationes, quarum delectatio obdormire facit ſpectantium mentes, ne damnationis æternæ pericula videant juxta illud *Sapient.* 4. 12. *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona.* Et nihilominùs ſomnifero hoc maleficio opprimuntur tùm qui illas vetare deberent, & ſinunt; & qui fugere jure tenentur, & frequentant, ita ut ad omnes cum Apoſtolo *Gal.* 3. 1. ſuccłamare liceat: *O inſenſati, quis vos faſcinavit?* vel potiùs cum Divo Auguſtino in *Pſalm.* 50. *Deprecanda eſt miſericordia Dei, ut donet intellectum ad iſta damnanda, affectum ad fugienda, miſericordiam ad ignoſcenda.*

Ultimò tria docuere motiva fideles omnes, ut 11
putreſcentes horreant comœdias. 1. Quia his in ſpecie quilibet abrenunciavit in baptiſmate. S. Salvianus *de Provid. l.* 6. *Quomodo, ô Chriſtiane, poſt baptiſmum ſequeris, quà opus eſſe Diaboli confiteris? In ſpectaculis quædam apoſtaſia Fidei eſt.* 2. Quia ad obtinendam culparum, quibus magno numero opprimimur, remiſſionem, opus eſt pœnitentia, non ſolatiis. S. Joan. Chryſoſt. *hom.* 6. *in Matth. Lacrymis tantùm pœnitentia promittitur remiſſio, & inter hæc Theatra ſectamur?* 3. Quia non ſatis eſt præſervare ſe a conſenſu; ſufficit enim conventus ad participandam impudicorum hiſtrionum malitiam, & iniquitatem. S. Salvianus *d. l.* 6. *de Provid. Solæ ſpectaculorum impuritates ſunt, quæ unum admodum faciunt & agentium & aſpicientium crimen.* Quod latiùs proſequitur in elaborato, ac percelebri *cit. ſerm.* 31. *par.* 3. *Chriſt. Inſtr.* Paulus Segner Ricciull. *d. l.* 5. *per totum.* Hierolexic. *in Verb. Amen.* Julius Mazzarin. *ſuper Pſ.* 50. *diſc.* 58. P. Jo. Stephan. Menoch *in Hiſtor.*

Histor. Miscell. p. 1. num. 88. & num. 219. ubi ex Lactan. Firmian. *lib. 6. cap. 20.* Ita concludit: *Vitando ergo spectacula omnia, ne ejus nos voluptatis consuetudo deliniat, & à Deo, atque à bonis operibus avertat.*

DECISIO CXLIV.

ARGUMENTUM.

Dilucidat præsens Decisio. Quid, & Quotuplex sit Mendacium, & Quale peccatum? An aliquando liceat dicere mendacium? An ad celandam veritatem in aliquo casu sit licitum adhibere restrictiones mentales; sive Verba æquivoca, aut amphibologica? Quæ mala eveniant à mendacio? Quibus industriis Parocho utendum, ut fideles abstinere, & abhorrere faciat à mendaciis?

SUMMARIUM.

1. *Mendacium quid sit?*
2. *Quotuplex?*
3. *Mendacium an semper sit peccatum?*
4. *Mendacium jocosum, & officiosum cum Juramento est mortale.*
5. *Mendacium semper illicitum.*
6. *Restrictiones mentales non excusant à mendacio.*
7. *Fagnanus fuit Fiscalis acerrimus contra Propositiones damnatas.*
8. *Amphibologiis an uti liceat ad celandam veritatem?*
9. *S. Francisci dictum Amphibologicum.*
10. *Veritatem omnem manifestare aliquando non tenemur.*
11. *Sancti Athanasii responsio Amphibologica.*
12. *Amphibologia illicita in confessione fidei, vel ubi agitur de damno proximi.*
13. *Rustici cujusdam Amphibologia perniciosa, & punita.*
14. *Veritas in judicio non est occultanda.*
15. *Reus quando possit tacere veritatem Judici?*
16. *Judex debet Reum certum facere de indiciis, & probationibus contra eum in processu existentibus.*
17. *Marcus Marchianus Abbas, & Episcopus Feltrensis laudatus.*
18. *Mendacii damna tria.*
19. *Eudoxiæ Imperatricis mendacium de pomi esu.*

1. DIxere: Quod mentiri sit contra mentem ire, ex S. August. *lib. 1. contra mendacium cap. 42.* & ideò ipse S. Doctor ait, quod *Mendacium sit enunciatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata*; nam duo requiruntur ad rationem mendacii; unum est voluntas fallendi, seu falsum enunciandi; alterum est locutio exterior contraria judicio mentis. S. Thom. *2. 2. quæst. 110. art. 1.* Mastrius *in Theol. Mor. disput. 11. num. 166.* Navar. *in Man. cap. 18. num. 3.* Layman. *lib. 4. tract. 3. cap. 13.* & passim omnes. Triplex 2 autem est mendacium: *Jocosum*, causa recreationis, *Officiosum*, animo rem gratam faciendi amico, & *Perniciosum*, quando alicui obest. Cardin. Tolet. *lib. 8. cap. 54. num. 3. Summa Dian. Verb. Mendacium*; & quodcunque mendacium tripliciter consideratur, & appellatur. *Formale* tantùm, dum quis dicit verum, quod putat esse falsum. *Materiale* tantùm, quando quis profert falsum, quod putat esse verum. *Mixtum*, dum quis effatur falsum sciens esse falsum. Navar. *d. cap. 18. num. 3.* & Mastrius *dict. disput. 11. num. 166.*

Porrò mendacium semper est peccatum, quia 3 actus includens intentionem malam nunquam potest esse bonus, cum formaliter includat malum velle, & hujusmodi est mendacium. S. Thom. *2. 2. quæst. 110. art. 3.* Scotus *in 3. sentent. d. 38. quæst. Unica lit. A.* & ibi S. Bonaventura *quæst. 2. num. 25. & 26.* ubi docet, tantam esse malitiam, & inordinationem mendacii, ut Deus non possit illud licitum reddere (& idem est in odio Dei) quamvis posset Deus, si vellet, auferre malitiam in furto, in homicidio, in fornicatione, ita ut nullum esset peccatum furari, occidere, & fornicari; quod etiam latissimè probat Suarez *de legib. lib. 2. cap. 15. per totum*; & Fagnanus *in c. Falsidicus num. 58 de crimine falsi tom. 6. pag. 311.* Est autem veniale peccatum mendacium jocosum, & officiosum absque juramento *c. Ne quis arbitretur §. Duo sunt omninò genera 22. quæst. 2.* Glossa ultima *in c. Nec artificioso, ibid.* At si affirmetur cum juramento, fit peccatum mortale, 4 *c. In novo &c. ultim. 22. quæst 1.* Prout etiam mortale est mendacium perniciosum sine juramento, si de re gravi sit; & eò magis cum juramento. Ex his sequitur, quod nunquam liceat dicere mendacium, neque pro vita tuenda; unde scriptum est, *Noli velle mentiri omne mendacium. Eccles. 7.* Nam *Os, quod mentitur, occidit animam. Sapient. 1. 11. Et Qui loquitur mendacia, peribit. Prov. 19. 9.* Hinc Apostolus hortatur 5 fideles dicens; *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam estis invicem membra. Ephes. 4. 25.* Imminet enim perditio æterna. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Psalm. 5. Et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti, igne, & sulphure. Apoc. 21.* S. Thom. *2. 2. quæst 110. art. 3.* ad Tertium.

Quamvis autem aliquando liceat tacere veri- 6 tatem extra judicium, & citra præjudicium alterius ob rationabilem causam *c. Utilem. & cap. seq. 22. quæst. 2.* S. Thom. *2. 2. quæst. 111. art. 1.* & S. Antonin. *in summa p. 4. tit. 10. cap. 1. col. 5.* Attamen in nullo casu est licitum ad veritatem celandam adhibere restrictiones mentales pro excusando mendacio; siquidem olim fuit magna scribentium de hac re concertatio, in qua plurimi opinabantur, nullam fuisse culpam jurare id, quod falsum est secundùm vocis significationem, subaudiendo implicitè aliquid in mente, quod efficiat sensum verum, ut asseclis relatis tenebat Sanchez *super Decalog. tom. 1. lib. 3 cap. 6. num. 15.* & Sancius *in Selectis disput. 43. num. 29. & disput. 46. num. 17.* At hodie ipsius Sanchez, Sancii, & aliorum asseclarum doctrinam, & in hac re opinionem tanquam erroneam damnavit Summus Pontifex Innocentius Undecimus per suum Decretum *die 2. Mensis Martii 1679. in Propos. 26.* quod legitur etiam impressum post novissimam Busembai impressionem *pag. 600.* Prædicta Propositio 26. damnata ita asserebat: *Si quis vel Solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.* Eandem reperiet studiosus Lector apud mea Erotemata *in fin. p. 427.* Quare cavendum est ab exemplis relatis per Doctores, à quibus dicta damnata opinio defendebatur, nominatos præcipuè à Fagnano (qui fuit fiscalis acerrimus

con-

contra eosdem autores, & eorum prædictam
7 opinionem) *in cit. cap. Falsidicus à num. 20. & seqq. De Crimine falsi.* Et à Summa Diana *in Verb. Juramentum num. 6.* Siquidem tùm in prædictis exemplis, tùm in consimilibus restrictiones mentales non justificant mendacium, neque liberant mendacem à peccato, ut olim docuere Cardin. Cajetan. *in 2. 2. quæst. 89. art. 7. in respons. ad 4.* Sotus *lib. 5. de Justitia, & Jure quæst. 6. art. 2. concl. 7. & l. 8. concl. 1. art. 7. col. ult.* Et de Secreto *membr. 3. quæst. 3. concl. 3. in fine.* Et inter modernos Caramuel *in Theolog. Mor. num. 1084.* & Fagnan. *in d. cap. Falsidicus.*

Cæterùm an aliquando liceat uti verbis Am-
8 phibologicis, vel æquivocis ad veritatem celandam extra judicium, & citra præjudicium proximi, & ubi non agatur de confessione Fidei? Responsum fuit sub distinctione ista. Aut verba, quæ usurpantur ex propria significatione vocis, & communi audientium usu non admittunt illam interpretationem, quam intendit illa proferens; & in hoc casu illicita est Amphibologia, & æquivocatio, neque à mendacio excusatur proferentis assertio, ut si quis asserat, vidisse Principem in platea, quem depictum vidit in Icone; nam appellatione Principis ex communi usu non intelligitur Pictura, sed homo vivens. Aut Verba Amphibologica, & æquivoca ex proprietate vocabuli, & communi usu recipiunt utrumque sensum, scilicèt illum. quem intendit audiens, seu interrogans; & tunc non censetur prohibita Amphibologia, & æquivocatio, eò quòd in similibus Verbis nullum inest mendacium, ac proinde nec perjurium, si sint cum juramento, ut ex doctrina Alexand. de Ales, Cardin. Turrecrematæ *in c. Hoc videtur. §. Quæritur 2. 2. quæst. 5.* Hostiensis, Raymundi, Cajetani, & aliorum plurium Theologorum, & Canonistarum firmat Fagnanus *in cit. t. c. Falsidicus num. 147. De Crimine Falsi*, ubi *num. 148.* refert cautelam S. Francisci, qui interrogatus à Ministris Curiæ, An quidam illac transisset? manus in vestis manicas
9 intromittens respondit: *non transiit hac*, intelligens de loco, in quo manus habebat. Quod etiam novissimè docet Eminentiss. Cardin. de Lauræa *in 3. sentent. tom. 2. disput. 25. art. 6. §. Unico*, ubi cum *num. 102.* firmaverit, in nullo casu licere ad celandam veritatem dicere mendacium cujusvis generis; subdit *num. 104.* quod, etsi non liceat mendacio veritatem celare, non tamen quilibet teneatur omne verum naturale, & humanum sibi notum manifestare; & tandem *num. 112.* concludit, quod aliquando, dum ur-
10 get necessitas loquendi de humanis rebus licitum sit ex aliquo honesto fine æquivocate, seu amphibologice loqui, non manifestando explicite veritatem; quam conclusionem probat variis Sacræ Scripturæ exemplis, canonibus, & autoritatibus Sanctorum. Quibus addere licet dic-
11 tum S. Athanasii, qui impellentibus Arianis fugiens ab urbe Alexandriæ, cum à Satellitibus ad necem conquireretur, qua fugiebat navicula conversa in contrariam fluminis partem, iis, qui se insequebantur, ex industria occurrit, & quærentibus quantum inde abesset Athanasius? *Respondit, eum non longè abesse*; & ita salvus, & incolumis reversus est Alexandriam, ut in Breviario Romano *Lect. 6. die 2. Maii.*

12 Limitatur itaque hæc doctrina: nisi agatur vel de confessione fidei; quam æquivocis verbis occultare non licet. Eminentiss. Cardin. de Lauræa *d. num. 112.* & *num. 118.* Vel de præjudicio proximi, quia nullum fallere, & ei præjudicium afferre licet *c. Is autem mentitur 22. quæst. 2.* Fagnan. *ubi supra num. 147.* Deus enim est vindex æquivocantium in damnum proximi, ut legitur de rustico, qui ex decreto Judicis juraturus, an campus contentiosus suus esset? imple-13 vit caligas suas terra sua, & stans super campo contentioso juravit, terram, quam pedibus calcabat, esse verè suam; putans hoc æquivoco se tueri à perjurio, sed fuit à Deo punitus, ut refert Bollandus 11. *Januar.* in Vita S. Eguvini *cap. 14. num. 19.* & Gobatus *de Juramento num. 691.* In judicio autem non solùm peccat, qui falsum dicit, sed etiam qui veritatem occultat. *d. cap. Fal-*14 *sidicus de Crimin. Falsi.* Fagnan. *ibid. num. 5. 7. & 149.* Farinacius *in Praxi Crimin. part. 1. quæst. 67. num. 223. & 225.* Nisi fortè Judex interrogaret contra formam Juris, id est non præcedentibus indiciis legitimis, diffamatione, vel semiplena probatione; quibus casibus reus non tene-15 tur manifestare veritatem, & prodere seipsum, ut omnes Criminalistæ notant. Guazzin. ad defensam Reorum *defens. 20. cap. 7. num. 7.* Flam. Chartar. *in Praxi interrogand. Reor. lib. 1. cap. 2. num. 8. & lib. 3. cap. 2. num. 12.* & Diaz. *in Pract. Criminali Canon. cap. 129.* & ibi Ignatius Lopez *in addit. Vers. Octavo.* & *Vers. Secundo autem dilectionis membro*, ubi traditur, quod Judex, qui reum interrogat de delicto, debeat illum certum reddere de indiciis, seu probationibus extantibus in processu, ut sciat, se legitimè interrogari, & quod teneatur veritatem fateri, quam praxim 16 me docuit triginta ab hinc annis Illustrissimus Marcus Marchianus Abbas, eximius Canonum, Primariusque Professor in hoc Lycæo Publico Patavino, & Vicarius Generalis in hoc Episcopatu, sub quo Magistro rudimenta theoricæ & praxeos Tribunalis Ecclesiastici didici, ac professus 17 fui, donec ipse ad Ecclesiam Feltrensem regendam, Episcopus factus, aceessit, perpetuam suæ humanitatis, ac virtutis memoriam in tota hac Diœcesi relinquens.

Tandem dixere quatuor esse præcipua mala, quæ proveniunt à mendacio, scilicet detrimen-18 tum Animarum, Corporum, boni nominis, seu famæ, & Rerum Temporalium.

Animarum; quia Mendacium eas maculat culpa mortali, si sit cum perjurio, vel in grave damnum proximi, aut saltem veniali; & utroque casu imminet severa Divinæ justitiæ animadversio, ut probat Paul. Segneri *concion. 34. num. 12.* Et in Christiano Instructo *part. 1. serm. 30.*

Corporum; nam detecto mendacio sæpè sæpiùs homicidia sequuntur, ut de occisione Paulini jussu Imperatoris Theodosii patrata ob mendacium Imperatricis Eudoxiæ circa comestionem 19 pomi refert P. Menochius *Stuore centur. 2. cap. 27.*

Boni nominis, seu famæ; nam ut habetur *Eccles. 20. Opprobrium nequam in homine mendacium.* Et latè probat Gobatus *in tract. de Juramento à num. 677. & seqq.*

Rerum temporalium; juxta terribile illud Decretum Divinum *Zach. 5. Maledictio commorabitur in domo jurantis in nomino meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumet eam, & lapides ejus, & ligna ejus.*

Super quorum malorum explicatione versari de-

debent Parochi industriæ, illa Sanctorum autoritatibus, & exemplis, de quibus apud Gobat *num.* 691. confirmando, ut fideles abstineant, & abhorreant à mendaciis.

Et ne studiosum Lectorem lateat Propositio damnata de Verbis Amphibologicis, quæ non admittunt utrumque sensum, ut dictum est supra *num.* 8. Sciat eam esse sequentem inter damnatas ab Innocentio XI. *Propos.* 27. videlicet: *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Igitur per damnationem hujus Propositionis censentur condemnatæ, & proscriptæ omnes illæ amphibologiæ, quæ vel continent veritatem ex sola aliqua restrictione in mente, vel quarum verba ex communi usu loquentium non continent sensum, quem intendit illa proferens; secùs autem, quando æquè ipsa habent sensus duos, unus quorum intelligitur à proferente dictum amphibolicum; ut testatur novissimè etiam Cardenas *in Crisi Dissertat* 19. *ad d. Propos.* 27. *cap.* 4. *num.* 35. ubi ita scribit: *Hunc modum amphibologiæ non damnari ab Innocentio XI. certum est, quia ille solùm damnat amphibologias, quæ fiunt per restrictionem mentalem, addendo verbis aliquod retentum in mente. In hoc autem modo nihil additur retentum in mente; quia illæ diversæ significationes sunt propriæ verbi æquivoci.* Legantur de hac distinctione etiam mea Erotemata *cap.* 38. *quæst.* 2. *in* 2. *Impress. pag.* 101.

DECISIO CXLV.

ARGUMENTUM.

Examinat hæc Decisio. Quid sit Abortus? Quàm grave peccatum? Quæ pœnæ sint statutæ contra procurantes Abortum?

SUMMARIUM.

1. *Abortus quid sit?*
2. *Fœtus humanus, quando censeatur animatus?*
3. *Angelus custos hominis quo tempore ei assignetur?*
4. *Abortus sit vel directè, vel indirectè.*
5. *Abortus ex medicamentis ad salvandam Matris vitam an licitus?*
6. *Abortus delictum est gravissimum.*
7. *S. Vincentii Ferrerii Sororis abortus.*
8. *Abortum causans committit homicidium proditorium.*
9. *Parricidii delictum continetur in abortu.*
10. *Assassinium facit, qui abortum procurat.*
11. *Hazaelis crudelitas in necandis prægnantibus.*
12. *Redemptor iterum passionem subiret, si opus esset, pro una Anima.*
13. *Abortum procurantium pœnæ.*
14. *Excommunicatio in committentibus abortum cui reservata?*
15. *Procurantium abortus casus reservatus Patavii.*
16. *Clerici abortum facientes, quibus pœnis subjiciantur?*
17. *Immunitate loci Sacri non gaudent committentes abortum.*
18. *Infamia incurritur ex abortu.*
19. *Irregulares sunt eidem cooperantes.*
20. *Mortis pœna, an infligenda committentibus abortum?*
21. *Clericus ob abortum commissum degradatur, & ultimo supplicio per Curiam secularem punitur.*
22. *Abortum à delicto nullus Confessarius absolvit.*

DIctum fuit: *Abortum esse ejectionem fœtus immaturi.* Summa Diana *Verb. Abortus num.* 1. 1
Fœtum autem considerari vel animatum, vel inanimatum. Tunc censetur animatus, si sit masculus, & transiverint quadraginta dies post conceptionem: animatus verò, si sit fœmella, & effluxerint dies octoginta. Aristot. *lib.* 5. *Anim. cap.* 3. & 9. Bonacina. *de restit. in particulari. disp.* 2. *quæst. ultim. sect.* 1. *punct.* 7. *num.* 4. *tom.* 2. Farinac. *quæst.* 122. *num.* 141. Cæsar de Panimollis *decis.* 68. *num.* 17. Quamvis non desint contrarium opinantes, videlicet tùm masculos, tùm fœminas animari in utero matris ante terminos prædictos, & statim ac corpusculum est formatum, quod in genitricibus temperamenti calidissimi citissimè fieri solet, ex Hippocrate *lib. de natur. fœtus.* Lessius *lib.* 2. *de Just. & Jur. cap.* 9. *dub.* 10. *num.* 65. Farinac. *d. quæst.* 122. *num.* 139. & 143. Diana *part.* 7. *tract.* 5. *resol.* 6. Quæ in Coordinato posita est *tom.* 5. *tract.* 6. *resol.* 19. Panimoll. *d. decis.* 68. *n.* 18. & 19. & Narbona *de Ætate quæst.* 2. *num.* 40. & *quæst.* 5. ubi *num.* 23. firmat, Angelum custodem 2
assignari tempore animationis fœtus. Videndus Zacchias in *QQ. Medicoleg. tom.* 2. *lib.* 9. *tit.* 1. ubi Medicorum, ac Philosophorum discrepantes opiniones recenset de tempore, quo fœtus humanus sit animatus. 3

Dixerunt etiam dupliciter procurari abortum 1. *Directè*, quando adhibentur potiones ad fœtum ejiciendum, vel percussiones super uterum, aut motus violenti ad hunc finem. *Indirectè*, si vir uxorem prægnantem verberet, aut ipsa insolitis laboribus, vel ponderibus, aut saltationibus seipsam lædat, aut utrique conjuges, ut suæ libidini satisfaciant, dum uxor est gravida, ita se agitent coeundo, ut abortus, non tamen ab eis intentus, sequatur. Diana *part.* 7. *tract.* 5. *resol.* 30. Quæ legitur in Coordinato *tom.* 5. *tract.* 6. *resol.* 34. *DD.* quos allegat Sanchez *de Matrim. lib.* 9. *disp.* 22. *num.* 1. Narbona *de Ætate quæst.* 1. *num.* 19. Quòd si darentur medicamenta matri ægrotanti, ac prægnanti ad ejus sanitatem procurandam, si per accidens sequeretur abortus, non erit delictum, DD. quos citat, & sequitur Diana *part.* 3. *tract.* 5. *resol.* 11. Quæ in Coordinato jacet *tom.* 5. *tract.* 6. *resolut.* 43. & *part.* 7. *tract.* 5. *resol.* 35. 4
In Coordinato *tom.* 5. *tract.* 6. *resol.* 39. Adeò ut, si fœtus nondum sit animatus, & ejus ejectio sit unicum remedium ad vitam matris, liceat sumere medicamentum ad illum ejiciendum juxta probabilem sententiam Trullenchi *tom.* 2. *in Decal. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 4. *num.* 1. Summæ Dianæ *Verb. Abortus num.* 14. Et Mastrii *in Theolog. Moral. disp.* 8. *num.* 30. & 31. à quibus tamen discordant Lessius, Bonacina, & alii relati ab ipso Diana *d. resol.* 35. Quæ in Coordinato est 9. *supra notata.* Porrò de hac quæstione in praxi legendus erit Zacchias *QQ. Medicolegal. tom.* 1. *l.* 6. *tit.* 1. *quæst.* 7. ubi *num.* 14. refert pro utraque opinione tum Medicos, tum Theologos, ac Canonistas, & tandem *num.* 16. ita concludit: *Vera sententia hærens Constitutioni Sixti V. est, nunquam licere directè procurare abortum, etiam si proponatur Matris salus, quæ periclitatur, nisi provocetur abortus. Indirectè tamen non est prohibitum pro Matris salute dare causam abortiendi.* 5

endi, dummodo totis nervis innitamur, ne fiat, ita ut si fiat, sit præter nostram intentionem. Directè autem provocare abortum est, proposita sibi hac intentione, medicamenta ad eum assequendum præbere. Indirectè est corrigere medicamenta ad aliquem morbum sanandum ab ipso morbo requisita, etiamsi ex eorum usu timeatur abortus, ut sunt medicamenta ventrem solventia, clysteres, sanguinis detractio, & alia hujusmodi præsidia; in quorum tamen usu semper etiam cavendum, ut quantum fieri potest tam fœtus, quam Matris vita salvetur. Sanchez *de Matrim. lib. 9. disp. 20. num. 14.*

Quam grave autem *sit peccatum Abortus.* Deprehenditur 1. Ratione 2. Autoritate Scripturæ Sacræ; & 3. Gravitate pœnarum.

5 *Ratione:* Quia peccatum Abortus continet in se *Latrocinium, Plagium, Homicidium,* etiam *Proditorium, Parricidium, & Assassinium.* Continet *Latrocinium,* quia SANCTISSIMA TRINITAS privatur gloria, quam ei dedisset illa anima in cœlo, ad quem finem erat creata. CHRISTUS DOMINUS patitur ablationem sui pretiosi Sanguinis, quem effudit pro salute animarum; *Venit* enim, *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Joan.* 10. at filius abortivus, ex defectu baptismi vitam æternam habere non potest, cum *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei Joan.* 3. Et ille fœtus infelix spoliatus est hæreditate, & thesauris Paradisi; & idcircò si non potest absolvi latro, qui furatur pecuniam alienam, vel rem aliquam temporalem, nisi illam vero domino restituat; quomodo sunt absolvendi, qui procurant abortum, & cooperantur ad ipsum, potionibus, consiliis, auxiliis, aut suasionibus, surripientes conceptui abortivo divitias beatitudinis æternæ? Continet *Plagium,* quod est delictum, quo parentes spoliantur propriis filiis, qui in ipsorum sunt potestate, ut in servitutem iniquè redigantur: & dicitur *Plagium* à plaga, & dolore, quo eo delicto afficiuntur parentes talium filiorum, qui perversè eodem delicto in servitutem reducuntur *lib. 1. & 2. ff. ad Leg. Fabiam de Plagiis leg. 2. Cod. eod. tit.* Molina *de Just. & Jure disp. 684. num. 7.* Porrò hi fœtus spectant ad Sanctam Matrem Ecclesiam, cujus membrum est eorum Mater, nam partus sequitur conditionem Matris *§. penult. Inst. tit. de Jure Pers.* Quare Ecclesia est inconsolabilis ob tale flagitium, & est illa *Rachel plorans filios suos, quæ noluit consolari, quia non sunt. Matth.* 2. 18. & semper severe punivit hos latrones. Hinc Concilium Anciranum decrevit, reos hujus facinoris non esse communicandos nisi in articulo mortis; ita ut excluſi forent ab Ecclesia tota eorum vita durante: & Concilium Moguntinum volens mitiùs agere, si prædicti Rei decem annos consumpserint in lacrymis, pœnitentia, & humiliationibus; concessit, decennio expleto, eos Sacræ Communionis participes fieri, ut habetur *tom. 2. Concil.* & apud Eminentiss. Cardin de Lauræa *in Epitome Canon. Verb. Abortus.* Paul. Segneri in Christian. Instruct. *part. 3. serm. 5.* ubi *n. 15.* refert exemplum Sororis sancti
7 Vincentii Ferrerii, quæ vix potuit salvari, quamvis summe contrita, ob delictum abortus per eam commissum, quod narrat etiam P. Roa *de Purgat. cap. 6.* Hoc delictum continet in se *Homicidium,* quia privatur homo tùm vita spirituali, ut diximus, per privationem baptismi, tùm temporali, ad quam per generationem jus acquisiverat. *d. quæst. 122. num. 91. & 132.* Thesaur. *in Pedemont. decis. 69. num. 1.* Et non solùm simplex homicidium, sed *Homicidium Proditorium,* quod fit, quando aliquis nulla præcedente inimicitia alium interficit, ut si socius in itinere, nulla interveniente rixa, socium percutiat, vel sodalem in mensa; vel amicus, qui se fingit, amicum à tergo aggrediatur, & interficiat. Bart. *in l. Respiciendum. §. Delinquunt num. 1. ff. de Pœnis.* Jul. Clar. *§. Homicidium num. 10.* At quæ major societas, vel sodalitas, vel amicitia, quàm illa, quæ vertitur inter Matrem, & filium intra ejus viscera commorantem? Et proditorem homicidam esse illum, qui dat alteri potionem venenatam, tenet. Felin. *in cap. 1. de Homicid.* & Bajard. alios DD. citans *in addit.* ad Clarum *dict. §. Homicidium num. 22. & 24.* Ulteriùs Abortus crimen continet in se *Parricidium,* quod est delictum comprehendens 9
interfectionem, qua inferiores necant suos majores, & è contra ascendentes interficiunt descendentes, ut doctè advertit Molina *de Just. & Jure disp. 26. num. 2. & 3. & disp. 27. num. 2.* ubi in puncto probat in hoc facinore inesse qualitatem *Parricidii.* Tandem appellari po- 10
test etiam *Assassinium,* quod quidem committitur, si quis ob mercedem ad occidendum disponatur. Jul. Clarus *lib. 5. Sent. §. Assassinium num. 1. & ibi adden.* Thesaur de Pœnis Eccl. *part. 2. Verb. Assassinium.* Vel si per insidias, & industriam, idest ex proposito, hominem interficiat. Lancellot. *Instit. Can. lib. 4. tit. 10. §. 1.* & ibi Aloys. Riccius *in Verb. Industriam. & §. Is quoque. eod. tit.* At ad necandam prolem in utero existentem sæpè sæpiùs moventur impiæ Matres ex proposito, non tantùm ut mercedem luxuriæ exercendæ impunè assequantur, sed etiam non rarò accepta pecunia, vel ab amasiis, vel ab aliquo sperante hæreditatem, si fœtus necetur, & proles ex Matrimonio non habeatur. Bossius *in tit. de Homicid num. 6.* Jodoc. *in Pract. Crimin. cap. 38. rubric. de Assassinio num. 10.* Farinac. *quæst. 12. num. 154.* Thesaur. in Pedemont. *Decis. 12. num. 13.* & Cæsar de Panimoll. *Decis. 69. num. 1.*

Secundò: *Autoritate Scripturæ Sacræ* cognoscitur atrocitas hujus facinoris, nam in exprimendis crudelitatibus *Hazaelis,* illa fuit cæteris turpior, quòd & 11
Prægnantes diviserit. 4. Reg. 8. 12. idest neque pepercerit fœtibus in utero Matrum absconditis. De sceleribus autem Ammonitarum loquens, quartum delictum dixit irremissibile, illud scilicèt, quod exercuerant in Matres prægnantes, ut legitur *Amos 1. 3. Super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quartum non convertam eum, eo quòd dissecuerit prægnantes Galaad.* His addi potest id, 12
quod Redemptor locutus fuit ad S. Birgittam *lib. 1. Revelat. cap. 58.* Videlicèt, se libenter pro una anima iterùm passurum, quod pro toto mundo passus est; unde desumitur, quanta severitate Judex ipse æternus aget cum illis, qui hujus Abortus delicti quomodolibet rei extiterint, cum perditionem causaverint animarum, pro quibus piissimus SALVATOR paratus est, si oporteret, iterum dolores, & cruciatus, ac mortem suam pœnosissimam subire.

Ter-

Tertiò: A gravitate pœnarum temporalium noscitur gravitas hujus facinoris: nam.

13 Primò: Procurantes Abortum de jure Canonico sunt excommunicati. *cap. Si aliquis. De homicid.* Ghirlan. *de Sortileg. quæst.* 12. *num.* 21. Et Clericus privatur beneficiis. *cap. Si quis Episcopus.* 26. *quæst.* 5. Jac. de Graffiis *libr.* 2. *decis.* 63. & Cæsar de Panimollis *decis.* 68. *num.* 23. & 24.

Secundò: Ex Bulla Sixti Papæ V. *La* 87. incipit: *Effrænatam.* Prædicta excommunicatio erat

14 reservata Summo Pontifici, effectu Abortus subsecuto fœtus animati; sed ex alia Bulla Gregorii Papæ XIV. *La* 8. incipit: *Sedes Apostolica:* Absolutio prædictæ censuræ est reservata Ordinariis locorum; qui possunt confessario specialiter delegare facultatem absolvendi ab illa. Quaranta *Verb. Abortus §. Nota per hanc.* Farinac. *d. quæst.* 122. *num.* 164. Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg.* 51. *num.* 136. Quòd si fœtus non sit animatus, procurantes abortum subjiciuntur tantùm pœnis Juris communis per dict. Constitutionem Gregorii XIV. & ideò puniuntur pœna extraordinaria. Cæsar de Panimoll. *decis.* 68. *num.* 2. ubi DD. cumulat: sed non sunt excommunicati, neque fiunt irregulares. Glossa *in dict. c. Si aliquis 5. in Verb.* Ut homicida. *De Homicid. Volunt.* Bonacina *tom.* 1. *de Excom. in partic. extra Bullam Cœnæ disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 10. *num.* 2. Et Sayrus *in Thesauro Casuum Conscien. lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 26.

15 quamvis mortaliter peccent, & hic Patavii sit Casus reservatus. Quòd si fœtus fuerit animatus, sed non sequatur effectus procurati Abortus, peccatum est mortale: sed in tali casu, non intrat excommunicatio. Navar. *cons.* 60. *de Sent. Excommun.* Novarius *in Summ. Bullar. part.* 2. *Comment.* 2. *num.* 22. Est tamen in hac Diœcesi Casus reservatus: Videantur mea Erotemata *cap.* 59. *in* 2. *editione.*

16 Tertiò: Clerici cooperantes in Abortu privantur omni privilegio Clericali, tùm fori, tùm canonis, dignitatibus, officiis, & beneficiis. Farinac. *d. quæst.* 122. *num.* 151. Sed hæc pœna non obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis. Antonell. *de Regim. Milit. Eccl. lib.* 6. *tit.* 32. *num.* 3. Thesaur. *de Pœnis Eccles. & DD. citati in p.* 1. *cap.* 27. quamvis contrarium teneat Garzias *de Benef. p.* 11. *cap.* 10. *num.* 197.

17 Quartò: Ob hoc Abortus delictum perditur Immunitas loci Sacri, seu Sacri Asyli, concessa reis ex Bulla Gregorii XIV. *La* 7. Incip. *Cum alias nonnulli*, ea ratione, quia Abortus est homicidium proditorium, ut diximus suprà; & tenent Farinac. *de Immunit Eccl. cap.* 8. *num.* 138. & Peregrin. *eod. tract. cap.* 3. *num.* 8. Quamvis alii contrarium doceant, quos citat Diana *part.* 3. *tract.* 1. *res.* 72. In Coordinato *tom.* 9. *tract.* 1. *resol.* 93. Prima tamen opinio est verior, ut respondit S. Congreg. 3. *Decembr.* 1632. teste Novario *p.* 2. *Comment.* 80. *num.* 59. Nicolio *Lucubrat. Civil. lib.* 1. *tit.* 8. *num.* 31. *Ampl. secund.* ita tamen ut præcedat declaratoria Judicis super commisso delicto. Thesaur. *de Pœnis Eccl. d. Verb. Abortus c.* 1. *num.* 3.

18 Quintò: Ex hoc delicto resultat Juris infamia, non solùm post sententiam declaratoriam, sed etiam ante, si crimen sit notorium Thesaur. ubi supra *d. cap.* 1. *num.* 4. *& p.* 1. *cap.* 33. *§. Secundo modo.*

19 Sextò; Prædicti omnes cooperantes, consulentes, vel opem dantes fiunt irregulares ob necem fœtus animati. Farin. *quæst.* 122. *num.* 119. *&* 120. Thesaurus ubi ante *p.* 2. *Verb. Abortus. num.* 5. Quòd si dubitetur, an puerperium fuerit, vel non fuerit animatum, adhuc reus hujus delicti debet se irregularem reputare, & abstinere ab ordinum susceptione, & administratione. Antonell. *de Reg. Mil. Eccl. d. l.* 6. *tit.* 32. *num.* 4. *versus finem.* Farin. *quæst.* 122. *num.* 138. & Cæsar de Panimoll. *d. decis.* 68. *num.* 16. Si autem quis sit condemnatus in causa Abortus etiam fœtus inanimati, adhuc erit irregularis ob infamiam juris. Abb. *in d. cap. Si aliquis 5. num.* 3. *de Homicid.* & Thesaur. *d. Verb. Abortus limit.* 2. Et ab hac irregularitate solus Papa dispensat, quamvis crimen esset occultum. Summa Diana *Verb. Abortus num.* 34.

Septimò: Supradictis delinquentibus infligi- 20
tur pœna homicidii, si commiserint Abortum fœtus animati, quæ est pœna mortis: quòd si fœtus non erat animatus mitiori pœna puniuntur. Thesaur. *in Pedemont. decis.* 12. *num.* 1. & 4. Glossa *in c. Moyses* 32. *qu.* 2. *& in c. Sicut de Homicid.* Jul Clarus *in §. fin. qu.* 68. *Vers. Abortum procurans.* Et Antonell. *d. l.* 6. *c.* 32. *num.* 2. Quamvis non desint DD. qui excusant à pœna mortis naturalis etiam in Abortu fœtus animati, quia fœtus, licèt animatus, est tantùm in spe; & minus est esse in spe, quàm in esse productus, & homo, qui non est in lucem editus, redditur ignotus, & naturaliter potest in lucem edi, & non edi; unde fœtus in ventre Matris permanet in statu incertæ vitæ, quæ conferunt ad minuendam, & temperandam pœnam ordinariam homicidii. Menochius *de Arbitr. cas.* 357. *num.* 6. *& seqq.* Farinacius *d. qu.* 122. *num.* 135. Thesaurus *in Pedemont. decis.* 12. *à num.* 4. *& seqq.* qui tamen *num.* 5. *& num.* 7. declarat hanc opinionem non procedere, si puerperium fuerit ejectum potionibus ex dolo, & malitia post octavum mensem, nam tunc pœna mortis mulctari debent cooperantes ad hujusmodi Abortum; idemque novissimè docet Cæsar de Panimoll. *d. decis.* 68. *num.* 5. ubi *num.* 7. subdit, quòd Bulla Sixtina non habeat locum quoad hanc pœnam mortis naturalis, nisi servata forma Juris communis; attenta moderatione facta per Gregorium XIV.

Octavò: Si Reus hujus criminis in fœtu ani- 21
mato sit Clericus, est degradandus, & Curiæ seculari tradendus, ut ultimo supplicio afficiatur. Antonell. *de Regim. Mil. Eccl. d. lib.* 6. *cap.* 3. *sub num.* 12. Sylvest. *in Verb. Degradatio. num.* 4. Belletus *tit. de Favore Clericor. Person. §.* 10. *num.* 6. Jul. Clarus *in §. fin. quæst.* 36. *num.* 40. & alii apud Riccium *in Praxi part.* 4. *resol.* 122. Porrò alii volunt, esse mitius agendum, Clericumque prædicti Abortus criminis reum, non degradandum, sed detrudendum in perpetuum carcerem. Barbosa *de Offic. & Pot. Episc. alleg.* 110. *num.* 13. & alii, quos refert, & sequitur Diana *part.* 2. *tract.* 1. *res.* 16. Quæ habetur in Coordinato *tom.* 9. *tract.* 2. *res.* 55.

Ultimò, in foro Poli nullus Confessarius, ne- 22
que Regularis, in hac Patavina Diœcesi, potest absolvere reos hujus piaculi *Abortus*, quamvis fœtus non fuerit animatus, & quamvis non fuerit sequutus effectus, quia uterque Casus est reservatus Eminentiss. ac Reverendiss. D. Cardinali Episcopo, *ut in Pagella reserv. cas.* 3. Est autem certum, quod Regulares absolvere non

sunt neque à casibus per Episcopum reservatis, neque à contentis in Bulla Cœnæ Domini ex Decr. S. Congreg. *diei* 17. *Novemb.* 1628. quod ponit Novarius *in Summ. Bullar. p.* 1. *comm.* 135. Panimoll. *decis.* 113. *num.* 1. & à me probatum fuit in Decisionibus *de Pœnitentia. Decis.* 46. *numer.* 16.

Et ex his omnibus Parochi, & animarum Curati argumenta sufficientia habebunt pro deterrendis humanis mentibus à tanto excessu Abortus committendi, consulendi, aut approbandi. Legitur, quod Cervæ feliciter pariant, ubi concrepant tonitrua, juxta illud; *Vox Domini præparantis cervos;* vel ut alii vertunt *parere facientis cervos. Psalm.* 28. 1. Si Rectores Ecclesiarum tanquam tonitrua fecerint Vocem suam, prædicando contra hoc crimen, Puerperæ felices partes dabunt.

DECISIO CXLVI.

ARGUMENTUM.

Explicatur in hac Decisione. 1. Quid sit Adulterium? 2. Quotuplex? 3. Quam grave peccatum? 4. Qui ejus pessimi effectus? 5. Quæ ejus pœnæ? 6. Quæ ejus remedia?

SUMMARIUM.

1. *Adulterium quid sit, & undè sic dicatur?*
2. *Quotuplex?*
3. *Adulterii gravitas, & enormitas.*
4. *Matrimonii Autor Deus.*
5. *Conjunctiones tres Mysticæ ex Matrimonio.*
6. *Animalia ab adulterio abstinentia.*
7. *Adulteri pœnitentes olim per annos 15. extra Ecclesiam.*
8. *Adulterii criminis effectus.*
9. *Restitutioni obnoxius est Adulter ob hæreditatem filiorum.*
10. *Adulterorum salus quasi desperanda.*
11. *David cur dicatur punitus ob adulterium, non ob homicidium Uriæ?*
12. *Adulterium sapit etiam crimen sacrilegii.*
13. *Læsæque Majestatis.*
14. *Pœnæ contra adulteros de Jure Divino, Canonico, & Civili.*
15. *Adulteri de Jure Divino lapidandi.*
16. *Pœnæ Juris Canonici contra Adulteros.*
17. *Nasus abscindebatur Adulteris, & Virilia.*
18. *Adulteri puniri pœnis atrocissimis.*
19. *Maritus an possit occidere amasium, & uxorem adulteram?*
20. *Mariti fidem non frangant uxoribus.*
21. *Uxores retrahendæ à ludis, & aliis publicis sessionibus.*
22. *Maritorum mala tractamenta causant Uxorum adulteria.*
23. *Adulterorum familia exterminata.*
24. *Visio horrenda adulterorum punitorum in inferno.*
25. *Adulteræ brachium combustum aqua frigida.*

1 QUoad Primum dixere, *Adulterium*, (quod Græcè dicitur μοιχεία, ας ή; Hebraicè autem נאוף) *esse alieni thori violationem*, vocarique adulterium, quasi ad alienum Thorum accessionem. *can Lex illa. §. Quam ergo* 39. *quæst.* 1. *& can. Non mœchaberis.* 32. *quæst.* 5. Alii pariter scripsere, *Adulterium esse illicitum concubitum conjugati, vel conjugatæ.* S. Thom. 2. 2. *quæst.* 154. *art.* 8. Tholosan. *Syntagm. Jur. Univ. lib.* 36. *cap* 6. *num.* 2.

Quoad secundum. Duplex est Adulterium. *Spirituale, & Carnale.* Adulterium *Spirituale* est 2
quodlibet mortale peccatum Christiani hominis; quoniam quælibet anima Christiana est desponsata Christo, juxta illud *Et sponsabo te mihi in fide; & scies, quia ego Dominus, Oseæ* 2. 20. Adulterium *Carnale* est illud supra definitum, & subdividitur in simplex, & duplex. Primum est, quando unus adulter tantùm est conjugatus. Alterum, quando uterque habet conjugem; & gravius censetur, quando ipsa adultera est conjugata. Sum. Diana *Verb. Adulter. num.* 1. Mastrius *in Theol. Moral. disp.* 11. *num.* 125. & passim omnes.

Quoad Tertium. Gravitas hujus facinoris, & enormitas adulterii ex eo comprehenditur: quia, qui mœchatur, offendit legem *Divinam, Naturalem, Canonicam, & Civilem.* Offendit legem *Divinam*, quia Matrimonium non solùm est contra- 3
ctus humanus, sed Sacramentum Ecclesiæ à Christo Domino institutum. Sanchez *de Matrim. lib.* 2. *disput.* 10. Undè Apostolus loquens de Matrimonio ait: *Sacramentum magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Ephes.* 5. 32. Aliquid autem dicitur magnum, vel respectu Autoris, ut si Princeps rem aliquam componat sua propria manu, vel respectu materiæ, si sit pretiosa, vel respectu finis, si sit magnæ relevantiæ. Autor Matrimonii ab initio fuit 4
Deus, *Quod Deus conjunxit, homo non separet. Marc.* 16. 9. Deinde Christus Dominus; *Ego autem dico in Christo, & Ecclesia. Ephes.* 5. 32. Materia sunt ipsi conjuges, qui etiam post receptum Matrimonii Sacramentum, cum non materia mortua, (ut aqua, completo Baptismo) sed vivant, sunt symbolum Sacramenti, & quid sacrum ob ipsum Sacramentum, quod in eis perseverat usque ad mortem ipsam. Cardin. Bellarmin. *lib.* 1. *de Matrim. cap.* 6. Finis, quia Matrimonium repræsentat Unionem hypostaticam Verbi cum natura humana, Christi cum Ecclesia & animæ fidelis cum Christo; undè leguntur in Missa *pro Sponso, & Sponsa* hæc Verba: *Deus, qui tàm excellenti Mysterio conjugalem copulam consecrasti, ut Christi, & Ecclesiæ Sacramentum præsignares, &c.* Igitur qui committit Adulterium, grande peccatum committit, quia rem sacram deturpat, & legem Divinam offendit. Undè Job ait de Adulterio: *Nefas est, & iniquitas maxima. Job.* 31. 11. Offendit legem *Naturalem*, docentem, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris:* & quam feræ ipiæ sentiunt, ac observant; ut Turtures, & Columbæ; imo ipsi Elephantes, qui una cum socia tantùm coeunt. 6
Plinius *lib.* 8. *cap.* 5. & Solinus *cap.* 58. Imò ab Elephante occisas fuisse mulieres adulterantes, scribit Plinius *lib.* 11. *de Histor. Animal. cap.* 15. Offendit legem *Canonicam*; quæ olim adeò hoc facinus detestabatur, ut adulteros non admitteret in Ecclesiam, nisi post quindecim annorum spatium rigorosa Pœnitentia completorum; unde Sanctus Basilius testatur *in Epist.* 3. *Canonic. ad Amphiloch.*

Quod

7 Quod *quatuor annis*, Adulter *erit deflens. Quinque erit audiens*, id est admittebatur tantummodo ad audiendas conciones. *Quatuor erit prostratus*, videlicet apud portam Ecclesiæ. *In duobus consistens*, id est intùs Ecclesiam, sed *sine communione*. Ecce quantam malitiæ gravitatem lex Canonica agnoscebat in Adulterio, quæ illud tàm rigorosè puniebat; & tunc exclamabat, atque nunc etiam exclamat: *Quid in omnibus peccatis Adulterio gravius? Cap. Quid in omnibus. 32. quæst. 7.* Apostolus Paulus volebat, hoc facinus deflendum esse à tota Civitate. *Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrùm qui hoc opus fecit? 1. Cor. 5. 2.* quo loco subdit S. Joan. Chrysost. *Unus erat, & tantum gemebat Paulus, tanquam tota perdita Civitate.* Offendit Adulter *Jus Civile*, & totam Rempublicam, cujus interest, honestatem in Uxoribus servari, ad evitandos effectus pernicioßissimos, de quibus infrà; ideò, ait Philo: *Adulteri capite plectendi, ut publici hostes humani generis. lib. de special. legibus.* Quocirca.

8 Quoad Quartum. Adulterium producit omnes illos pessimos effectus, quos pariunt graviora, ac capitalia facinora, videlicet *Furtum, Detractio, Homicidium, Sacrilegium, & Læsæ Majestatis delictum*; quibus Adulterium est scelestius. Siquidem est gravius *Furto*, nam furatur hæreditates debitas legitimæ proli, illas transferendo ad illegitimam, & adulterinam. *Adulterium latrocinium est*, ait S. Jo. Chrysost. *imò omni latrocinio gravior transgressio.* In Hom. 3. *sup.* 1. *ad Thessalon.* Nathan quoque exprobravit Adulterum David sub Parabola oviculæ, furto sublatæ. 2. *Reg.* 12. Et ideò Adulter

9 non est absolvendus, nisi damnum compenset proli legitimæ, restituendo eidem, quantùm capit ex hæreditate mariti filius adulterinus. Molina *de Justit. & Jur. disput.* 103. *num.* 3. Layman. *lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 3. *cap.* 14. *num.* 2. Mastrius *in Theol. Moral. disput.* 9. *num.* 46. 47. ubi tractat de obligatione Matris adulteræ, & quid sibi sit agendum; maximè ubi ipsius maritus esset Dives, & filios haberet legitimos, quod nos disputavimus supra in *Decis.* 91. à Studioso repetenda. Est Adulterium gravius *Detractione*, imò gravissima detractio, ita lædens famam mulieris, mariti, familiæ, ac consanguineorum, ut nullus restet locus, seu modus restitutionis faciendæ; quare quasi videtur desperanda Adulterorum salvatio: *Nolite errare*, ait Apostolus, *Adulteri Regnum Dei non possidebunt. 1. Cor. 6. 10.* Est gra-

10 vius *Homicidio*, tùm quia frequenter Adulteræ à maritis necantur, tùm quia Abortus, & infanticidia grassantur, & ideò, est notatu dignum, quod subdit Tholosanus *Syntag. Jur. Univ. dict. part.* 3. *lib.* 36. *cap.* 6. *num.* 2. scilicet, quod *Quam-*

11 *vis ob adulterium Bethsabeæ, Uriam Virum ejus David occidi curasset, nihilominùs, pro Adulterio tantùm punitus atrociter fuit*, ut legitur *lib.* 2. *Reg.* 12. ubi Deus conqueritur de Adulterio, & nihil de Homicidio: *Sacrilegio* pejus est Adulterium, quia, ut diximus, Adulter in Sacramentum delinquit, & in rem sacram; & sicut majus est delictum percutere Sacerdotem, quàm laicum, & comburere Ecclesiam consecratam, quàm domum profanam; ita gravius est Adulterium, quàm fornicationem

12 committere. Hinc Siricius Papa *in Epist. ad diverß. cap.* 4. dixit: *Conjugalis fidei violationem apud fideles cujusdam sacrilegii instar esse.* Qui abutuntur Sacramentalibus, puta aqua baptismali, oleo vè Chrismatis, vocantur Sacrilegi. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 7. *num.* 13. Sic sunt Adulteri, qui, ut probavimus, in materiam Sacramentalem peccant, id est corpora conjugum. Paul. Segneri in Christian. Instruct. *part.* 5. *serm.* 26. *num.* 17. 13 Tandem crimini *Læsæ Majestatis* æquale censetur Adulterium; quia commovet cives ad arma, & publicam quietem perturbat. Marc. Mantua (Eruditissimus, ac Nobilissimus Patricius noster Patavinus) *Singul.* 117. *num.* 2. Vesembecius *in Paratit. tit. de Adulter. num.* 1. Et ideò minor non excusabatur à pœna in hoc delicto. *l. Auxilium. l.* 28. §. *Sed ut ad Legis, & ſ. In Delicto. De Minorib.* 25. *annis.*

Quoad Quintum. Pœnæ aliæ sunt de Jure Di- 14 vino, aliæ de Jure Canonico, & aliæ de Jure Civili contra Adulteros. Pœnæ *Juris Divini* sunt gravissimæ tùm in anima; quia *Qui Adulter est, perdet animam suam. Prov.* 6. 30. tùm in corpore, quia adulteri lapidabantur. *Si mœchus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum con-* 15 *juge proximi sui, morte moriantur Mœchus, & Adultera. Levit.* 20. 10. Hinc Susanna ducebatur, ut lapidaretur ob impactum à senibus adulterium. *Dan.* 13. 62. & mulierem deprehensam in adulterio Judæi duxerunt pro hac pœna ad Salvatorem. *Joan.* 8. 5. Imò ante legem scriptam adulteri cremabantur vivi. *Genes.* 38. 28. Pœnæ *de Jure Canonic.* sunt excommunicatio. *cap. Intelleximus. De Adulter.* Divortium. *cap. Significasti. & cap. Ex literis. de Divort.* Amissio Dotis. *cap. Plerumque.* 4. *de Donat. inter Vir. & Uxor.* 16 Criminis impedimentum, quod dirimit Matrimonium contrahendum inter adulteros, de quo si sibi promissionem fecerunt. *cap.* 1. *&* 2. *de eo, qui duxit in Matr. quam poll. per adult.* Summa Diana *Verb. Impedimenta Matrim. num.* 9. Pœnæ de *Jure Civili* aliæ sunt ignominiosæ, ut Nasi abscis- 17 sio, ac etiam virilium. Tholosan. *Syntagm. Jur. d. lib.* 36. *cap.* 6. *num.* 15. & 16. ubi primam irridet Martialis *lib.* 3. *Epigram.*

Quis tibi persuasit nares abscindere Mœcho?
Nil hac peccatum est parte, Marite, tibi.
Stulte quid egisti? Nil hic tua perdidit Uxor,
Cùm sit salva sibi Mentula Deiphobi.

De secunda verò meminit Horatius *lib.* 9. *Satyr.* 2.

- - Quin etiam illud
Accidit, ut quidam testes, caudamque salacem.
Demeteret ferro.

Aliæ autem sunt pœnæ dolorosæ, & capitales. *l. Quamvis. ſ. Sacrilego. C. ad Leg. Jul de Adulter.* Authen. *Sed hodie, C. de Adulter.* Jul. Clar. *lib.* 5. *Sent.* §. *Adulterium.* Sed inflictæ exquisi- 18 tissimis tormentis: nam Opilius Macrinus Imperator vivos jubebat cremari ambos adulteros. Alios inclusos in ventre bovis, fœtor, & vermes excruciabant usque ad mortem. Aurelianus Imperator militem adulterum, complicatis per viam duabus arboribus, earum summitatibus adulteri pedes fecit alligare, à quibus se rapidè erigentibus miserrimus in duas partes scissus fuit. Menoch. *in Oeconomic. lib.* 7. *cap.* 6. *num.* 6. Tholosan. *d. lib.* 36. *cap.* 6. *per totum*; ubi exemplificat circa omnes, quamvis barbaras mundi nationes; à quibus semper adulteri atrocissimis pœnis affecti obiere; quod etiam narrat Tiraquell. *in Leg. Connub.* 13. *à num.* 6. *& seqq.* adeòut leges civiles permitterent etiam maritis occidere amasium, & uxorem adulteram; quamvis id sit prohibitum de Jure Canonico. *cap. In-* 19 *terfectores. cap. Inter hæc. cap. Quicunque. cap. Ad-*

cavnere. 32. quæst. 2. Quia privata autoritate id non licet absque mortali peccato. Molina *tract. 3. disput. 7.* Lessius *de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 9. dub. 5.* Layman. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 2. num. 4.* Etsi maritus esset excusandus à peccato, si ex nimio dolore incontinenti occideret, ac etiam ab excommunicatione, si adulter esset clericus occisus. *cap. 3. de Sent. excomm.* Eminentiss. Cardin. de Luca *in Miscell. Eccles. discurs. 20. num. 4.*

Ex quibus omnibus Parochi prædicare volentes contra hoc maximum Adulterii crimen, amplissima poterunt desumere argumenta, ac etiam ex cit. Paulo Segneri *in Christ. instruct. part. 3. serm. 26.* per totum.

20 Quoad Ultimum. Remedia hæc sunt. *Primum*, ut ipsi mariti fidem non frangant uxoribus; istæ enim sæpè sæpiùs in vindictam adulterantium maritorum adulterantur. Sic Ovidius *lib. 2. de Arte amandi*:

Hoc benè compositos, & firmos rumpis amores,
Crimina sunt cautis ista timenda viris.

Clytemnestra uxor Agamemnonis Regis, cùm cognovisset ipsum irretitum amoribus Chrysis, Briseidæ, & Cassandræ filiæ Priami, amplexa est adulterum. Ovidius *d. lib. 2.*

Dum fuit Atrides una contentus, & illa
Casta fuit, vitio est improba facta viri.

Unde Aristoteles *in Oeconom. cap. 4.* ait: *Primùm*
21 *leges sint viro ad uxorem, ut injuria cesset; sic enim nec ipse injuriam patietur.* Remedium *Secundum* est, non permittere uxoribus, ut ad quoscumque saltus, ludos, seu concursus accedant. *Ne des aquæ tuæ exitum, nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi*: ait *Ecclesiast. 25. 38.* Reperiuntur enim mariti ita fatui, ut nimiam libertatem concedentes uxoribus, causent earum errores; & hos viros vocat *Gynæcocratumenos*, Plinius *lib. 6. cap. 13.* id est, subjectos mulieribus; quia, *Nunquam oportet, virum sapientem mulieri remittere frænum, neque sinere, ut liberè imperet*, docebat Euripides apud Stobæum *serm. 72.* Et Ecclesiast. 9. 2. *Non des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & non confundaris.* Remedium *Tertium*; quòd Mariti diligant uxores, benè tractent, necessaria ad victum, & vestitum, & familiæ conservationem subministrent; nam eorum asperitas, seu in cauponis, ludis, aut conver-
22 sationibus dissolutio tentat uxores ad malum, ut turpe lucrum, pro egestate sublevanda, obtineant. Deus ex costa Adami produxit Hevam, non ex capite, aut ex pedibus. *Genes. 2. 22.* ut ei esset socia, non imperans, neque sub pedibus conculcaretur. *l. Adversus. C. de crim. expil. hæredit.* Quare Apostolus scribens *ad Ephes. 5. 25.* ita ait: *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, &c. Ita & viri debent diligere uxores suas, ut corpora sua. Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* Utinam tot Epulones hanc obligationem caperent, & exequerentur. Oh! si Parochi exclamarent adversus illos, & quasi Tuba exaltarent vocem suam, & annunciarent iisdem scelera ipsorum! Remedium *Quartum*, & ultimum; Mariti, & Uxores Deum timeant; scientes, quòd sicut Adulterium *Nefas est, & iniquitas maxima. Job. 31.*
23 11. ita *Adulteros judicabit Deus. Hebr. 13. 4.* Et non solùm puniet eos, & ante mortem, & post mortem, sed etiam exterminabit eorum familias. *Filii adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Sap. 3. 16.* Addatur exemplum Uxoris cujusdam Mariti cum alia mœchantis, quæ in somniis vidit in inferno ardentes fornaces plenas hominibus adulteris complicatis cum Draconibus, qui in eos picem, & plumbum ignitum evomebant; unamque fornacem vacuam aspexit, quæ parata erat viro suo, quem ipsa monuit, & reduxit ad pœnitentiam; 24 ut ex Chronicis S. Dominici refert Paul. Segneri *in Christ. Instruct. d. part. 3. discurs. 26. num. 20.* Huic addendum aliud exemplum, quod narrat P. Carolus Rossignolus Soc. Jesu *part. 2. Meravigl. 28.* de quodam Marito Deum timente, qui cognito adulterio Uxoris suæ voluit vindictam à Deo expectare: cumque quadam die sederet cum Uxore apud fontem aquæ frigidæ, manifestavit ei suspicionem suam incontinentiæ ejus. Uxor cœpit jurare, se esse innocentem. Tunc Maritus ad illam. Ergo pone manum, & brachium in hanc frigidam aquam, & saxum ex ea 25 trahe. Statim sic Uxor fecit: & ecce pellis, & caro brachii consumpta cecidit, ac si aqua servidè ebulliret. Tunc Maritus ab eo divertit, hortatus illam, ut ageret de suo Adulterio pœnitentiam.

DECISIO CXLVII.

ARGUMENTUM.

Proponitur: Quid sit Ambitio? Quantum pernicioſa? Quæ remedia adversus illam?

SUMMARIUM.

1. *Ambitio quid sit? & undè dicta?*
2. *Candidati cur vocentur, qui sunt promovendi ad dignitatem?*
3. *Ambitionis natura mala.*
4. *Ambitio homicidia parat.*
5. *Ambitio Julii Cæsaris, & Agrippinæ.*
6. *Ambitiosi odio habent etiam consanguineos.*
7. *Aulicorum propria est ambitio.*
8. *Monasteria non sunt immania ab Ambitionis vitio.*
9. *Exempla Religiosorum ob ambitionem expulsorum è Monasteriis.*
10. *Clerici Seculares ambitionis causa lapsi in hæresim.*
11. *Senatus Apostolicus æstu ambitionis agitatus.*
12. *Adam, & Eva ab ambitione perculsi.*
13. *Luciferum ambitio præcipitavit è Cœlo.*
14. *Remedia tria contra Ambitionem.*
15. *Moderatio facit beatum vitam.*
16. *Bullæ Pontificiæ contra ambientes Ecclesiasticas dignitates.*

QUoad Primum Dixere, *Ambitionem esse inordinatum apperitum honoris terreni, & amplitudinis Dignitatis.* S. Thomas 2. 2. *quæst. 131. art. 2.* Et Ambitio dicitur ab *Ambio*, id est *Circumdo*, quia Romani affectantes Magistratus circuibant, rogantes tùm populum, tùm Senatores, ut se suffragiis adjuvarent, & sic circumdabant istum, & illum; prout servatur Venetiis in Platea Sancti Marci inter Nobiles, cum quis petit aliquam Dignitatem, & ut vulgò dicitur, *fa broglio.* Petr. Gregor. Tholosan. *Syntagm. Jur. Univ. part. 3. lib. 36. cap. 29. num. 5.* ubi observat, quòd qui ambiebant dignitates in Republica Romana, dum faciebant circuitionem ad Patricios, & ad Plebem,

2 bem, cui jus electionis erat in Comitiis Magistratuum, pro suffragiis habendis, induerent vestem candidam in signum innocentiæ: undè processit, quòd promovendus ad aliquem honorem vocetur Candidatus.

3 Quoad secundum: Quantum pernicioſa ſit Ambitio, colligitur ex Verbis S. Bernardi *in Serm. Quadrag.* sic loquentis: *Ambitio ſubtile malum, ſecretum virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, livoris parens, vitiorum origo, tinea Sanctitatis, excæcatrix cordium, ex remediis morbos creans, ex medicina languorem generans.* Et equidem Ambitio eſt Virus, & Peſtis inficiens corda hominum, domos, & privatas familias, Palatia Principum, Regularium Monaſteria, Clericalem cœtum, Senatum Apoſtolicum, Terreſtre Paradiſum, & Cœlum Empyreum. Quod probatur: Nam.

Primò *Ambitio* inficit corda hominum, qui ut ſuam honoris, & præeminentiæ libidinem expleant, nec offendere amicos curant, nec de propria vita cogitant. Cicer. *in Lælio. Peſtis major eſſe nulla in amicitiis poteſt, quàm in quibusdam honoris certamen, & gloriæ; ex quo inimicitiæ maximæ ſæpe inter amiciſſimos extiterunt.* Hinc Aman, ut Mardochæum ſibi non obſequentem obtruncaret, Ahaſvero Regi maximam obtulit pecuniæ quantitatem. *Decerne, ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis Gazæ tuæ. Eſther. 5.* Quæ talenta, ſi erant Attica, faciebant quinque milliones: ſi verò Hebraica, decem milliones aureorum, ſecundùm Cornel à Lapide, quem allegat P. Menochius *in Oeconomic. lib. 4. cap. 5. num. 2.* ubi refert dictum Julii Cæſaris Dictatoris, deinde 5 primi Imperatoris Romani, qui aliquando hoſpitatus in parva Villa, ait: *Mallem hic primus eſſe, quàm Romæ ſecundus.* Et Agrippina mater Neronis, cùm audiviſſet ab Aſtrologo, puerum regnaturum, ſed occiſurum Matrem, reſpondit: *Occidat, dum regnet.* Ita Suetonius.

6 Secundò inficit domos, & privatas familias, adeò ut Filii ambitioſi inſurgant in Parentes, Frater, & ſoror in fratrem. Ita fecerunt Maria, & Aaron ambientes ſuperare Moyſem in prophetando, quos murmurantes adverſus fratrem Deus iratus correxit, & Mariam lepra percuſſit. *Num. 12.* Et ob idem Ambitionis vitium, quod infecerat Dathan, & Abiron, *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum devoravit illos cum tabernaculis ſuis. Num. 16. 32.* Rex David coactus fuit Regiam domum deſerere, fugere, & ſe in montem abſcondere à furore Abſaloni filii ſui, ambientis Regnum, ut legitur. *2. Reg. 15.* Adonias quoque alter filius David, & Abſaloni frater, fecit ſibi currus, & equites, nam *elevabatur dicens: Ego regnabo. 3. Reg. 1. 5.* Et relictis plurimis antiquorum exemplis, planè mirandum, ac deflendum eſt illud, quod noſtris oculis videmus, Piiſſimi Jacobi Secundi Regis Angliæ, quem ambitioſa proles depulit regno.

Tertiò: Palatia Principum tàm Eccleſiaſticorum, quàm Secularium hac peſtilentia eſſe plena, 7 nemo dubitabit, qui legerit Senecam *lib. 3. de Ira cap. 31.* Aulicorum, ambitionis virus, in corde habentium, hos referentem ſermones. *Diis quoque iraſcimur, quod aliquis nos antecedat, obliti quantum ſequatur à tergo ingentis invidiæ. Dedit mihi Prætoram, ſed Conſulatum ſperaveram. Dedit duodecim faſces, ſed non fecit ordinarium Conſulem. A me numerari voluit annus, ſed deeſt mihi ad Sacerdotium. Cooptatus in collegium ſum; ſed cur in annum? Conſummavit dignitatem meam, ſed patrimonio nihil contulit. Ea dedit mihi, quæ debebat alicui dare, de ſuo nihil protulit.* Ita priſcis temporibus loquebantur ambitioſi aulam Principis ſequentes; non minores ſunt in præſenti eorundem lamentationes, falſitates, invidiæ, & iniquitates. Satis nos experientia docuit, veriſſimum eſſe Axioma Pii Papæ Secundi, videlicèt, quòd ſicut omnia flumina intrant in mare, ſic omnia vitia ingrediuntur Aulas Principum. Menochius *in Oeconom. lib. 4. cap. 5. num. 3.*

Quartò: Regularium Monaſteria, & Conventus ab hac lue non præſervantur. Teſtatur Bonifacius Papa Octavus, qui ſic loquitur *in cap.* 8 *Quorundam. 24. de Elect. in 6. Quorundam oculos ſic vitium ambitionis excæcat, quòd quaſi ſuæ Profeſſionis immemores &c. ſolium Prælaturæ conſcendere moliantur.* Religionum Chronicæ ſunt exemplis fœcundæ. Hìc duo annotabo. Frater Juſtinus Ungarus ordinis S. Franciſci donum orationis, & Eſtaſis obtinebat tempore S. Joannis à Capiſtrano, adeò ut Romæ, in Conventu Aræcœli, in Refectorio, audiens lectionem elevatus in ſpiritu, raperetur in aera cum ſtupore, & veneratione Fratrum. Id intellexit Papa Eugenius Quartus, illumque vocavit ad ſe, benignè tractavit, gratiis donavit, quibus ambitioſus factus, cæteros ſpernere fratres cœpit; undè S. Joannes ei dixit: iviſti ſanctus ad Papam, reverſus es dæmonium ad fratres. Paulò poſt aufugit à 9 Conventu, ambitione pellente, feriit cultello ſocium, carceratus obiit infeliciter. Ita *in vita S. Joannis à Capiſtrano*, hiſce diebus in album Sanctorum per Alexandrum Papam Octavum relati *pag. 101. & 102.* P. Antonius Vaz, Societatis Jeſu in Inſulis Molucchis multa millia hominum ad fidem convertit, Regemque *del Moro*, ſacro latice meruit lavare, & Eccleſiæ unire. Mox ambitionis peſte ipſe Antonius tactus, cupiens aliis Miſſionariis, & Patribus, etſi paucis, præeſſe, falſis literis confectis P. Alfonſum de Caſtro Rectorem domus expulit, Luſitanorum Ducis laicam protectionem invocavit, pro ſuæ ambitionis fomento; quæ omnia ad Superiores Societatis delata, expulſioni ejusdem Antonii à Religione, tanquam peſtilentis hominis, cauſam dederunt; ut ſcribit Daniel Bartoli *in Aſia Hiſt. lib. 6. pag. 383.* En ambitionis pernicies.

Quintò: Clericalem cœtum hæc peſtis ſemper invaſit, præcipuè in expetendis dignitatibus, beneficiis, & Prælaturis, & ex ea plurimi in rui- 10 nam, cum Eccleſiæ Univerſalis læſione maxima devenerunt. Origenem, Tertullianum, Oſium ab Ambitione proſtratos probat Menochius *in Stoicis part. 6. cap. 8. pag. 19.* Arius ambitionis æſtu agitatus, cùm Eccleſiaſticam Prælaturam non potuiſſet obtinere, Filii Dei divinitatem tanto cum Eccleſiæ Catholicæ detrimento cœpit impugnare; undè rectè dicta eſt *Ambitio furoris cauſa* à S. Bernardo *epiſt. 126.*

Sextò: Senatus Apoſtolicus non fuit ab hac peſtilentia immunis, pluries enim Apoſtoli leguntur ambitione agitati; nam *Intravit cogitatio in eos, quis eorum major eſſet? Luc. 9.* Unde Chri- 11 ſtus Dominus, *Cùm domi eſſent, interrogabat eos, quid in via tractabatis? At illi tacebant, ſiquidem in via inter ſe diſputaverant, quis eorum major eſſet? Marc. 9.* Conſimilis fuit ambitio filiorum Zebedæi, quorum mater, eorum nomine, ait ad Salvatorem; *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad*

dexteram

dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo. Matth. 20. 21. Et tandem in ultima cœna discipulos, Apostolosque omnes hic morbus corripuit; siquidem *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Luc.* 22. 24. Quare eos sanaturus Redemptor subjunxit: *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator.*

Septimò: Intravit hæc pestifera ambitio in terrestrem Paradisum; quando Adam, & Eva a serpente decepti, propter promissum illud: *Eritis* 12 *sicut Dii. Genes.* 3. 5. dominari, & Deo non amplius subesse appetentes, mortem spiritualem, per privationem originalis justitiæ, ac etiam corporalem, quas & nos experimur, incurrerunt. Undè S. Bern. exclamavit: *Non Evam cibus deflexerat; non mandatorum destituerat oblivio: sed promissi honoris Ambitio illecebrosa decepit.* Polyanthea *Verb. Ambitio col.* 2.

Octavò: Et Cœlum Empyreum ingressa (si ibi ante casum morabantur Angeli) quorum tertiam partem infirmavit, & eorum Principem terruit, suadente eorum ambitione, ne Humanitatem ipsis revelatam Redemptoris Nostri, sibi pa- 13 terentur superiorem, ut docet Suarez *lib.* 7. *de Angel. cap.* 18. *num.* 13. ex S. Cyprian. *tract. de Zelo, & livore*, ac ex S. Bernardo *serm.* 1. *de Adventu*, qui propterea subdit; *Potestatis ambitio Angelum felicitate Angelica privavit*: ratio est, quia Ambitiosus dedignatur alium sibi parem; & nos diximus supra *Decis.* 136. *num.* 9.

Quoad Tertium. Tria notantur Remedia. 14 I. Quod Ambitio impediat assecutionem veri honoris, salvationis scilicet animarum, & adeptionis Regni Cœlestis, juxta illud: *Quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum. Luc.* 16. 15. II. Quod Ambitiosi vita sit miserrima ob incessantem animi, & corporis inquietudinem; undè Alciatus *Emblem.* 87. scripsit:

Vana Palatinos, quos educat Aula Clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

III. Quod omnia incerta, & vana sint in hac vita, quare dulcius, & suavius est, moderatis affectibus virtuti incumbere, & suo statu contenti; ut fusè, sed doctè suadet Seneca *epist.* 74. 15 relatus à Menochio *in Oeconomic. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 1. & 2. quod brevius, sed efficacius docuit Apostolus ad *Galat.* 3. *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* Videantur Canones, & Bullæ Apostolicæ, quæ censuras, & pœnas infligunt contra ambientes Papatum, sivè gratias Pontificias, sivè Prælaturas, & dignitatem tàm in Regularibus, quàm Secularibus electionibus; nec non beneficiis Ecclesiasticis, relatæ à Thesauro *de Pœnis Eccl. part.* 2. *Verb. Ambitus.*

DECISIO CXLVIII.

ARGUMENTUM.

Declarantur mala, quæ proveniunt ex amatoriis conversationibus adolescentum diversi sexus. Et quibus remediis occurrendum sit illis?

SUMMARIUM.

1. *Amatoriæ conversationes filiorum nocivæ eorum genitoribus.*
2. *Adolescentes amore capti videntur insani.*
3. *Exemplum triplicis homicidii ex amatoria conversatione.*
4. *S. Dominicus puellæ interfectæ audit confessionem.*
5. *Peccata, quæ committuntur in amatoriis Conversationibus.*
6. *Matris crudelitas erga duos filiolos.*
7. *Remedia contra amatorias conversationes: Prædicatio Parochorum.*
8. *Pauli Segneri sermones duo de nequitia amatoriæ conversationis.*

DIxere: Tria mala evenire. *Unum* contra Genitores. *Alterum* contra ipsos Adolescentes. *Tertium* contra legem Divinam.

Primum malum est contra Genitores; siquidem 1 filii, & filiæ, qui iisdem obediebant, & erant obsequentes, si capiantur reciproco amore in conversationibus amatoriis diversi sexus, evadunt inobedientes, audaces, temerarii; ut experientia docet. Filius, qui cœpit amare puellam, semper progreditur ad illam die, noctuque; si est artifex, deserit ministerium, laborem, operationem. Tempus insumit apud domum, & apud fenestram puellæ, ut eam videat, illam alloquatur, & quantumvis ejus Genitores reprehendant, minentur, avocent, nihil de paternis præceptis curat; immemor omninò illius sententiæ, *Honora Patrem tuum, & gemitus matris tua ne obliviscaris; memento quoniam nisi per illos natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi. Eccl.* 7. 29. Pariter puellæ, quæ laboribus suis vacabant, matribus erant obedientes, vix capta occasione conversandi cum aliquo Juvene amasio, volitant frequenter ad eum invisendum, alloquendum, & cum eò conversandum, pro nihilo habentes maternas reprehensiones; undè incurrunt pœnas à Deo comminatas in illis verbis. *Quam malæ famæ est, qui derelinquit Patrem, & est maledictus à Deo, qui exasperat Matrem. Eccles.* 3, 18. Addantur detractiones, quæ proveniunt inter genitores Amasii contra puellam, & illos puellæ contra personam, & familiam Amasii, ut ad invicem ostendant eos odibiles; narrantes occultos defectus, peccata, crimina, si quæ unquam interfuere inter utramque familiam; & ex his ad reciprocam notitiam delatis, insurgunt odia, dissensiones, & inimicitiæ, ut quotidiè in hac Diœcesi experimur, & ipsi Parochi testantur.

Secundum malum est contra ipsos Adolescen- 2 tes, qui ob conversationes amatorias adeò exardescunt amore, ut videantur insanire, & furere, nam *Furore amoris nihil est vehementius.* Aut. *Quib. mod. Natur. effic. legit. ff. Novimus.* Hinc se exponunt ad omnia pericula tùm corporis, tùm animæ; & quia frequenter dantur rivales, & socii ejusdem conversationis, facillimè deveniunt ad odia, & ad arma, quibus invicem se aggrediuntur, feriunt, & occidunt; & ecce animarum, corporum, & familiarum excidium. Exemplum sit puella illa, nomine Alexandra, in regno Arragoniæ, cujus causa duo Juvenes eam amantes ad 3 duellum invicem provocati, invicem se occiderunt, quorum parentes, agitati dolore, concurrentes ad domum Alexandræ, ipsam interfecerunt; capite ejus obtruncato, & in puteum projecto. At quia devota erat Deiparæ, ejusque Rosarii, meruit hanc gratiam, ut ad puteum accurrens S. Dominicus, jussu Deiparæ, ejus confes- 4 sionem audiret, & absolveret, ac in Purgatorium, locum salutis, anima illa deducta fuerit. Segneri in Christ. Instruct. *p.* 3. *serm.* 27. *num.* 14.

Ter-

5 *Tertium* malum est contra legem Divinam: quandoquidem, in his conversationibus amatoriis Adolescentium diversi sexus, committuntur peccata, tùm delectationis morosæ, per intentionem copulæ carnalis, quæ mortalis culpa reputatur. Lessius *lib.* 4. *cap.* 3. Bonacina *de Matrim. disp.* 4. *punct.* 8. tùm tactus, & verborum contra honestatem, tùm etiam inordinati amoris, quò magis diligunt Amasiam, vel Amasium, quàm ipsum Deum; & hinc fit, ut adinvicem vocentur Idola, se dicant non solùm amare, sed adorare: prævaricantes illud magnum, imò maximum, & præcipuum Præceptum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua. Luc.* 10. 27. Cessant devotiones erga Sanctos, reverentia in Ecclesiis, frequentia Sacramentorum, ac obedientia erga Parochos, & Confessarios, & vivunt omninò immemores Dei, nihil de salute æterna curantes, sine intellectu, & sine corde, juxta illud: *Fornicatio, & ebrietas auferunt cor. Ose.* 4. 11. Et non solùm committuntur peccata cordis, sed in opere complentur majora flagitia, quæ sunt pollutiones, stupra, maleficia, homicidia, abortus, & infanticidia: ut de quadam Vidua Ado-
6 lescentula refert idem Segneri *dict. part.* 3. *serm.* 28. *num.* 13. quæ capta amore Amasii, instans, ut eam in uxorem duceret; cùm audisset ab ipso, id non esse facturum, ne duo filioli, quos habebat eadem vidua, essent detrimento nascituris; deposito amore materno illos occidit, quo facinore audito, Amasius illam abhorruit, quare meretricium agens, dum navem ascendit, Constantinopolem versus à mare fuit absorpta.

7 *Quò ad Remedia.* Unicum esse scripserunt; videlicèt, ut incessanter Parochi prædicent contra hunc abusum; & concorditer omnes velint ob Dei gloriam, & animarum salutem extirpare, & tollere amatorias adolescentium sexus diversi; studeantque, & discant eorum excusationes convincere, & illam præcipuè, *Quòd talis sit universalis consuetudo:* ostendentes, eam esse peccaminosam, contra Divina Præcepta, & per consequens deserendam; vel *Quòd necessaria sit pro nuptiis ineundis*, demonstrantes, quòd imò ad benè nubendum, opus sit solitudine, modestia, Dei auxilio, orationibus, obedientia erga Parentes, & eorum gubernio, ac consilio, dicente Scriptura: *Mulier bona dabitur Viro pro factis bonis. Eccles.* 26. 3. atque alias rationes, motiva, & argumenta desumentes ex duobus integris sermonibus contra has pravas amatorias
8 consuetudines conscriptis piè, ac doctè ab eodem P. Paulo Segneri in Christian. Instruct. *d. p.* 3. *disc.* 27. & 28. per animarum Pastores necessariò videndis, reassumendo etiam lectionem Casuum Prudentialium, quibus studuerunt super hoc abusu, de quo suprà *decis.* 22. *num.* 12. & *decis.* 138. & à doctoribus observentur, & legantur Tuillius *super Emblem. Alciati* 22. *num.* 111. Clypeus Patientiæ Jacobi Coren. *l.* 2. *cap.* 19. Caussinus *in Aula Sancta lib.* 2. *obst.* 9. Jul. Mazarin. *super Ps.* 50. *disc.* 4. quos allegat, & adhibet inter doctos doctissimus noster Jacobus Pluvene Archipresbyter Fonzasii, Vicarius Foraneus in suis responsis, quibus addatur Martinus Fornarius *Inst. Confessarior. tract.* 3. *cap.* 11. & Polyanthea *in Verb. Amor Venereus.*

DECISIO CXLIX.

ARGUMENTUM.

Agitur, ex Choreis quot mala proveniant? Quibus argumentis sint usuri Parochi contra Choreas?

SUMMARIUM.

1. *Choreæ undè denominatæ?*
2. *Aliæ sunt licitæ, & laudabiles. Exempla de eis.*
3. *Aliæ inhonestæ, & illicitæ. Exempla hic.*
4. *Chorearum damna, & detrimenta tria.*
5. *Animarum perditio ex Choreis.*
6. *Peccata multa in Choreis.*
7. *Chorearum frequentatores pereunt in infernum.*
8. *Exemplum punitionis mulieris saltatricis.*
9. *Chorearum ductores à Dæmonibus obsessi.*
10. *E sepultura à diabolo extracti.*
11. *Verecundia custos castitatis.*
12. Halma *Hebraicè vocatur Virgo, ideſt* abscondita.
13. *Mulierum honestas periclitatur in choreis.*
14. *Domini non possunt compellere ad Choreas fœminas subditorum.*
15. *Pudicitia Mulierum quomodo servetur?*
16. *Mulieres antiquitùs a conviviis exclusæ.*
17. *Habitabant in thalamis à viris separatæ.*
18. *Homicidia ex Choreis.*
19. *Grandines, tempestates ubi Choreæ, & saltus.*
20. *Parochi invehant contra Choreas, & saltationes.*

PRæmittendum: Choreas dici à χορὸς, ideſt 1
multitudine canentium, seu saltantium, nam multorum interventu, & concentu fiunt. Vel à χαίρω, ideſt lætitia; institutæ sunt enim ad lætandum, juxta illud: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te. Ps.* 86. *ult.* Sunt autem in duplici differen- 2
tia: Aliæ *honestæ*, quæ instituuntur sivè ad laudandum Deum, vel à choro mulierum sine viris, ut legitur de Maria sorore Aaron, quæ *Sumpsit tympanum in manum suam, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem ejus dejecit in mare. Exod.* 15. 20. Vel à Choro virorum sine mulieribus, ut fecit David in reductione Arcæ, nam *Abiit David, & abduxit Arcam Dei de domo Obededon in Civitatem David cum gaudio; & erant cum David septem chori* 2. *Reg.* 6. 12. Sivè quæ instituuntur ad honestam lætitiam ob insignem victoriam, de qua est exemplum 1. *Reg.* 18. 6. *Cum reverteretur percusso Philisthæo David, & ferret caput ejus in Jerusalem, egressæ sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, choroque ducentes in occursum Saul Regis in tympanis lætitiæ, & in sistris.* Aliæ autem sunt Choreæ *inhonestæ*, ad tripudiandum introductæ: quales reperit Moyses descen- 3
dens de Monte, institutas ab Hebræis in adoratione Vituli; *Cum* enim *appropinquasset ad Castra, vidit Vitulum, & Choros. Exod.* 32. 19. Et quales agebantur in Silo, quando *Filii Benjamin rapuerunt ibi de his, quæ ducebant choros uxores singulas. Judic.* 21. 23. Primas permittunt Theologi, & Moralistæ, non autem secundas, quas Sancti Patres semper defleverunt, impugnarunt, & damnarunt, ut doctè ostendit P. Paulus Segneri Soc. Jesu in Christiano Instructo *part.* 3. *serm.* 29. *num.* 1. Ex choreis enim tria præcipua mala proveniunt: 1. *Animarum perditio:* 2. 4

Honestatis naufragium; 3. *Bonorum temporalium amissio.* Probantur.

Animarum perditio est primum malum ex Choreis resultans; testante S. Augustino in illis Verbis: *Christiani ad Ecclesiam veniunt, Pagani de Ecclesia reverruntur*, scilicet, ob choreas. *serm.* 115. *de Temp.* Et Sancto Ephrem, dicente: *Ubi Citharæ, & Choreæ, ibi virorum tenebræ, mulierum perditio, Angelorum tristitia, Diaboli festum. De Ludis Christian. fugien.* Rationes sunt multæ, quas congerit Cornel. à Lapidè *in cap.* 15. *Exod.* sed illa principalis, quam adducit Gerson. *serm.* 2. *contra Luxur. Ob fragilitatem humanam difficulter fiunt choreæ sine diversis peccatis; & omnia peccata chorizant in Chorea.* Ubi igitur sunt peccata, ibi est Animarum perditio. Quod autem sint peccata in Choreis, patet, quia aperti sunt sensus oculorum, aurium, oris, & tactus, per quos intrant in corda turpes cogitationes, & desideria luxuriosa. Diluvium refertur ad peccata oculorum. *Videntes filii Dei filias hominum, quòd essent pulchræ. Gen.* 6. 2. Sonus musicus *Magis animum movet ad delectationem. S.* Thom. 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 2. *ad* 4. Et subdit Doctor maximus S. Hieronym. *in Elvid. Ubi tympana sonant, tibia clamitat, lyra garrit, quis ibi Dei timor?* Cibi, & locutiones provocant ad peccatum, ut in populo Israelitico, *Qui sedit manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Exod.* 23. Tactus autem manuum quàm pernicioſi? *Qui tenet eam*, idest fœminam, *quasi qui apprehendit scorpionem. Eccles.* 26. Et prædictus Sanctus Hieronym. *in Vita S. Hilar. Tactum, & jocos peritura Virginitatis principia.* Quod si in Templis audientes Dei Verbum vel sacrificium adorantes, atque mulierem transeuntem videntes, suggestionis malis turbantur; tot, tantique Eremitæ, in desertis locis, induti asperrimis ciliciis, macerati flagellis, & jejuniis, carnales tentationes vincere non potuerunt; quid credendum de illis, quibus omnis est libertas cum mulieribus, in saltationibus & Choreis? Non sine causa dicebat Job: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job.* 31. 1. Igitur negari non potest, in Choreis multiplicia committi peccata, & plurimos esse Chorearum frequentatores, qui *Gaudent ad sonitum Organi, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Job.* 21. 12. quos deflet Sanct. Augst: exclamans. *O quàm miseranda conditio! Ubi citò præterit, quod delectat, & sine fine manet, quod cruciat.* Legatur exemplum Religiosi orantis, ut sibi manifestaretur, in quo magis Juventus Christiana peccaret? Et rapto in spiritu fuit ei ostensus Chorus saltantium, qui Crucifixum percutiebant, circumeundo, & saltando: ex quo didicit, saltationes, & Choreas esse præcipuas causas perditionis animarum. P. Segneri *d. part.* 3. *serm.* 29. *num.* 13. Christiani Instructi.

Hinc aliud exemplum, quod ex Thomæ Cantipraten. *lib.* 2. *cap.* 9. narrat Bagatta *in Adm. Orb. Christ. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 1. §. 3. *num.* 16. fuisse scilicet mulierem procacem, & vanam, quæ omni festo die Choreas conjungere consueverat, & accidentali baculi percussione, elapsi è manu cujusdam Juvenis, dum choream duceret, & saltaret, offensa in capite, statim obiit. Cùmque die crastino ad Ecclesiam pro sepultura deferretur, Taurus nigerrimus, imò Dæmon pessimus, cum mugitu accurrens, feretrum cum corpore dejecit in terram, cornibusque membratim confodit, itaut visceribus hinc indè dispersis, fœtor intolerabilis spargeretur.

Prædicante Sancto Eligio, & Chorearum abusum detestante, impetum fecerunt plurimi Chorearum ductores contra illum; quos tamen Dæmones invaserunt, & per annum cruciavere, donec per orationem ejusdem Sancti liberati fuerint. Surius in ejus Vita *die* 1. *Decembr.*

Citharæ pulsator, & Chorearum Magister, cùm totam diem, duce ejus Cithara, in Chorea, consummasset, vespere, obnubilato cœlo, fuit à fulmine percussus, & necatus; quem delatum ad Ecclesiasticam sepulturam nolebat Parochus admittere, sed vi parentum in Cœmeterio Sacro sepelivit. At die crastina, visa est aperta sepultura sine cadavere, quod Dæmones asportarunt. Matthæol. in Sylva Hist. *part.* 2. *lib.* 7. *cap.* 1. *tit.* 5. ubi alia exempla.

Honestatis naufragium est alterum, præcipuumque malum ex Choreis proveniens. Pro conservanda mulierum honestate, eas natura ditavit, & dotavit *Verecundia*; hæc enim est custos maxima castitatis, juxta Angelici Doctoris sententiam. 2. 2. *quæst.* 144. *art.* 1. & 2. & S. Gregorii Nysseni *Hom.* 3. *in Eccles.* Nec non S. Joannis Climaci, qui sic notavit *Grad.* 14. *Ligavit Deus concupiscentiam mulieris fræno verecundiæ, aliter non fieret salva omnis caro.* Hinc etiam Propertius Poeta cecinit.

Quam peccare pudet, tuta sat est.

Ulterius naturali lumine omnes gentes cognoverunt, fœminas, ob fragilitatem sexus, solitudini esse obligandas; & in Hebraica lingua Virgo vocatur *Halma*, idest *Abscondita*: decet enim, mulieres absconditas esse à virorum conspectibus, quod rigorosè servabant Hebræi etiam in Templo. Joseph *de Bello Judaic. lib.* 6. *cap.* 6. & servant Turcæ, & Chinenses, aliæque barbaræ nationes, nec earum pudicitia periclitetur, scientes, quòd *Ubi non est sepes, diripiatur possessio. Eccles.* 36. 27. Porrò quis nesciat, in Choreis solitudinis lege soluta, verecundiam quoque mulierum fugari? Quomodo ergo honestatem servabunt? Audiatur Franc. Petrarcha *de Choreis Dialog.* 24. sic discurrens: *Non tàm ibi delectatio præsens est, quàm speratæ delectationis auspicium: Veneris præludium illud quidem, sono stupidas, ac miserlas circumducere, atque urgere, & stringere, ac specie Urbanitatis atterere: liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ volant voces, pedum strepitus, & multorum cantus dissoni, & tubarum clangor, conversatio, & pulvis, & quæ sæpè ludis additur hostis pudicitiæ, & amica scelerum nox ipsa. Hæc sunt, quæ timerem, ac pudorem pellunt, hi sunt libidinum stimuli, hæc laxamenta licentiæ.* Hinc est notatu dignum, quod scribit Philippus Decius *in Reg. Semper in contractibus. de Reg. Jur.* videlicèt Jus honestatis esse exemplum ab omni reverentia ex Baldo *in L. Quod ex libera. Cod. de oper. libert.* & ideò à Dominis subditos compelli non posse, ut eorum mulieres vadant ad tripudia, & ad Choreas. Confert illud Alciati Emblema; *Custodiendas Virgines*; quòd commentatur Tullius cum carmine:

Post visum, alloquium, tactum, post oscula factum.

Cho-

Choreæ id efficiunt in mulieribus, quod Salamandra in Arboribus, quas tangit, scilicèt veneno statim inficit & plantas, & fructus teste Plin. *lib. 29. cap. 4.* Quapropter ait Divinum Oraculum. *Filia Patris abscondita est, vigilia, & sollicitudo ejus aufert somnum; nè forte in adolescentia sua adultera efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat; ne quando polluatur in Virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniatur. Eccles. 42. 9.*
15 Et viris optimis semper visum est necessarium ad mulierum servandam pudicitiam, eas non interesse consortiis hominum. Tholosanus *Syntagm. Jur. Univers. lib. 47. cap. 11. num. 13.*
16 Hinc mulieres non admittebantur ad convivia, ut legentibus patet, in cœna Belsazaris. *Dan. 5.* in Conviviis Ahasveri *Esther. 1.* & in cœna Herodis. *Marc. 6.* & apud Ciceronem *Orat. 2. contra C. Verrem,* in qua narrat, quendam Rubrium hospitatum à Philodamo petiisse, ut advocaret ad mensam ejus filiam, quòd omninò hospes recusavit, quia talis mos erat. Imò apud antiquos thalami mulierum separati erant ab hominum
17 consortio. Rebecca enim ducta ad maritum recepta fuit in tabernaculum Saræ. *Genes. 24. 67.* Et pudicissima Judith. in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur. *Judith. 8. 5.* & scribens Philo Hebr. *contra Flaccum* dixit: *Mulieres conclusæ, nunquam è conclavi egredi solitæ, & Virgines in thalamis suis habitantes, & præ pudore declinantes aspectum etiam maximè familiarium.* Menochius *in Oeconom. lib. 5. c. 7. num. 4.* Quibus adstipulatur *Psalm. 127. 3. Uxor tua sicut Vitis abundans in lateribus domus tuæ.* Igitur Choreæ, & saltationes, destruentes has omnes cautelas pro mulierum pudicitia servanda, continuatis temporibus servatæ honestatis causant naufragium.

Bonorum Temporalium amissio est Tertium
18 principale malum, proveniens à Choreis; tùm quia in eis vita frequenter perditur, ob rixas, vulnera, & homicidia, zelotypiæ causa: tùm etiam quia in earum vindictam, & punitionem, præcipuè ob violationem Festivitatum Sanctarum, Deus mittit tempestates, fulmina, & grandines, quæ plantas, & fructus terræ dissipant. Propter peccata veniunt adversa: quia *Propter iniquitatem corripuisti hominem. Psal. 38. 12.* Quando videntur Delphini super aquas saltantes, vicina est maxima tempestas. P. Segneri
19 in Christian. Instructo *d. serm. 29. num. 16.* Et quando in Villis fiunt Choreæ, & saltationes, expectetur devastatio frugum, vitium, & arborum. *Pro eo quod plausisti manu, & percussisti pede, & gavisa es ex toto affectu, idcirco extendam manum meam super te. Ezech. 25.* Legatur exemplum in Diœcesi Colonienſi sequutum tremendæ grandinis, omnes plantas auferentis, ob saltationes contra voluntatem Parochi frequentatas. Matthæol. *d. pag. 2. l. 7. cap. 1. tit. 5. exempl. 5. in Sylva Historiali.*

Quoad Secundum. Argumenta, quibus erit
20 utendum à Parochis, pro eliminandis Choreis, & saltationibus, erunt mala prædicta, si frequenter, cum zelo, & spiritu illa plebibus prædicabunt, cum exemplis & autoritatibus prænarratis; & in confessionibus suadere studebunt tùm puellis, tùm Adolescentibus eadem mala, ut ab eis abstineant. Præcipuè monere debebunt Patres, & Matres familias, ne permittant filios, & filias accedere ad Choreas, sunt enim rationem Deo reddituri de mala custodia natorum, quos à Deo obtinuerunt, tanquam pignora deposita, ut custodiantur. Proderit diebus festis, post decantatas Vesperas, sermonem habere ad populum, exponere VenerabileSacramentum Altaris per aliquod temporis spatium, recitare Rosarium, orare pro Defunctis, sic enim fidelis populus amplectendo quæ Dei sunt, derelinquet, quæ sunt Diaboli, Choreas scilicèt, & saltationes, ut docuimus etiam supra *decis. 4. num. 9.* nec non *decis. 18. num. 6.* in casibus Prudentialibus illarum Decisionum.

DECISIO CL.

ARGUMENTUM.

Ostenditur: Quàm grave peccatum sit Blasphemia? & quibus argumentis retrahendi sint homines ab hoc delicto?

SUMMARIUM.

1. *Blasphemiæ nomen à quo verbo derivetur? & quid sit?*
2. *Blasphemia committitur ore dupliciter.*
3. *Blasphemia duplex hæreticalis, & simplex.*
4. *Blasphemia gravissimum peccatum.*
5. *Deus offenditur immediatè à blasphemis.*
6. *Homo putredo, & vermis.*
7. *Christiani hominis excellentia.*
8. *Lingua prior cæteris membris sacratur Sale benedicto in Baptismate.*
9. *Lingua blasphema ignis comburens.*
10. *Malus habitus blasphemandi non excusat à peccato.*
11. *Blasphemantium excusationes frivolæ.*
12. *Argumenta ad coercendos blasphemos.*
13. *Damnationis signum blasphemia.*
14. *Infamia ex blasphemia.*
15. *Delectatio nulla ex blasphemia.*
16. *Judæis pejores, qui blasphemant.*
17. *Diabolo pejores blasphemi.*
18. *Blasphemorum pœnitentia antiqua.*
19. *Linguæ abscissio, & pœna mortis blasphemi, ac aliæ.*
20. *Lapidatio ex lege Divina.*
21. *Exempla blasphemorum à Deo punitorum &* num. 24.
22. *Pestilentiæ, terræ motus, & fames ob blasphemias.*
23. *S. Philippi Renitii ultio prænunciata in blasphemos.*
25. *DEIPARAM hæreticus blasphemans, quomodo punitus?*
26. *Hæretica parturit suculas, dum blasphemat.*
27. *Usurarii blasphemi ultio.*
28. *S. Malachias à blasphemo irrisus, sed iste punitus.*
29. *Blasphemus in S. Amandum à dæmone occiditur.*
30. *Pœnitentiæ voluntariæ sumendæ à blasphemis.*

PRæmiserunt primò: Blasphemiam esse græcam vocem, compositam ex Verbo βλάπτω quod significat *lædo*: et nomine φήμη quod est *fama*, unde βλασφημέω est famam lædo; & ideò *Blasphemia est Verbum contumeliosum, quo quis derogat, & conviciatur Divinæ Excellentiæ:* quamvis enim etiam solo corde vel facto quis possit blasphemare; verè, & propriè blasphemia ore, & verbis com- 1

2 mittitur. Fit autem dupliciter; videlicèt *Directè*, quando immediatè vel attribuitur Deo imperfectio, seu iniquitas, quam nec habet, nec habere potest; vel aufertur ab ipso Deo Bonitas, seu Potentia, quæ à Deo est inseparabilis, Sive *Indirectè*, quando blasphemiæ sunt contra Deiparam, vel Sanctos; sicut enim Deus laudatur in Sanctis ejus; sic offenditur, & læditur, dum ipsi blasphemantur. Summa Diana *Verb. Blasphemia.* Layman. *lib. 4. tract. 10. cap. 6. à num. 1. & seqq.* Mastrius *in Theolog. Mor. disput. 11. num. 40.* & Tholosanus *Syntagm. Jur. Univ. par. 3. lib. 33. cap. 12. à num. 3. & seqq.*

Secundò præmiserunt: Duas esse species blas-
3 phemiæ, *Hæreticalem unam*, & est illa, quæ repugnat directè articulis fidei, vel continet falsitatem de Deo, vel tribuit creaturæ, quod convenit soli Deo; etiam si blasphemans id esse verum non credat, imò sciat, esse falsum. Layman. *d. cap. 6. num. 7.* Nicolius *in Lucubrat. Civil. lib. 4. tit. 18. num. 46.* Diana *part. 6. tract. 8. resol. 38.* Quæ in Coordinato est *tom. 5. tract. 8. resol. 11.* Lazarus *de Blasphem. quæst. 7. num. 6.* Et Carena *de Offic. S. Inquisition. part. 2. tit. 7. §. 1. & 2.* Altetam *Simplicem*, in qua non est falsitas contra fidem, sed contumelia in Deum, & hoc tripliciter vel enuntiativè, vel imprecativè, vel cum irrisione. Azor. *tom. 1. lib. 9. cap. 28. quæst. 1. & 2.* Layman. *d. num. 7. & 8.* Et nos, qui de hoc peccato precisè tractavimus supra *Decis. 17. & Decis. 18.* cum aliis sequentibus. Novissime Bontempi *tract. 7. num. 68.*

His præmissis dixerunt; gravissimum esse pec-
4 catum blasphemiæ triplici respectu: *Objecti offensi, Personæ blasphemantis, & effectus provenientis à blasphemia.*

Primò gravissimum, & enormissimum delictum est blasphemia respectu *Objecti offensi*, quod est DIVINA MAJESTAS, vel CHRISTUS SALVATOR, sivè DEIPARA, aut SANCTI. Et ideò protulit Sanctus Hieronymus hanc sententiam super Isai. *cap. 18. Nihil horribilius blasphemia: omne quippè peccatum, comparatum blasphemiæ, levius est*: quod confirmat S. Thomas *2. 2. quæst. 13. art. 3.* Probatur. Blas-
5 phemia immediatè Divinam Bonitatem offendit. Malè agit qui percutit famulum Principis, pejus, qui Principis Ministrum, pessimè qui aggreditur, & ferit Principem ipsum; est enim delictum Læsæ Majestatis. Ita qui furatur, adulteratur, odio habet proximum, offendit quidem Deum, sed mediatè in suis creaturis, quasi famulis, & ministris; cùm scriptum sit: *Per prævaricationem legis Deum inhonoras. Rom. 2. 23.* Hæc enim peccata procedunt vel ex infirmitate nostræ naturæ, vel ex ignorantia, & mediatè tantùm offendunt Deum. Porrò blasphemia est peccatum absolutæ malignitatis, intolerabilis audaciæ, & infinitæ malitiæ, immediatè feriens, & percutiens ipsum Deum, Summum Bonum, Dominum universorum, Omnipotentem, Omniscientem, quem *Cherubim quoque, ac Seraphim incessabili voce proclamant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt Cœli, & terra Majestatis gloriæ tuæ.* Qui nobis omnia bona largitur. Et ideò blasphemiam esse crimen Læsæ Majestatis Divinæ, atrocissimum, nefandissimum, & omnium quorumcunque aliorum delictorum, & maleficiorum maximum, ait Lazarus *de Blasphem. in præfat. num. 3.* Hinc illa Verba verissima, sed terrore plena: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? 1. Reg. 2. 25.* Lingua enim quæ blasphemat, *Contra omnipotentem roborata est*, *Job. 15. 15.*

Secundò gravitas, & enormitas blasphemiæ 6
resultat à *qualitate blasphemantis*: siquidem: *Quis est hic, qui blasphemat*, scilicèt *Homo?* Quis inquam est *Homo*, Non est aliud, nisi *Patredo, & Vermis. Job. 25. 6.* Horrendus ausus, quòd creatura humana ita vilis, succida, miserabilis, audeat offendere Deum blasphemando. Sed crescit horror, cum blasphemans non solùm sit homo miserrimus, sed *homo Christianus.* Si Tartarus, si Indus, uterque Paganus, Deum ignorantes, blasphemarent, esset tolerabile. *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Psal. 54. 13.* Sed Christianus homo, filius Dei per gratiam, consors Angelorum, particeps Divinæ Mensæ, cohæres Christi? *Qui dulces mecum capiebas cibos?* Populus Christianus, 7
qui est *Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens sancta, Populus acquisitionis*, qui stricto, ac proprio debito tenetur, *Virtutes annunciare ejus, qui de tenebris* illum *vocavit in admirabile lumen suum? 1. Petr. 2. 9.* Lingua cujuscunque Christiani debet esse thuribulum aureum, thymiamate plenum, quo Deum suavissimis 8
orationum, & benedictionum odoramentis honorificet. Et equidem lingua Christiani, prior cæteris membris, consecratur in Mysterio Baptismi, Sale benedicto. Hinc illud *Væ provocatrix, & Redempta Civitas? Sophon. 3.* id est Væ animæ redemptæ Sacramento Baptismi, quæ audet conviciari, & blasphemando improperare Deo, sicut scriptum est: *Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes; est enim regressus, excepto convicio, & improperio. Eccl. 22. 26.* En igitur, è vilitate hominis, quomodo resultet gravitas blasphemiæ, & præcipuè hominis fidelis, hominis Christiani. Lazarus *de Blasphem. in d. Præfat. num. 4.*

Tertiò augetur enormitas blasphemiæ ab *effectu*, quem producit, nempè dilatatione tanti facinoris in audientes, nam cum lingua blasphema sit *lingua inflammata à Gehenna, Jac. 3. 6.* Dilatat tan- 9
quam incendium hoc scelus in alios; ideòque inferiores discunt blasphemare, quia audiunt blasphemias à majoribus; famuli audientes Dominos, filii sentientes eorum Patres: & ita tanquam flamma diffunditur; & non contenti blasphemare: *Blasphemare* faciunt *nomen Domini* ab aliis. *Apoc. 13. 6.*

Nec suffragantur duæ excusationes: *Una*, quòd 10
ob malum habitum blasphement. Nam furi dicenti, quod non suspendatur in furca, quia furatus est ex malo habitu furandi, quem fecit, Judex respondebit, imò centum furcas tibi parare oporteret, si capax esses, ob hunc malum habitum tuum. *Altera*, quòd blasphemus non intendat Deum offendere, sed iram suam exhalare, & timorem sibi subditis, aut animalibus incutere. Nam si quis sputum projiceret super vestem Principis, dicens ob tussim, vel ad excreandum stomachum id fecisse, non ad injuriandam Principis Majestatem, utique puniretur graviter, quia non desunt loca conspuenda. Ita dicendum est de blasphemo: 11
potest enim iræ suæ locum dare per verba indifferentia, & excitare subditos, seu animalia absque vomitu blasphemiarum. Lazarus *de Blasphem. quæst. 7. à num. 61. & seqq.* Notetur similitudo. Quis abuteretur Planeta sacra, vel Pluviali ad territandas aves in agris? Ut minora bona facias, Dei Majestati conviciaris? S. Greg. Nazianz.

Orat.

Orat. 21. ait: *Dæmones ad Christi nomen exhorrescunt:, nos verò Nomen adeò venerandum contumelia afficere non veremur?*

12 Argumenta autem, quibus Parochi, ac Verbi Dei præcones uti poterunt pro emendatione populorum, & ad eliminandum hoc pessimum scelus, erunt sequentia.

13 Primò: Quòd benedicere Deo sit signum Prædestinationis: & è contra maledicere, & blasphemare sit certum signum damnationis. *Benedicentes ei hæreditabunt terram: Maledicentes autem ei disperibunt. Psalm.* 36. 22. & illud Axioma sacrum, sed timendum, & tremendum. *Homo, qui maledixit Deo suo, portabit* (id est in aliam vitam, moriendo sine pœnitentia) *peccatum suum. Levit.* 24. 15.

14 Secundò: Quòd ignominia maxima sit proferre Verba blasphemiæ, adeò ut secundùm leges humanas blasphemi sint infames. Graffius *decis. aur. lib.* 2. *cap.* 20. *part.* 1. & multò magis ex lege Divina: *Qui contemnunt me, erunt ignobiles. 1. Reg.* 2. 30.

15 Tertiò: Quòd in hoc peccato nulla sit utilitas, nullavè delectatio, prout in aliis: siquidem in blasphemia nil reperitur, nisi rabies, indignatio, & malitia; idcircò dicebat Apostolus; *Blasphemia tollatur à Vobis cum omni malitia. Ephes.* 4. 31.

16 Quartò: Quòd blasphemantes sint viliores Judæis, qui ex malitia quidem, sed cum ignorantia *Prætereuntes blasphemabant eum. Matth.* 27. 39. quia non credebant Christum Dominum Crucifixum esse Filium Dei.

Quintò: Quòd blasphemi homines sint filii Diaboli: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria ejus vultis perficere. Jo.* 8. 44. & quis gratam habebit hanc filiationem?

17 Sextò: Quòd imò sint pejores Diabolo; ipse enim blasphemat Deum ob tormenta, quæ in eum inflixit Divina Justitia, ex qua Deus glorificatur. *Blasphemaverunt Deum Cœli præ vulneribus suis. Apoc.* 16. Porrò homines Christiani Deum blasphemant, à quo innumerabiles gratias, & misericordias recipiunt, tùm temporales, tùm spirituales. *Noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum. Psalm.* 102. 3. Dignus est morte canis rabidus, qui mordet Dominum suum. Sed rabidissimus est censendus, & centum globulis igneis confodiendus, qui mordet Dominum, sibi panem porrigentem, & blanditiis amplexantem.

18 Septimò: Quòd ab Ecclesia hæc statuta sit Pœnitentia spiritualis in blasphemum, ut septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in conspectu populi recumbens, ultimo illorum dierum Dominico, sine pallio, & calceamentis, corrigia ad collum alligata, sedeat, Ecclesiamque non ingrediatur, nisi sex feriis in pane, & aqua jejunaverit, & pauperes simul singulis diebus aliquos refecerit. *Cap.* 2. *de Maledictis.* Tholosanus *Syntagm. Jur. part.* 3. *lib.* 33. *cap.* 12. *num.* 5. Et ulterius si blasphemus fuerit clericus, deponatur, si laicus excommunicetur. *Si per capillum* 22. *quæst.* 1. Nostris autem temporibus blasphemia est casus reservatus.

19 Octavò: Quòd per leges civiles etiam pœna mortis afficerentur blasphemi. Jul. Clarus *§. Blasphemia num.* 10. *& seqq.* Farinacius *quæst.* 179. Lazarus *de Blasphem. quæst.* 5. Carena *d. part.* 2. *tit.* 7. §. 18. & lege Veneta abscinditur lingua blasphemo præter alias pœnas corporales. Prior. *in Praxi Venet. crimin. pag.* 118. S. Ludovicus Galliarum Rex blasphemos ignito sigillo ferreo in frontem bullari decrevit. Paulus Emilius *lib.* 7, *Histor. Galliar.* Et ejus successor Philippus Rex in flumen submergi. Theatrum *Vitæ hum. Vol.* 13, *lib.* 3.

Nonò: Quòd in lege Divina sic statutum 20
fuerit; videlicèt: *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo. Levit.* 24. 16.

Decimò: Quòd Deus sit ultor severissimus 21
hujus horrendi piaculi, ut de Pharaone, Herode, Maxentio, Juliano, & aliis blasphemis; de quibus Tholosanus *dict. cap.* 12. *num.* 7. ponit hos versus.

Impius occubuit gelidis Maxentius undis,
Putribus Herodes tendibus esca fuit.
Persica Julianum blasphemum sica peremit,
Constricto pœnas Commodus ore dedit.
Mersit & in tumidas cœcum Pharaona sub undas,
Sicut & tu justa cade, Philiste, cadis.

Undecimò: Quòd, propter blasphemias, & 22
fames, & terræmotus, & Pestilentiæ fiant. Aut. *Ut non luxurientur homin.* Tholosanus *d. cap.* 12. *num.* 6. & Lazarus *de blasphem. in Præfat. num.* 7. Ideò Joannes Chrysostomus exclamabat *in Hom.* 2. *ad Popul. Antiochen. Obstruamus blasphemantium ora, & tanquam fontes mortiferos occludamus, ut penitùs evanescant mala, quæ Civitates comprehenderunt.*

Duodecimò: Quòd ex Historiis Ecclesiasticis, & gestis Sanctor. semper prompta fuerit ultrix Justitia Divina in blasphemos; Ideò notanda infrascripta exempla.

Contra Blasphemantes DEUM.

Narrat Bzovius *in Annal. Ecclesiast. ann.* 1285. 23
num. 18. qualiter, quodam tempore apud Lavinum amnem, inter Bononiam, & Mutinam: sub arboris umbra, sole ardentissimo, diversatus in itinere Sanctus Philippus Benicius, nonnullis blasphemantibus divinam ultionem prædixit, quæ illos, statim ut ab eis recessit, secuta est. Nam ignis de Cœlo in modum turbinis descendens, arborem cum illis prorsùs absumpsit.

Vincentius *in Specul. Hist. lib.* 21. *cap.* 3. Tempore Anastasii Imperatoris in Africa Olympius quidam, dum in balneis Sanctam Trinitatem blasphemaret, ignito jaculo, cœlitùs veniente, visibiliter combustus est.

Cantipratanus *lib.* 2. *cap.* 49. Frater quidam 24
Ordinis Prædicatorum, bonus quoque, & veridicus narravit mihi, quod quidam tesserarum ludo nudatus, adeò desperatus esset, ut arrepto arcu, sagittam sursum in aere jaceret, quasi ipsum Cœli Dominum percussurus. Et mox sagitta reversa ante faciem jacientis, sanguine recenti totaliter infecta reperta est. Qui mox in maximis lacrymis resolutus, confessus, vitam suam cum mira pœnitentia, ac devotione correxit.

Contra Blasphemantes DEIPARAM.

Gumppenberg, *de Imag. B. M. Virg. Mis. Le-* 25
nicen. in Polonia. Villæ Mis. Lenicensis OEconomus Catholicus domi ad parietem appensam hanc Deiparæ habebat sacram Imaginem: semel igitur quibusdam secum cœnantibus, allatum est ferculum è pultibus, duriusculè coctum, inter

hos unus Dominus Goypchy hæreticus arrepto cultro, pultibus usus pro charta, designare apice cultri cœpit, (*ob irrisionem*) imaginem Deiparæ ex objecto pariete pendentem; sed quocunque cultri apicem ducebat, exibat è pultibus cruor: quod tamen ille tum primùm advertit, postquam manus rigore correpta cultrum amisit. Hoc territus, vovit, se fore catholicum, & repentè brachii, manusque rigorem abiisse, seque sanatum esse sensit.

26 Guilielmus Lindanus *in Apolog. pro Relig. Cathol. cap.* 11. Muliercula quædam, oppido Hollandiæ, Aspera partuire cœpit; convenere vicinæ, atque cognatæ: ubi illa eniteretur difficiliùs, & gravissimè, non minùs, quàm periculosissimè laboraret, una circumstantium, pio ex more puerperam admonet, ut Divam Virginem MARIAM invocaret auxiliatricem. Cui illa: Quid mihi istam, inquit, dicis scrofam? Erat enim infelix mulier hæretica. Verùm non defuit vindicta Dei; paulò enim post, nigellas aliquot in lucem edidit, sed emor-
27 tuas suculas.

Augustinus Mannus *in Select. Hist. cap.* 94. In Civitate Theatina fuit Usurarius lepra à Deo punitus. Vovit, ut sanitatem reciperet, mittere eleemosynam centum aureorum ad Domum Lauretanam. Misit, & sanitatem recuperavit. Revertitur ad usuras, & correptus ab amico, respondit: si fœnus peccatum esset, Deipara meam pecuniam non acceptasset. Nocte expergefactus sensit se iterum leprosum, & subter renes quasi titionem igneum. Accurrit uxor, & ibi reperit crumenam cum pecunia, jam ad Lauretanam domum transmissam. Paulò post Usurarius infelici morte consumptus est. Videatur supra *decis. 29. num.* 12. ubi verba ipsius Manni transcripsi.

Contra Blasphemantes Sanctos, ac Servos Dei.

28 S. Bernardus *in Vita S. Malachiæ.* Quidam petulantis, & infruniti oris, S. Malachiam Hiberniæ Primatem appellaverat simiam; & Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os suum, dum confiteret peccator adversus eum. Sed ejus vindictam fecit Dominus. Eadem die Virum illum effrenis linguæ arripuit Dæmon, in ignem projecit, & varie cœpit torquere; & non nisi vocato S. Malachia, eoque orante potuit liberari.

29 Philippus Abbas Bonæspei *in Vita S. Amandi cap.* 38. Vir Domini Vasconum fines ingressus, populo adhuc Idololatræ fidem Catholicam prædicabat. Quidam de turba levis, & lubricus cœpit turpes effutire blasphemias, non sine cachinno & in servum Dei, & in fidei doctrinam. Statim corripitur à Dæmone, & lanio factus corporis sui, non multò pòst, procacem spiritum pœnis urgentibus exhalavit.

Hæc, & alia plura exempla punitionum, si Parochi enarraverint populo, quæ reperient apud S. Gregorium *lib. 4. Dialog. cap.* 18. in Admir. orbis Christiani *to.* 2. & in sylva Histor. Matthæoli *p.* 1. *l.* 5. *tit.* 27. Divino afflante Spiritu, blasphemiæ extirpabunt.

30 Ultimò doceant blasphemos suscipere voluntariam pœnitentiam, quacunque vice, ex habitu malo, labantur in hoc peccatum; alii enim ea die ab esu carnium, alii à potu vini abstinentes, alii aliam mortificationem facientes, se emendaverunt. Matthæoli *d. tit.* 27. *exempl.* 11. Quod si non fecerint, clangant Parochi, & Prædicatores, quasi tuba, & comminentur blasphemis horrendas, & æternas pœnas inferni, juxta illud: *Commanducaverunt linguas suas præ dolore; quia blasphemaverunt Deum Cœli, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Apoc.* 16. 11.

DECISIO CLI.

ARGUMENTUM.

Indicatur, Quam grave piaculum sit Irreverentia in Ecclesiis? Quibus remediis eidem occurrendum?

SUMMARIUM.

1. *Irreverentia in Ecclesiis peccatum gravissimum.*
2. *Animalium irrationabilium virtutes morales.*
3. *Deus in Ecclesiis præcipuè colendus.*
4. *Irreverentiæ actus in Ecclesiis.*
5. *Irreverentia in Ecclesiis piaculum grave ob tria.*
6. *Judæi ingredientes Templum, osculabantur pavimentum.*
7. *Scholarium aliquorum audientium Missam peccata octo. Et quæ?*
8. *CHRISTUS Dominus præcipuè in Ecclesiis honoratur.*
9. *Dotes gloriosæ CORPORIS CHRISTI debitæ ab Incarnatione.*
10. *Mulierum peccata in Ecclesiis.*
11. *Mulieres ornatæ ab Ecclesia interdictæ per S. Antonium.*
12. *DEIPARÆ cur vocata* Vas insigne devotionis.
13. *Offenditur graviter ob irreverentias in Ecclesiis.*
14. *Exempla vindictæ Divinæ ob irreverentias in DEIPARAM.*
15. *Lauretanæ Sacræ Domus translationum causæ.*
16. *Sancti summa cum reverentia stantes in Ecclesia.*
17. *Vetulæ in Japponia Baptizatæ à S. Francisco Xaverio devotio.*
18. *Sancti in Cœlo obsequentes Deo.*
19. *Angeli coram Altissimo trementes, & genuflectentes in Ecclesiis.*
20. *Domus Dei est Ecclesia.*
21. *Ecclesiarum Christianorum, & Templi Salomonis differentia.*
22. *Delinquens in Palatio Principis reus est læsæ Majestatis.*
23. *Equus alligatus muro Ecclesiæ vertitur in furorem.*
24. *Artifex impura canens in Basilica Sancti Petri, punitus.*
25. *Ecclesiarum ob reverentiam præmia & bona.*
26. *Flagella Divina ob irreverentiam in Ecclesiis.*
27. *Terræmotus ob Ecclesiarum contemptum.*
28. *Templum Salomonis in figura Leonis. Et cur?*
29. *Bella ob irreverentiam Ecclesiarum.*
30. *Ecclesia Sponsa Christi.*
31. *Irreverentiæ in Ecclesiis gravia crimina.*
32. *Oves Hebræorum non depascebant in Monte Horeb. Et cur?*
33. *Animalia genuflectentia in Ecclesiis.*
34. *Filius Prodigus cur non punitus à Patre?*
35. *Theodosii Imperatoris reverentia in Ecclesia.*
36. *Ignorantia, neque inadvertentia excusat Profanatores Ecclesiarum.*
37. *Exempla Profanatorum Ecclesiarum punitorum.*
38. *Mulieres in Ecclesiis telis separentur à Viris.*

Dixe-

DIxerunt, gravitatem piaculi ob irreverentias, quæ committuntur in Ecclesiis, resultare propter sex causas sequentes.

1 *Prima*, ob offensionem Divinæ Majestatis, quam cum debeamus colere, glorificare, adorare, & venerari, irreligiosè, & irreverenter stantes in Ecclesiis offendimus, & dehonoramus. Inter cæteras Morales virtutes præcipua est Religio, qua Deus adoratur, & colitur. Hæc Religionis virtus spectat ad solum hominem ratione præditum; nam cætera animalia, etsi habeant aliquam speciem moralium virtutum; nempè Ci-
2 conia pietatem, Canis fidelitatem, Turtures castitatem, Apes Virginitatem, Formicæ providentiam, de quibus Scriptura dicit; *Vade ad formicam, ô Piger, & disce Sapientiam. Prov.* 6. 6. Religionis tamen virtute sunt omninò expertia, & ejusdem solus homo est capax, qui Deum credere, adorare, & colere tenetur. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 81. *art.* 6. Et quamvis ubique, & in omni loco Deus sit adorandus, & colendus; quia *Do-*
3 *mini est terra, & plenitudo ejus. Psalm.* 23. 1. præcipue tamen voluit adorari in Templis, Ecclesiis, & locis sacris, in quibus dicitur habitare ex abundantia suæ Pietatis erga nos, sicut in Cœlo dicitur regnare ex ubertate gloriæ suæ erga Sanctos, juxta illud: *Dominus in Templo sancto suo; Dominus in Cœlo sedes ejus. Psalm.* 10. 4. Igitur Majestas Divina exigit ab hominibus in Ecclesiis, & locis sacris tributa adorationum, devotionum, humiliationum, & orationum, quibus & exteriùs, & interiùs confiteamur celsitudinem, & excellentiam ejusdem Divinæ Majestatis, & subjectionem, atque reverentiam, quam illi debemus, ut docet S. Thomas *cit. quæst.* 81. *art.* 7. & testatur Psaltes Regius: *In Templo ejus omnes dicent gloriam. Psalm.* 28. 8. Igitur si homo Christia-
4 nus accedens ad Ecclesiam ob Religionis virtutem, in ea committat irreverentias, *lingua* confabulando, ridendo, detrahendo, *oculis* mulieres aspiciendo, *corpore*, indecenter, inciviliterque sedendo, procumbendo, *pedibus* deambulando, *genibus* non genuflectendo, *corde* inhonesta cogitando, *animo* ad temporalia lucra, vel negotia reflectendo, quomodo Deum colit, honorat, adorat, & veneratur? Hæc sunt piacula gravissima
5 in Deum, cujus Divina Majestas dehonoratur, cujus Templum despicitur, ita ut non sit amplius *Domus ejus domus orationis cunctis populis. Isa.* 56. 7. sed domus confabulationis, conversationis, negotiationis, & irrisionis; imò ut ait Unigenitus Dei Patris, *spelunca latronum. Matth.* 21. 13. Hinclamentatur Dominus ob irreverentias, quæ committuntur in Ecclesiis, dicens: *Quid est, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Hierem.* 11. 15. ubi tria notatu digna, videlicèt; Primum: *Quod dilectus meus*; id est populus Christianus, populus fidelis, qui veram habet fidem, qui in me credit, & tamen absque reverentia moratur in Templis Sacris; quod non faciunt Pagani, quod abhorrent Turcæ; ut notat P. Menochius *in Storeis Centur.* 4. *cap.* 69. Quod neque permittebant Judæi, qui legem imperfectam habebant, nam ingredientes Templum, ex devotione, & religione erga Majestatem Divinam osculabantur pavimentum, & parietes; unde il-
6 lud: *Placuerunt servis tuis lapides ejus. Psalm.* 101. 15. Secundò est notandum, quòd Dominus dicit: *In domo mea*; in qua scilicèt standum est cum timore, & tremore. *Sanctuarium meum metuite: Ego Dominus. Levit.* 9. ac proindè protestabatur David: *Introibo in domum tuam: adorabo ad Templum Sanctum tuum in timore tuo. Psalm.* 5. 8. Tertiò, quod ait *scelera multa*; & per ly *scelera* intelliguntur irreverentiæ, quæ sunt peccata gravia, & ly *multa*, quæ ex diversis objectis multiplicantur; nam, ut aliquando observavi, cum essem adolescens in Ecclesia Sanctæ MARIÆ Carmelitarum Paduæ in die festo, ubi advenerant nonnulli Scholares, Missam audituri, 7
de quibus loquitur Glossa *in cap. Odi, in Verb. Sed suas* 24. *quæst.* 1. ipsi quidem, durante Sacrificio, alta voce confabulabantur de rebus vanis, impudicis, & contra famam personarum, & cum juramentis, mulieres adstantes intuendo; undè collegi commissa octo peccata distincta, scilicèt peccatum *non auditionis Missæ*, peccatum *irreverentiæ*, peccatum *incontinentiæ*, peccatum *detractionis*, peccatum *assumendi nomen Dei frustra*, peccatum *perjurii*, peccatum *scandali*, & peccatum *otiosorum verborum*: & nihilominùs in Evangelio scriptum est: *Dico autem vobis, quoniam ob omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii. Matth.* 12. 36. En igitur ex hac prima causa gravitas irreverentiarum, quæ committuntur in Ecclesiis,

Secunda causa est ob offensam Humanitatem Domini Nostri JESU CHRISTI, realiter in EUCHARISTIA existentis. Mente recolendum, voluisse Christum Dominum sibi Ecclesias, & Templa Sacra dedicari, ut sibi compensarentur à populo Christiano injuriæ, opprobria, & ignominiæ, quas ob amorem nostrum passus est toto tempore vitæ suæ, & præcipuè à Judæis in sua Passione. Quæ quidem recompensatio fit per devotionem, adorationem, orationem, Sacramentorum susceptionem, & piam Verbi Dei auditionem. *Ut jugiter* (ait Eusebius) *coleremus* 8
per Mysterium, quod semel oblatum fuerat in pretium. Adeò ut Ecclesiæ substitutæ sint Calvario, & Altaria Cruci; & hæc est una ex præcipuis causis, qua Christus Dominus reliquit nobis Divinum suum Corpus, & Sanctissimam suam Carnem in Eucharistia, ut eidem retribueremus grato animo gloriam, & honorem, quibus per annos tres, & triginta, ob nostram Redemptionem se privavit. Debebantur enim quatuor dotes glorio- 9
sæ corpori JESU CHRISTI statim ab Incarnatione sua, ob hypostaticam Unionem cum Divinitate; sed ab eis contentus fuit abstinere, durante ejus vita mortali; & reputari sicut *Vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis. Psalm.* 21. 7. Statim verò post exitum Sanctissimæ animæ ejus ex suo Divino Corpore, voluit Carnem suam Sanctissimam honorari: quapropter ab hominibus nobilibus, & piis fuit de Cruce deposita, aromatum, & odoramentorum multitudine peruncta, in Syndone purissima involuta, ac in sepulchro novo collocata, & die tertio resurgendo glorificata. Modò à fideli populo attendit recompensationem injuriarum, quibus Judaica perfidia illum affecit. S. Thomas 3. *part. quæst.* 51. *art.* 2. Porrò si hæc vera sunt, prout verissima, quàm gravia peccata sunt illorum, qui morantur in Ecclesiis, ubi adstat Sanctissima EUCHARISTIA, & in ea realiter, & verè CHRISTUS DOMINUS existit? scriptum est: *Dominus in Templo Sancto suo: fileat à facie ejus omnis terra. Habac.* 2. Sed quale silentium, si ubique confabulationes? Ait Princeps

Apo-

Apostolorum locutus de Misericordia Redemptoris: *Ipsi gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.* 1. *Petr.* 5. 11. Sed quomodo dant
10 CHRISTO DOMINO gloriam Mulieres fideles, quæ ideò ornatissimæ veniunt in Ecclesiam, ut accipiant gloriam ab hominibus? aut quomodo subdunt se Imperio Unigeniti Filii Dei, quæ ita denudatæ comparent in pectore, in humeris, in brachiis, ut sibi faciant subdita corda hominum, tanquam idola, adorentur, & ipsæ tanquam Deæ cunctis gentibus principari videantur, quomodo per humilem prostrationem reddunt honorem Unigenito Altissimi, quæ per tumorem superbiæ se exaltant adinstar Luciferi? *Quis tu Mons magne coram Zorobabel? in planum. Zach.* 4. 7. Proh dolor! mulieres fideles, ut plurimùm, ornantur Ecclesiam ingressuræ, non ut
11 reddant gloriam JESU CHRISTO, sed ut ab amatoribus suis illam recipiant. S. Antonius Archiepiscopus Florentiæ tales mulieres ornatas, vel denudatas interdixerat ab Ecclesia, ut scribit Mainardus *in ejus Vita.* Utinam id fieret hisce temporibus! Nec dicant mulieres, non se ornare ad malum finem: quia satis est, si ex earum ornatu sequatur malum. Obtemperent Apostolo dicenti: *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres, promittentes pietatem per bona opera.* 1. *Timoth.* 2. 9. Lutea facies coloribus picta, injustè petit gloriam, & honorem debitum Filio Dei.

12 *Tertia* causa, quæ aggravat irreverentias commissas in Ecclesiis, est offensio Deiparæ; ipsa enim vocatur *Vas insigne devotionis,* nam continebat in se excellenter omnes virtutes, quarum intuitu dignatus est Filius Dei in ejus utero Virginali carnem sumere, & habitare novem mensibus. Ipsa fuit Templum Domini: *Antiph. ad Benedictus S. MARIÆ in Sab.* quia *Quem cœli capere non poterant,* Ipsa *suo gremio contulit:* mox in domo sua illum educavit summa cum reverentia, obsequio, ac ineffabili amore: *Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo. Eccles.* 24. Et tandem stetit juxta Crucem ejus, *ipsiusque animam pertransivit gladius* doloris; qui præ intensione, ac magnitudine assimilatus fuit vastissimo mari. *Cui assimilabo te, Filia Jerusalem? Cui exæquabo te? Magna est velut mare contritio tua. Thren.* 2. 13. Mo-
13 dò dum videt dehonorari à Christianis ingressa templa Filium suum Divinum, & seipsam, quid credendum, sperandumve restat, nisi quòd ejus viscera pietatis claudantur, & relinquat locum Divinæ Justitiæ? Ex sequentibus exemplis comprehendere liceat, quanto Deipara odio habeat irreverentias in Ecclesiis commissas vel contra Filium suum Divinum, vel contra seipsam.

14 Ascanius Persius *in Hist. Imaginis Deiparæ Montis Guardiæ Bononiæ* narrat, quòd duæ mulieres liberalis formæ, magnificisque vestibus, auro, & gemmis ornatæ, (quæ tamen meretrices erant, sed non notæ) cùm alloquutæ diù fuissent cum Sacris Virginibus illius Templi, rogaverunt, sibi donari aliquem ex floseulis, quibus Imago Deiparæ exornabatur, illum devotionis gratia domum conservaturæ. Annuunt Virgines, dumque ab una ipsarum floseulus revelleretur, aër obscuratur, tonitrua, ac fulgura audiuntur, ac terræ motus: quare interrogant de suo statu mulierculas prædictas, & audita earum impudicitia, è Templo illas emiserunt; serenumque cœlum evasit, & ex hoc constitit, quanti displicuisset Deiparæ audacia, & irreverentia prædictarum meretricum.

Idem *de eadem Sacra Imagine* scribit, quòd anno 1535. cùm quidam vir irreverenter voluerit tabernaculum ejus aperire, subita vi perculsus, atque obstupefactus, humi pronus conciderit, in pœnam audaciæ, & irreverentiæ suæ.

Idem pariter notat anno 1588. nunquam potuisse aperiri Sacrarium illius Venerabilis Imaginis, quando inhonestæ fœminæ cupiebant adorare.

Gregorius Turonensis *de Glor. Martyr. lib.* 1. *cap.* 20. scribit, quendam ingressum Ecclesiam Deiparæ, ut pejeraret, ubi manus ante Altare stans sursum extulisset, Sacramentum mendax prolaturus, ruisse supinum, & ita caput in pavimentum collisisse, ut vix vivens erigi potuerit.

Domus sacra Lauretana ideò translata, Ange- 15
lorum manibus, tùm è Nazareth, tùm è Dalmatia, ut se subtraheret, ab irreverentiis Mahumetanorum, ac etiam Christianorum, ut ejus Historiam legentibus apparet in Tursellino, Joan. Villano, atque *in Admiran. Orbis Christ.* Joan. Bonif. Bagatta *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 5. *§.* 8. *num.* 1. & 2. ubi consimile exemplum.

Quarta causa desumitur ab exemplo Sancto- 16
rum, quorum Pietas, & devotio erga Ecclesias, quando vivebant in hoc mundo, & dum regnant in cœlis in gloriæ beatissimo illo Templo, evidenter objurgat, & damnat irreverentias nostras. S. EDUARDUS Rex tanta reverentia, ac devotione Sacrificio Missæ incruento adstabat, ut *CHRISTUM aliquando inter Missarum solennia videre meruerit vultu blando, & divina luce fulgentem.* In Brev. *Lect.* 5. *die* 13. *Octob.* S. WENCESLAUS Bohemiæ Dux ob egregiam suam pietatem, & reverentiam erga Deum, & Ecclesias *Summa Religione Sacerdotes veneratus, suis manibus triticum ferebat, & vinum exprimebat, quibus in Missa Sacrificio uterentur: nocte nudis pedibus super nivem, & glaciem circuibat Ecclesias, sanguinea, & terram calefacientia post se relinquens vestigia. Lect.* 5. Brev. 28. *Septembr.* S. LUDOVICUS Nonus Galliæ Rex quotidie plures Missas devotissimè audiebat, & cùm submissa voce loquentem audisset in oratorio familiarem suum, ita reprehendit, ut deindè nullus ausus fuerit quamvis minimam in Templo committere irreverentiam. Petr. Matthæi *in ejus Vita.* S. HEDUVIGIS Poloniæ Reginæ *Divinis officiis, & Missarum solennis à solennis à solis ortu ad meridiem usque assidua erat assistens.* Lect. 4. Brev. 17. *Octobr.* Hæc exempla transscribere non piguit, tanquam validissima ad ostendendam gravitatem culparum, quas committunt illi, qui stant irreverentes in Ecclesiis; non enim desumpta sunt è vitis Regularium, aut Monialium; sed ex observantia, & pietate Regum, ac Reginarum, quæ comparata irreverentiis inferiorum hominum, magis, atque magis ostendunt enormem eorum irreligiositatem: oppositа enim juxta se posita magis elucent. Arist. *lib.* 2. *de Cœlo cap.* 6.

Sed & aliud pietatis, & devotionis erga Ecclesiam audiamus exemplum. Catharina quædam senex annorum 80. in Amanguccia Insula Japponiæ, baptizata à Francisco Xaverio, media nocte surgebat ad orandum, & confitendum 17
Domino; & quamvis hyemali tempore per ni-

ves,

ves, & glacies iret per milliaria quinque antelucanè ad Ecclesiam, in qua *Pater Cabral. Societatis JESU* Missam celebrabat, ac ibi devotè Divino Sacrificio Neophyta in fide assistebat, spretò timore Luporum, ac Tigrium, à quibus homines frequenter in itinere insultabantur. Pater Daniel Bartoli *in Historia Asiæ par. 2. libr. 1. pag.* 23. 24.

In Cœlo autem Sancti existentes; talem erga
18 Deum in Templo illo beatissimo gloriæ exercent reverentiam, ut ex ea cognoscatur pariter turpitudo accidiæ, & pigritiæ nostræ in Templis Sacris: quandoquidem scriptum est de ipsis Sanctis: *Procidebant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Apoc.* 4. 10.

19 *Quinta* causa pravitatis eorum, qui se irreverentes gerunt in Ecclesiis, desumitur à Spiritibus Angelicis Sanctis; qui quidem leguntur stantes in Cœlis: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei, Dan.* 7. 10. Porrò in Ecclesiis pluries visi sunt genuflexi ob reverentiam debitam, & quam ipsi fideliter præstant JESU CHRISTO Filio DEI; juxta antiquum illud præceptum: *Et adorent eum omnes Angeli ejus. Hebr.* 1. 6. Et de Angelorum genuflexione in Ecclesiis testantur Sanctus Joannes Chrysostomus *libr. de Sacerd.* & Sanctus Gregorius Papa *libr.* 4. *Dialog. capit.* 58. & Hierolexic. Magrii *in Verb. Angelus.*

20 *Sexta* tandem causa desumitur è loco Sacro, qualis est Ecclesia; ipsa enim est verè domus Dei, & domus orationis. *Domus mea, domus orationis est cunctis gentibus. Matth.* 21. 13. Notandum, quòd in Lege veteri Jerosolymitanum Templum verè dici non poterat domus Dei; siquidem, ut ait Apostolus: *Deus non in manufactis Templis habitat. Act.* 17. Sed Templa Christianorum verè sunt domus Dei; quia in ipsis resi-
21 det, & habitat Dominus Noster JESUS CHRISTUS in Augustissimo Sacramento Altaris; ipse enim dixit: *Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Matth.* 28. 20. Et sicut Reges ad deponendam regiminis curam per aliquot dies habent domum deliciarum, ad quam divertunt, sic Redemptor noster reputat Ecclesias Christiani populi domus deliciarum: *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum. Matth.* 28. 20. Ex his deducitur gravitas irreligiosæ irreverentiæ commissæ in Ecclesiis; sunt enim Divina Palatia Regis cœlestis, quorum ingressus non est licitus, nisi ad Regem adorandum. *Adorabimus in loco,*
22 *ubi steterunt pedes ejus. Psalm.* 131. 7. Ideòque gravissimè delinquunt, qui vel confabulantur, vel alia indecentia patrant; quia crimen Læsæ Majestatis est in Palatio Principis delictum perpetrare. Gigas *de Crimin. Læsæ Majest. lib.* 1. *qu.* 58. *num.* 7.

23 Hinc habemus *in Actis SS. Martii. tom.* 3. Bollandi, quòd quidam miles securus castra in festo S. Quirini Martyris, equum suum alligaverat muro Ecclesiæ ejusdem Sancti; & ecce mox caballus in furorem versus, frœnum revulsit, indomitusque gyros egit; usque dum rotata vertigine mortuus concideret. Quo aperte Sanct. inclytus Athleta ostendit, sacra loca non esse stabulandis equis exponenda. Bagatta *in Admir. Orb. Christ. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 3. *§.* 2. *num.* 11. Si punitio in equum stantem apud Ecclesiæ muros; qualis pœna in jumentorum dominos; qui ea sinunt ingredi Ecclesiam? Sed quæ animadversio in homines, more jumentorum, irreverenter stantes, sedentes, aut se in Ecclesiis extendentes? Et demùm quæ rigorosa castigatio in cogitantes, vel proferentes impudica? Notate exemplum. *Anno* 1630. in Basilica S. Petri Romæ ad ejus or-24 natum plures artifices elaborabant. Eorum unus amatoriam quandam cantiunculam exorsus est canere impuram. Corripitur à Sacerdote, & admonetur de irreverentia loci sacri. Risit ille, & irrisit. Paulò post labitur ex alta machina, & graviter elisus miserè occubuit. Janus Nicius *in Admir. Orb. Christ. tom.* 2. *libr.* 5. *cap.* 3. *§.* 4. *numer.* 9.

Remedia pro tanto morbo curando, & irreligiosis irreverentiis eliminandis à Sacro templo pendent ab argumentis, & rationibus, frequentissimè per RR. Parochos, & pios Concionatores prædicandis; quorum præcipua sunt.

Primùm. Quòd qui in Ecclesia dat honorem 25 Deo, recipit remunerationem, & exauditur in his, quæ petit. *Da, & accipe, & justifica animam tuam.* Eccl. 14. 16.

Secundum. Qui devotus est in Ecclesia, consequitur remissionem culparum, & gratiæ Divinæ abundantiam. *Ego autem in multitudine Misericordiæ tuæ introibo in domum tuam. Psal.* 5. 8.

Tertium. Ulteriùs ex devotione, & reverentia in Ecclesiis provenit remissio pœnarum, quæ erant luendæ in Purgatorio; & ideò Ecclesiæ comparantur fontibus salutaribus, in quibus bibunt Unicornia, & ex quibus tollitur omne venenum peccati. *Ædificavit sicut Unicornium Sanctificium suum in terra. Ps.* 77. 69.

Quartum; Quòd se devotè gerentibus in Ecclesia dantur bonæ inspirationes, & devotiones: è contra verò confabulantibus, & irreverentibus denegantur; ac in eis remanet spiritus aridus, & cor durum. *Dicit Dominus exercituum, quia domus mea deserta est, propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem.* Aggeus 1. 10.

Quintum. Quòd ob irreverentiam in Ecclesiis 26 veniunt flagella, grandines, siccitates super satis, & vineis. *Pro eo, quòd sanctum meum violasti, in omnibus offensionibus tuis, & cunctis abominationibus tuis, ego quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miserebor. Ezech.* 5. 11.

Sextum: Preces publicæ, & Processiones in necessitatibus factæ hac de causa non sunt efficaces ad gratiam obtinendam. *Cùm clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam. Ezech.* 8. 18.

Septimum: Terræmotus causa principalis hisce 27 temporibus est irreverentia, & irreligiositas Christianorum in Ecclesiis; quæ olim in terræmotibus subsistebant. Card. Baron. *ann.* 343. hodiè prolabuntur ob crimina in ipsis patrata; sic Deo vindice volente, & Angelis ministris Justitiæ suæ mandante: *A Sanctuario meo incipite. Ezech.* 9. 6.

Octavum: Ob hæc peccata Christus Domi-28 nus, qui *mitis est, & humilis corde*, iratus operatur tanquam Leo: *Et ego faciam in furore meo. Ezech.* 8. 18. Hinc Templum Salomonis constructum erat in figura Leonis, & dicebatur *Ariel*, id est, *Leo Dei*, quia peccantes in Templis Deus punit tanquam Leo offensus. Ar. Montanus *de Templ. Fabr.* Juxta illud: *Zelus domus tuæ comedit me. Joan.* 2. 17.

Nonum: Sancti Protectores noſtri, videntes has Eccleſiarum irreverentias, ceſſant orare pro nobis. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, non obſiſtas mihi. Jer. 7. 16.*

29 Decimum: Ab Eccleſiarum contemptu veniunt bella, & urbium ſubverſiones. *Poſuerunt offendicula ſua in Domo, in qua invocatum eſt nomen meum, ut polluerent eam: ideo, ecce dies venient, dicit Dominus, & quieſcere faciam de Urbibus Juda, & de plateis Jeruſalem vocem gaudii: in deſolationem enim erit terra. Jerem. 70. 30.*

30 Undecimum: Et jure quidem aggravatur manus Dei ſuper profanatores Eccleſiarum; quia ſi ſervus ſervum offendat, corripitur ab aliquo juſſu Domini. At ſi ſervus offendat Sponſam Domini, auſus peccare in illam, ab ipſomet Domino occiditur. At quis ignorat, Eccleſiam eſſe ſponſam Chriſti? *Sponſæque ritu cingeris, mille Angelorum millibus. Hymn. in Dedic. Eccleſ.*

31 Duodecimum: Ideò inculcandum, & inſinuandum plebibus, non eſſe levia peccata, quæ in Eccleſiis committuntur, ſed gravia; ſapiunt enim ſpeciem Sacrilegii. *Nihil ad Deum pertinens leve eſt: & quod culpa exiguum videtur, grande hoc facit Divinitatis injuria. Salvian. de Prov. lib. 1. c. 2.*

32 Decimumtertium: Quòd Hebræi ob reverentiam montis Horeb, in quo ſemel Deus locutus fuerat Moyſi, non permittebant, oves ſuas paſcentes illi appropinquare. Segneri *in Chriſt. inſtruct. par. 3. ſerm. 4. nu. 19.* Et eò minùs debent Chriſtiani dare paſcua ſenſibus ſuis in Eccleſia, in qua præſens eſt idem Deus. *Terribilis ſuper omnes, qui in circuitu ejus ſunt. Pſal. 88. 8.*

33 Decimumquartum: Quòd animalia ipſa irrationabilia ſæpè ſæpiùs venerata ſunt loca ſacra, & ipſum Deum; ut de duobus juvencis, oblatis imagini S. Dominici Soriani, genuflexis in Eccleſia, refert Sylv. Frangipanis *in Hiſt. Sorian. Imagin. c. 27.* Cui addatur mula hæretici eſuriens, quæ tempore Thaumaturgi Noſtri Sancti Antonii, relicto cibo, genuflexa Sacram Synaxim adoravit.

34 Decimumquintum: Quòd fuit punitus, qui ad cœnam Regis intravit *Non habens veſtem nuptialem. Matth. 21. 11.* Sed filius prodigus uberem miſericordiam invenit, etſi graviter peccaverit, quia non in domo Patris, ideſt in Eccleſia, ſed *abiit in regionem longinquam. Luc. 15. 13.*

35 Decimumſextum: Quòd Theodoſius Junior Imperator ingreſſurus Eccleſiam, non ſolùm deponebat arma, ſed etiam coronam ob reverentiam loci ſacri. Segner. *dict. ſerm. 4. nu. 10.*

36 Decimumſeptimum: Non eſſe ſuffragaturam hiſce profanatoribus aſſertam inadvertentiam, vel ignorantiam, quia cùm inceſſanter Paſtores animarum prædicaverint, & docuerint, quòd *Terribilis eſt locus iſte; hic Domus eſt, & Porta Cœli*, per Sacrificia, & Sacramenta, non poterit populus in puncto mortis, quaſi Jacob excitatus à ſomno dicere: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Geneſ. 28. 16.*

37 Decimumoctavum: Referantur exempla elementorum, Principum, & aliorum, qui obſequuti Eccleſiis, ac Templis ſacris, mercedem à Domino reportarunt: & è contra punitiones eorum, qui in Eccleſiis irreligioſi fuerunt: quæ habentur in Sylva Hiſtoric. Matthæoli *p. 1. lib. 3. cap. 1. tit. 23. tit. 24. & tit. 25.* ubi abundanter.

Ultimum: Omni conatu Parochi ſervare fa- 38
ciant Præcepta Eminentiſſimi Præſulis, jubentis mulieres in Eccleſiis ſeparari per telas ſtrangulas ab hominibus, quod etiam ſtatutum fuit *in Conſtitut. lib. 2. cap. 61.* & quòd mulieres non niſi velato capite Eccleſiam ingrediantur *cap. Penul. 35. quæſt. 5.* Barboſa *de Jur. Eccleſiaſt. Univerſ. l. 2. c. 3. n. 32.*

DECISIO CLII.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, Quæ, & Quot ſint malæ cogitationes cordis? Quanta earum malitia? Quibus remediis repellendæ?

SUMMARIUM.

1. *Appetitus Rationis, & Senſitivus, ac Phantaſia quid ſit?*
2. *Motus appetitus ſenſitivi quot ſint?*
3. *Motus primò primi, & ſecundò primi an ſint peccata?*
4. *Motus involuntarius, ac imperfectè, & perfectè voluntarius.*
5. *Conſenſus Voluntatis vel expreſſus, vel Virtualis, vel Negativus, & quando ſit mortalis, vel venialis?*
6. *Deſiderium, & Delectatio an ſint idem?*
7. *Moroſa delectatio quid ſit?*
8. *Moroſa delectatio circa divitias, an ſit peccatum?*
9. *Deſideria peccaminoſa in hominibus diverſa conditionis.*
10. *Cordis, ſeu cogitationis peccata quanam ſint.*
11. *Eccleſia non judicat de occultis.*
12. *Hebræi non admittebant, cogitationes turpes eſſe peccata.*
13. *Cordis peccata cavenda, ac cogitationes turpes.*
14. *Seminationis, & Plantationis differentia.*
15. *Cogitationes turpes timendæ, & expellendæ.*
16. *Diabolus tentat vehementiſſimè in extremis.*
17. *Concubinarius confeſſus, Sacramentis munitus, in puncto mortis deſiderio concubinæ damnatus.*
18. *Aqua quò impurior, facilius ebullit.*
19. *Cogitationum turpium remedia.*
20. *Febris quando reputetur lethalis?*
21. *Cogitationibus turpibus ſatis an ſit non conſentire?*
22. *Cogitationes cordis turpes confitendæ.*
23. *Cogitationes turpes in ſomnis repellendæ. Exempla.*
24. *S. Catharina Senenſis tentata turpibus cogitationibus.*
25. *Item Eminent. Cardin. Baronius in ſenectute.*
26. *Caſtitas à caſtigando.*
27. *Mulierum converſatio fugienda.*
28. *Jacobi Eremitæ lapſus horrendus in carnalitatem.*
29. *Sori Eremitæ rigoroſa pœnitentia ob aſpectum mulieris.*
30. *Picturæ inhoneſtæ nec videndæ, nec habendæ.*
31. *DEIPARAM habeant in Patronam, qui turpibus cogitationibus agitantur.*

PRo intelligentia hujus caſus, & eorum, quæ dici poſſunt, atque ſciri debent à Parochis, & aliis Confeſſariis circa peccata cordis, & turpes cogitationes, præmiſerunt.

Primò: Secundùm Philoſophos in libris de 1
Anima, dari in homine Appetitum rationis, à

quo

quo procedunt operationes intellectus, & voluntatis; item Phantasiam, in qua insunt potentiæ imaginativæ; ac tandem Appetitum sensitivum; qui duas habet principales partes, Concupiscibilem scilicet, & Irascibilem; à quarum prima prodeunt desideria carnis, bonorum temporalium, atque honorum; ab altera verò odia, & motus vindictæ. *Mastrius in Theol. Moral. disp.* 11. *n.* 185.

2 *Secundò*: Motus appetitus sensitivi, tàm in concupiscibili, quàm in irascibili, alios esse *primò primos*; alios *secundò primos*. Primi generis, & *primò primi* dicuntur illi, qui repentè consurgunt, & omnem rationis considerationem præveniunt; itaut nulla sit apprehensio, vel suspicio malitiæ, & hi non sunt peccata, quia non sunt in nostra potestate; nec sunt voliti in se ipsis, neque in causa: non est autem peccatum, nisi voluntarium directè, vel saltem indirectè, idest, vel in se, vel in causa; & hoc intelligendum est non solùm de primis motibus sensualitatis, sed etiam intellectus, & voluntatis: ut accidit, quando aliquis subitò suspicatur malum de proximo, vel quid venit in ejus
3 mente contra fidem. Motus secundi generis, seu *secundò primi* dicuntur illi, qui succedunt motibus primò primis, & in eis intrant aliquæ operationes appetitus rationalis, ideſt advertentia intellectus, & inclinatio voluntatis, & ex his desumitur gravitas peccati; quoniam, si nulla est advertentia intellectus, nullus quoque est consensus voluntatis, quæ nunquam fertur in incognitum. Si verò est aliqua advertentia, sed imperfecta intellectus, adesse quoque poterit aliquis consensus imperfectus voluntatis faciens peccatum veniale; quòd si plena sit intellectus advertentia, & cum ea plenus voluntatis motus, seu consensus, erit peccatum mortale, in re tamen gravi, vel re, quam non excuset materia levis. Becanus *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 5. *quæst.* 5. Mastrius *Theolog. Moral. quæst.* 11. *numer.* 148. & latiùs *num.* 186. ubi idem explicat sub aliis terminis; ideſt *Involuntarium*, ex quo nullum peccatum; *Imperfectè voluntarium*; ex quo peccatum veniale; & *perfectè voluntarium*, quod est peccatum mortale; qui quidem tres motus, seu termini vocantur à Theologis *suggestio, delectatio, & consensus*. Ex suggestione nullum nascitur peccatum: ex delectatione peccatum veniale: at ex consensu mortale. S. Bonavent. 2. *disput.* 24. *part.* 2. *art.* 3. *quæst.* 1. & 2.

4 *Tertiò*: Consensum Voluntatis triplicem esse posse, *Expressum, Virtualem*, & *Negativum*. Ille dicitur consensus *Expressus*, qui etiam dicitur *Directus*, quando voluntas expresse, & directè tendit in objectum sensualitatis, volendo, & approbando illud idem, quod appetitus sensitivus appetit, prævia plena intellectus advertentia; & in hoc casu est peccatum mortale, nisi talis sit materia, quæ ob parvitatem excuset. Consensus *Virtualis*, qui etiam indirectus, seu interpretativus appellatur, est, quando voluntariè fit aliquid, quod est causa motus sensualis; ut curiosè legere, jocosè loqui, immoderatè aspicere; & in hoc casu si ipsa causa sit mortalis, etiam motus sensualitatis ex ea provenientes erunt peccata mortalia: quòd si ipsa causa sit venialis; & motus sensuales non sint plenè voliti, erunt veniales. Consensus *Negativus* est, quando voluntas sentiens motus sensualitatis negativè se habet, illos non impediendo, & non reprimendo, sed neque eos volendo. Mastrius *d. disp.* 11. *num.* 187. Et in hoc casu speculativè loquendo, & in rigore Metaphysico nullum est peccatum; quia cùm hi motus sensualitatis proveniant à natura, non est credendum de Divina Bonitate, salutem æternam hominis exposuisse his periculis; cúmque ipsi motus cadant sub præcepto negativo *Non concupisces*, satis est non consentire in illos. Summa Diana *Verb. Delectatio Morosa. num.* 2. Jo. Sancius *in Select. disput.* 21. *n.* 3. Gobat *tract.* 7. *numer.* 329. Castropal. *tom.* 1, *tract.* 2. *disput.* 2. *punct.* 10. §. 5. *num.* 3. & Tamburin. *in Decalog. lib.* 10. *cap.* 2. Nihilominùs in sensu practico dicendum est; saltem ad majorem cautelam, non sufficere consensum negativum, præcipuè in motibus sensualitatis, ob nimiam carnis fragilitatem, sed illis esse resistendum positivè; vel se Deo 5
commendando, vel cogitationem in objectum bonum dirigendo, vel protestando, se nunquam consensurum turpi illi suggestioni. Ratio hujus opinionis est, quia in Præcepto negativo *Non concupisces*, quod obligat semper, & ad semper, inest affirmativum, resiste turpi cogitationi, quando scilicèt advenerit; ita ex S. Thom. 3. *par. qu.* 74. *art.* 6. Bonacina *de Matrim. q.* 4. *punct.* 7. ubi Lessius, Reginald. Sanch. Filliuc. & alii, quibus adhæret Mastrius *d. disp.* 11. *n.* 189. & declarant mea Erotemata *cap.* 1. *qu.* 6. & dictum fuit in his Decisionibus Miscellaneis *Dec.* 1. *n.* 7.

Quartò: Aliud esse *Desiderium* rei turpis, aliud *Delectationem* ob rem turpem: *Desiderium* est vo- 6
luntas, intentio, vel propositum efficax rei malæ, & illicitæ, cum intentione deveniendi, si posset, ad illius executionem; & hoc semper est peccatum mortale; juxta illud *Matth.* 5. 28. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*; desiderando scilicet copulam carnalem cum illa actualiter, & cum effectu, quantum est in ipso, qui mulierem concupiscit. *Delectatio* verò est simplex amor, vel complacentia objecti cogitati, absque desiderio executionis; & dicitur *Delectatio morosa*, non à *mora temporis*, quo durat hæc co- 7
gitatio, sed à *mora rationis*, eò quòd homo, positiva advertentia malitiæ actus, adhuc delectationem admittit, & in ea advertenter immoratur, & quodammodò requieſcit in ea, & quamvis aliqui Moralistæ conentur probare, hanc non esse peccatum mortale, ea ratione, quia omninò hæc delectatio morosa præsciditur ab opere exequendo; nihilominùs certa, & probabilior sententia est eam censeri peccatum mortale ex doctrina S. Augustini *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 2. S. Thomæ 3. *part. quæst.* 74. *art.* 8. *ad* 4. Abelly *in* 6. *Dec. præc. §.* 1. & Mastrii *d. disput.* 11. *num.* 192. Itaut vix excusentur conjuges cogitantes in absentia de eorum carnali copula, absque periculo pollutionis, quia delectatio in ipsis est de re licita. Diana *par.* 9. *tract.* 8. *resol.* 44. sedens in Coordinato *tom.* 2. *tract.* 6. *resol.* 196. & Gobat *tract.* 10. *numer.* 653. At in aliis personis quibuscunque non solùm morosè delectari in rebus venereis est peccatum mortale, quia vix esse potest, ut in actu delectationis volitæ non subrepat voluntas executionis; sed ulteriùs, qui fuit morosè delectatus, tenetur in confessione exprimere statum suum, si sit conjugatus, vel Religiosus, ac etiam statum personæ, ad quam cogitabat in delectatione morosa, videlicèt, si erat conjugata, Virgo, affinis, seu Monialis. Bonacina *de Matrimon. quæst.* 4. *punct.* 8. & ibi Navarr. S. Antoninus, Lessius, Tabiena & alii. Mastrius *d. disp.* 11. *nu.* 193. & Tamburin. *de Expedit. Confession. lib.* 2.

lib. 2. cap. 7. §. 1. Vide mea Erotemata *cap.* 108. ubi plenè de Delectatione morosa.

8 Tandem præmiserunt, Delectationem morosam, ac peccaminosam non solùm accidere in rebus venereis, sed etiam in immoderato desiderio divitiarum: ideò mortaliter peccant, qui ad hunc effectum ludis immoderatè abutuntur; mercatores, qui rerum penuriam, annonæque caritatem expetunt; atque ægrè ferunt, ut alii præter ipsos sint, qui vendant, aut emant, quò
9 cariùs vendere, aut viliùs emere ipsi possint. Item peccant, qui alios egere cupiunt, ut aut vendendo, aut emendo ipsi lucrentur. Item milites qui expetunt bella, ut furari possint. Medici, qui morbos desiderant. Jureconsulti, qui lites flagitant. Artifices, qui inopiam rerum exoptant. Ac demum illi, qui ex odio delectantur vel malo ex vindicta inferendo, vel adversitatibus, quas patitur suus adversarius, ut advertit Mastrius *in cit. disput. 11. num. 196.* Et advertere debent Confessarii audientes prædictarum personarum Confessiones, quas aliquando interrogare oportet de peccatis cordis antedictis.

10 His ita constitutis, pro resolutione propositi casus Prudentialis, dixerunt, malas cordis humani cogitationes eas omnes esse, quæ adversantur Præceptis Divinæ Legis juxta Evangelicam monitionem *Matth. 15. 19. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Hæc sunt, quæ coinquinant hominem.* Undè notarunt, quòd sola lex Divina punit malas cogitationes cordis, non etiam Lex civilis, vel humana, quæ tantummodò castigat opera mala exteriora, non autem cogitatus malos internos; & ratio est, quia Deus intuetur corda hominum juxta illud: *Oculi Domini lucidiores sunt super solem, hominum corda intuentes in abscónditas partes. Eccl. 23. 28.* Sed Principes, & Magistratus non vident, neque judicant nisi opera exteriora: *Homo videt ea, quæ patent, Dominus autem intuetur cor. 1. Reg. 16. 7. Et Spirituum ponderator est Dominus. Proverb. 16. 2.* Undè dici solet, quòd Ecclesia non judicat de occultis. *c. Erubescant dist. 32.* Et ideò cogitationes cordis non esse comprehensas in legibus
11 humanis, cognoscitur ex eo, quòd leges humanæ nullam statuunt pœnam contra cogitationes malas. S. Thomas *1. 2. qu. 100. art. 9. in c.* ubi dicit: *Illud propriè cadit sub Præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur.* Et quamvis malæ cogitationes sint prohibitæ per Decalogi ultima duo Præcepta; Hebræus populus parùm advertebat ad illas; imò multi ex Judæis arbitrabantur, non dari peccatum, nisi in opere exteriori, & completo. Joseph. Flavius *Lib. 12. Antiquit.* Abulensis *tract. 2. in Matth. fol. 337.* forsan quia pro interioribus actibus certa Sacrificia non injungebantur in Lege. S. Thomas *2. 2. qu. 54. art. 3. ad 3.* Quapropter & dicebant & docebant: *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Matth. 5. 43.* Quos correxit Unigenitus Dei Filius, qui est Sapientia Patris, cùm venisset in mundum, prædicans illis: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros. Joan. 44.* Et, *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Matth. 5. 28.* Quod etiam per Prophetam fuerat antea intimatum: *Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Jer. 4. 14.* Et advertit Julius Maurocenus olim Rabbinus, mox Neuphytus, eruditi sui operis *p. 2. c. 69. pag. 150.*

Quantam autem sit earumdem cordis cogi- 13
tationum malarum malitia, testatur Conc. Trid. *sess. 14. c. 5.* dicens: *Nonnunquam*, Peccata cordis, *Animam gravius sauciant, & periculosiora sunt iis, quæ manifestè admittuntur.* Et equidem duplici respectu; *Primò* quia frequentiora, & magis multiplicia sunt cordis peccata, quàm externa, opere completa; sicut magis multiplicia erunt furta, quæ committentur, si portæ domorum relinquantur apertæ, quam si per fenestras cogantur fures ascendere. *Numquid apertæ tibi sunt portæ mortis?* ait *Job. 38. 17. Portæ mortis sunt cogitationes pravæ*, notat ibidem S. Gregorius: sensus autem nostri exteriores vocantur fenestræ. *Mors per fenestras nostras ingressa est domus nostras. Hier. 9. 21.* Igitur peccata operis pauciora, & difficiliora, sicut furta per fenestras, quæ requirunt scalas, & auxiliatores. Peccata cordis frequentiora, & majoris numeri, sicut furta patrata, ubi repertæ sunt domus apertæ. Simile de frugibus camporum, quæ copiosiores sunt ex seminatione plantarum, quàm ex arborum plantatione; hæc enim est laboriosa, & difficilis, 14
ideòque rara; sed illa facilis, frequens, & ubertosa. Diabolus ditatur non per plantationem actualium culparum, à quibus plurimi abstinent vel ob impotentiam, vel ob verecundiam; sed utique ob seminationem malarum cogitationum in cordibus hominum. *Inimicus homo superseminavit zizania, & abiit. Matth. 13. 25.*

Secundò sunt periculosiora peccata cordis, 15
quàm sint peccata operis, quia homines parùm curant de cogitationibus malis, & difficillimè emendantur; tanquam servi soliti vapulare, qui pro nihilo habent vapulationes. *Verberaverunt me, sed non dolui; traxerunt me; & ego non sensi. Prov. 22. 35.* Et ideò quamvis corripiantur, rident, irrident, non curant emendari. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis. Psal. 80. 11.* Et adveniente morte sunt in probabili periculo damnationis. Ratio est evidens. Vel enim mors ex improviso adveniet, & moriuntur sine confessione damnati. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Eccl. 11. 3.* Vel dies transitus ad aliam vitam prævenietur ab infirmitate, & longo agone; & absque dubio tentabuntur vehementissimè à Diabolo in extremis, *tanquam leo rugiens,* 16
quærens ut illos *devoret. 1. Petr. 5. 8.* sicut Pharao crudeliùs persecutus fuit populum Hebræum, quando exibat de regno ejus; & tentatio non erit super operibus peccaminosis; sed super cogitationibus pravis, & immundis; sufficit enim præstare assensum ipsarum uni, & animam perdere, juxta axioma commune: *Qui peccat in uno, factus est omnium reus.* Non desunt horrenda exempla.

P. Joan. Dominic. Ottonellus Soc. Jesu in suo opere *de Christiana Charitate cap. 29. exempl. 5.* narrat virum nobilem solitum habere concubinam; cùm ex infirmitate ad extremum vitæ perveniisset, confessus est, ac communicatus,

Oleo

17 Oleo sacro inunctus, à Sacerdote adjutus, obiit, sed post mortem revelatum est eidem Sacerdoti, in infernum esse damnatum, quia non restitit Diabolicæ suggestioni circa Concubinam, cujus in corde, si sanaretur, amplexus desideravit. Consimilem casum ex Vega *cap. rarior par.* 2. *cap.* 2. refert Segneri *in Christ. instr. par.* 1. *serm.* 31. *num.* 16. Nec mirum, quia qui solitus est in sanitate turpibus cogitationibus delectari, quomodo in agonia negabit iisdem assensum? Si sanus ad levem ictum cadit, quomodo stabit moribundus, frequentibus, ac potentibus ictibus, & aggressionibus percussus? Utique, *Ibunt in adinventionibus suis. Psal.* 80. 11. Utique verificabitur in illis: *Et in peccato vestro moriemini. Joan.* 8. 21. Quò impurior est aqua, eò citiùs inflammatur, & ebullit; ut de luteis
18 aquis Nili refert Strabo *lib.* 15. *Geograph.* Hoc idem evenit hominibus, impura corda ex habitu habentibus, & morosis delectationibus, impurisque, ac carnalibus cogitationibus assensum præstantibus; hi enim vix tentati à Diabolo, in supremo vitæ spiritu, cadent in desiderium carnis, & subindè in infernum. *Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Eccles.* 9. 11. En igitur quanta est malitia pravarum cordis cogitationum, tùm ex multiplici numero mortalium culparum, tùm ex moralissimo periculo damnationis æternæ in extremo vitæ spiritu; in quo infelices peccatores à Diabolo capiuntur. *Venatione cæperunt me quasi avem inimici mei gratis. Thren.* 3. 52.

19 Remedia, quibus per Parochos, Confessarios, ac Verbi Dei Præcones docendi, ac hortandi sunt peccatores ad repellendas cogitationes malas, & illas eliminandas à cordibus suis, erunt sequentia.

Primum. Timorem sanctum Dei habere; & sæpè recordari, quid sibi acciderit in puncto mortis; scriptum est enim: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl.* 7. 40.

Secundum: Considerare periculum damnationis æternæ ob consuetudinem malarum cogitationum; & expavescere judicium finale, fiendum statim, post exitum animæ de corpore; nam *Beatus homo, qui semper est pavidus. Prov.* 28. 14.

Tertium: Sibi persuasum iri, quòd salus æterna pendet à custodia cordis; & idcircò *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ab ipso vita procedit. Proverb.* 4. 23.

Quartum: Malitiam malarum cogitationum,
20 & morosarum delectationum in corde esse lethalis adinstar febris, quæ tota insidet in visceribus, de qua est Aphorismus ille: *Si exteriora frigent, & interiora calent cum siti, lethale.* Hippocrat. *lib.* 4. *Aphorism.* 48. Ideò omni diligentia cavendum à malis cogitationibus. *Cave, ne fortè subrepat tibi impia cogitatio.* Deuteronom. 15. 9.

Quintùm: Proscribere, & abjurare opinionem illam, de qua supra, docentem satis esse, non
21 consentire delectationi turpi; & profiteri, ac fideliter practicare sententiam contrariam, quæ docet, eas esse repellendas, mentem ad Deum elevando, & ejus adjutorium humiliter petendo; vel animum, & cogitatum in aliud objectum virtuosum dirigendo; vel expressè protestando, se nunquam assensum præbiturum; ad exemplum Eleazari, qui proposita sibi Legis transgressione. *Respondit, citò præmitti se malle in Infernum. 2. Machab.* 6. 13. quàm consentire transgressioni.

Sextum: Si aliquando turpis aliqua cogitatio moram fecerit in corde; de ea humiliter confi- 22
teri, cum dolore, & proposito emendandi: *Lava à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva fias: usquequò morabuntur in te cogitationes noxiæ? Hier.* 4. 14.

Septimum: Servare semper horrorem maxi- 23
mum adversus pravas cogitationes, adeò ut etiam in somniis phantasmata inhonesta repellantur, ut fecit S. Franciscus Xaverius, cui ex violentia in resistendo fracta est vena in pectore. Segneri *in cit. serm.* 21. *num.* 9. ac S. Philippus Nerius ajebat, etiam nocturnas illusiones esse Confessario manifestandas. Baccius *in ejus Vita lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 16.

Octavum: Quòd si Deus in humilitatis exercitium permittat aliquando corda fidelium turpi- 24
bus cogitationibus vexari, ut legitur de S. Catharina Senensi, in ejus vita scripta à P. Paulo Frigerio Presbytero Congregat. Oratorii Romæ *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 3. & de Cardinali Baronio in ejus senili ætate, Barnabeus *in ejus Vita lib.* 3. *cap.* 12. præter lacrymosæ confessionis remedium, recurrere ad ferventem orationem; 25
muscæ enim non stant super olla ebulliente; neque cogitationes pravæ in anima ardentiùs orante; ut de Sancto Christophoro à mulierculis in carcere tentato narrat ex Surio *in ejus Vita*, Sylva Histor. Matthæoli *part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 2. *tit.* 8. *exempl.* 5.

Nonum: Affligere corpus jejunio, cilicio, ac pœnitentia; castitas enim juxta S. Thomam dicitur à castigando; & ita fecisse Abbates 26
Moysem, & Isidorum refert Matthæoli *ibid. exempl.* 6. Unde ipsemet Apostolus ajebat: *Castigo corpus meum. 1. Cor.* 9. 27.

Decimum: Fugere conversationem mulierum, & aspectum ipsarum; nam *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt; colloquium* 27
enim illius quasi ignis exardescit. Eccles. 9. 11. Et hìc narrandum lacrymabile, vulgatumque exemplum Eremitæ Jacobi, qui consumptis annis quadraginta in pœnitentia rigorosa, in ætate sexaginta annorum, adolescentulam, quàm à Dæmone liberaverat, & secum remanere permiserat, stupravit, deindè occidit, ac in desperationem lapsus, relicto Eremo, ad omne 28
flagitium committendum ibat, nisi ex Dei pietate ad pœnitentiam revocatus esset. Ex Lippomano Matthæoli *ibidem exempl.* 7. Vice versa, Sanctus Sorus Eremita in Galliis, quia semel in juventute aspexerat mulierem nudam, se lavantem in flumine, adeò doluit, ut ad repellendas è corde suo turpes imaginationes, se occluserit in caverna, in qua annis quadraginta continuis permansit, negato sui conspectu etiam propriæ matri: cùmque prope cavernam accederet quædam mulier, neque monita recederet, in 29
eam conspuit S. Eremita, & sputo oculum percussum excæcavit: quæ domum reversa reperiit, omnes de sua familia oculum perdidisse, filios, canem, felem, & gallinas, ut pie, ac luculenter scripsit ex Bollando (Italico sermone) Hieronym. à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacris tom.* 2. *Calend. Febr. pag.* 25.

Undecimum: Etiam ab inanimatis imaginibus 30
ocu-

oculos avertere, & præcipuè à Picturis obscœnis, è quibus prodeunt turpes cogitationes in corde, juxta illud; *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine. Job. 31. 1.* Referatur exemplum Pictoris in Purgatorio existentis, qui vix evasit infernum, ob depictam inhonestam imaginem, de quo P. Menochius *in Oeconomic. l. 3. cap. 2. num. 4.*

81 *Duodecimum:* Veram, & constantem devotionem, ac fiduciam habere in DEIPARAM Clementissimam Dominam, ac Advocatam nostram; tùm, ut puro corde in hac vita vivamus: Est enim ipsa *Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei, & flores ejus fructus honoris, & honestatis. Eccl. 24. 23.* tum, ut in puncto mortis à tentationibus Diaboli liberemur, & æternam vitam consequamur; ut testatur Divus Bernardus *serm 4. super Missus est*, ita dicens: *Per te, ò Genetrix Beata, cœlum repletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cœlestis Jerusalem, expectantibus miseris vita perdita data. Sic potentissima, & piissima Charitas, & affectu compatiendi, & subveniendi abundat effectu, æquè locuples in utroque.* Certum est enim, Deiparam non deserere in morte devotos suos; nam *Qui EAM invenerit, inveniet vitam. Prov. 8. 34.*

DECISIO CLIII.

ARGUMENTUM.

Perquiruntur, & examinantur viginti quatuor peccata Patrum, ac Matrumfamilias occasione filiorum. Quibusvè rationibus suadendi sint ad benè educandos Filios.

SUMMARIUM.

1. *Conjuges cupientes filios non generari peccant.*
2. *Conjugum peccata in usu Matrimonii*
3. *Abortus ex inadvertentia prægnantium.*
4. *Infanticidia ex negligentia Matrum.*
5. *Infantes ex nimio lacte Matris suffocati.*
6. *Matres dantes filios lactandos aliis mulieribus an peccent?*
7. *Matrum nobilium lactantium suos filios exempla.*
8. *Matrum officium lactare filium.*
9. *Lactare filios etiam matres vilis conditionis recusant.*
10. *Matrum peccata filiolos importunos in Ecclesiam deferentes.*
11. *Parochi tacentes, etsi filioli tempore Missæ sint obstrepentes.*
12. *Amor nimius genitorum in filiolos peccaminosus.*
13. *Matris prudentis dictum de filiolis suis.*
14. *Genitorum culpa non docentium filios timorem Dei.*
15. *Fidei articuli explicandi per Parentes filiis.*
16. *Puerorum facinora à genitoribus laudata.*
17. *Maledicentes filios suos peccent.*
18. *Pueri Diabolum nominantis ad omnia, Exemplum.*
19. *Filiorum energumenorum ob imprecationes parentum.*
20. *Fratres, & Sorores non permittendi simul dormire, &* num. 57.
21. *Salomon annorum 12. genuit filium Roboam.*
22. *Fratris, & Sororis Matrimonium.*
23. *Filii à genitoribus in proprio lecto non tenendi.*
24. *Puer decennis coit cum nutrice.*
25. *Parentum vitia scandalizant filios.*
26. *Homicidiorum quatuor causa malum exemplum Patris.*
27. *Puellæ non permittendæ cum amatoribus loqui.*
28. *S. Antonini visio de Angelis, mox de Dæmonibus super domo trium adolescentularum.*
29. *Matrum peccata ornantium filias.*
30. *Ducentium illas ad Choreas, & amores.*
31. *Asperitas nimia genitorum in filios peccaminosa.*
32. *Divites filios ut relinquant, peccant parentes.*
33. *Clericali vita filios indignos genitores applicantes peccant.*
34. *Parochi occisi à suo Capellano tragicus Casus.*
35. *Religionem filii, filiævè ob parentum vim ingredientes.*
36. *Moniales invitæ jugiter cum Jephte deflentes.*
37. *Maritantes genitores filias quando peccent?*
38. *Matrimonium cur indissolubile?*
39. *Lacedemones puniebant genitores filiis delinquentibus.*
40. *Genitorum obligatio benè educandi filios.*
41. *S. Wenceslai educationis, ejusque fratris Boleslai differentia.*
42. *Genitores jus à Deo castigandi filios suos habent.*
43. *Mater dimidium filiorum.*
44. *Matrum sanctè educantium filios, exempla.*
45. *Pueritiæ tempore instruendi filii in bono.*
46. *Catulorum educationis discrimen.*
47. *Ecclypses Solis mala, atquæ de mane pessime.*
48. *Filia defloratæ apud Hebræos cur ante domum paternam lapidaretur?*
49. *Filiorum vitia Parentibus deferenda.*
50. *Angelos cur Deus creavit in instanti; homines successivis temporibus?*
51. *Pater æquè, ac Mater, debet filios devotè educare.*
52. *Parochi negligentes docere doctrinam Christianam puniuntur ab Episcopo; qui & genitores excommunicare potest.*
53. *Diabolus exultans ex negligentia Parochorum.*
54. *Sale olim infantes aspersi.*
55. *Correctio Paterna suaviter facienda.*
56. *Exemplum bonum dent genitores filiis, &* num. 58.
59. *Indolentia Cœli, ac Terræ ob filios malè educatos.*
60. *Oculi è capite adulterantium eruti. Et cur?*
61. *S. Antonius Abbas mulieri pulsanti noluit aperire.*
62. *Monstra cur nascantur in Africa?*
63. *Conversare cum fœminis periculosum.*
64. *Stultitia, & Amor inseparabiles.*
65. *Turcæ, & Mahometani diligentissimi in custodia mulierum.*

DIxere: Multifariam, multisque modis Conjuges peccare occasione prolium; præcipuè sequentibus ex causis.

Primo; Desiderantes non habere prolem ad 1
effugiendum onus illam educandi; est enim contra unum ex finibus principalibus Matrimonii; undè ait Tertullian. *Homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert, natam quis eripiat animam, an disturbet nascentem. Apolog. cap. 3.*

Secundò: In petitione, seu redditione debiti 2
conjugalis talia exercentes, qualia pudicas aures dedecent Confessariorum, præsertim accedentes præposterè; si mulier sit incuba; aut menstruorum tempore, vel ita partui proxima, ut ipsi moraliter obfuturus sit carnalis congressus; de quibus peccaminosis actibus tractant Moralistæ; Sanchez *de Matrim. lib. 8. dis-*

spu-

sput. 9. & plur. seqq. Gobat. *de Matrim. tract. 10. à num. 476. cum seq.* Diana Coordin. *tom. 2. tract. 6. à resol. 180. & seq.* Videantur meæ Decisiones de Pœnitentia *decis. 27. num. 12. & 13.*

3 *Tertiò:* Abortum committentes, etsi non data opera; sed culpabili inadvertentia, vel malitia. Exempli gratia dum uxor prægnans sustollit pondera, quibus causatur Abortus; vel maritus calce, aut pugnis eam impetit more belluino, juxta illud: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Psal. 48. 13.* Et hujus facinoris reus fuit Novatus hæresiarcha; de quo S. Cyprianus scripsit *lib. 2. Epist. 8. Et damnare nunc audet Sacrificantium manus, cum sit ipse nocentior pedibus, quibus filius, qui nascebatur, occisus est.*

4 *Quartò:* Post partum tenentes parvulos editos in proprio lecto absque ulla cautela, cum periculo suffocationis, & infanticidii; quod crimen utinam frequenter non eveniret; cujus testes sunt Confessarii & quamvis sit casus reservatus; & in aliis Diœcesibus sit adjecta excommunicatio contra Patres, & Matres detinentes recenter natos in lecto, parùm vel timetur, vel obeditur, tùm ex incuria Parochorum non inculcantium hoc præceptum in suis concionibus ad populum: tùm ex malitia ipsorum genitorum, ac Matrum præcipuè, quæ ob frivolas excusationes paupertatis, vel frigoris (verè autem ut minus incommodum sentiat) volunt audacter in lecto retinere infantes absque cautione; itaut de illis dicendum sit, quòd allegant quidem excusationes, sed *ad excusandas excusationes in peccatis. Psal. 140. 4.*

5 *Quintò:* Peccant Matres in lactando infantes; plures enim illarum habent ubera ita lacte abundantia, ut papilla in ore infantis, & sugentis immissa, sinentes se à somno rapi, puer ex nimio lacte suffocetur, cui ex compassione dicendum foret; *Quare mater tua leæna? Ezech. 19. 2.*

Sextò: Sed plurimæ matres nobiles graviter in
6 obligatione deficiunt non lactantes proprios filios, sed illos nutricibus lactandos tradentes, quæ quidem nutrices sæpè sæpiùs malis moribus imbutæ, & malo lacte (vel ex occulta earum conceptione vel occultiori morbo gallico, aut alia sanguinis impuriate) infantulos cibantes, eosdem ita malè affectos reddunt tùm in animo, tùm in corpore; ut vix adhibeatur remedium. Et ideò hæ matres non sunt à peccato immunes; est enim contra naturale præceptum, fœtas matres statim se lacte privare, ut incontinentiæ operam navent; cum natura easdem genitrices lacte ditet, & donet, ut fœtus suos nutriant. Neque eas tuetur à culpa universalis consuetudo; quia damnatur in Jure tanquam prava per text *in cap. Ad ejus dist. 5.* ubi sic: *Ad ejus verò concubitum Vir suus accedere non debet, quousque qui gignitur, ablactetur. Prava autem consuetudo in conjugatorum moribus irrepsit, ut filios suos, quos gignunt, nutrire mulieres contemnant, eosque ad nutriendum aliis mulieribus tradant. Quod videlicet ex sola carnis incontinentia videtur fuisse inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt.* Certe videntur crudeliores feris, quæ tanto amore nutriunt prolem suam; de quibus scriptum est: *Lamiæ nudaverunt Mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei crudelis, quasi struthio in deserto. Thren. 4. 3.* Non ita fecit Sara uxor Abrahæ, quamvis ditissima, quæ ipsamet voluit lactare Isaacum, quem pepererat. *Gen. 21. 7.* Non ita Anna Mater
7 pueruli Samuelis, quem & ipsa lactavit. *1. Reg. 1.* Non ita Mater Machabæorum, quæ juniori filio, martyrio proximo, dixit: *Te in utero novem mensibus portavi, & lac triennio dedi: 2. Mach. 7. 27.* Non ita Hecuba Trojana Regina, quæ Hectorem lactavit. Homer. *lib. 22. iliad.* Non ita Regina Thessalonica, quæ Regem filium Antipatrum propriis uberibus aluit. Justinus *lib. 16. in princip.* Non ita Penelope, quæ allactavit Telemachum. Homerus *in Odiss.* Non ita Mater Honorii Imperatoris, à qua fuit lacte materno alitus. Claudian. *in Panegyr. 4.* Audiant hæ matres delicatæ S. Ambrosium *in lib. 3. de Abrah. cap. 7. Provocantur fœminæ meminisse dignitatis suæ, & lactare filios suos: hæc enim matrum gratia, hic honos, quo se propriis commendent viris.* Quapropter frivola est excusatio Matrum nobilium se scilicet subtrahere à lactanda prole ne dedecus incurrant; siquidem nulli mulieri, etsi nobili, aut Heroinæ, potest esse dedecori lactare filium, quem novem menses in pe- 8
nitissimis uteri recessibus aluit, & quem ex propriis visceribus eduxit: imò naturam offendit mater, recusans hominem viventem, & matris officia implorantem suo lacte nutrire, quem in utero latentem sanguine aluit, ut docent DD. quos refert Barbosa *in collect. ad d. cap. Ad ejus dist. 5. numer. 2.* Tiraquell. *de Nobilit. cap. 20. num. 78.* Covaruvias *in Epitome Decret. lib. 4. part. 2. cap. 8. §. 6. num. 13.* Et noviss imè pluribus relatis Narbona *de Ætate anno 3. quæst. 1. num. 13.* ubi invehit con- 9
tra hunc abusum; quem, (ah quanta ambitione!) illum prosequuntur etiam fœminæ ordinariæ conditionis, quarum mariti ne eas contristentur, vel cum illis venerei abundantiùs sint, quamvis facultatibus careant, imò neque pecuniam ad nutricis stipem dandam habeant, filiolos committunt alienæ nutrici, à qua modicum lac exhibetur, quia modicum exigitur salarium. Exaltent Parochi, quasi tuba vocem suam in Congregatione Patrumfamilias. Legant mea Erotemata de hoc abusu tractantia *cap. 99. num. 18.*

Septimò: Matres peccant, dum infantulos crescentes portant ad Ecclesiam, Sacrificii tempore; 10
eosque constrepere sinunt vel Rosarium jactantes, vel vocem attollentes, vel si pedibus sint assueti, per Ecclesiam decurrentes, cum litantis Sacerdotis, & fidelium adstantium summo fastidio; quasi essent catelli irrationales; ut videtur innuere *Job. 21. 11.* illis verbis: *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus.* At culpa hæc est etiam Parochorum, qui zelo carent; satis illis vivere. Si reprehenderent, si objurgarent has Matres, si eas docerent, vel pueru- 11
los domi tenere; vel ab initio eisdem innuere, in Templo, ubi Deus colitur, ubi Christus immolatur, ubi Angeli stant genuflexi; cum silentio, cum timore, & tremore immorandum, utique non esset absusus iste ubique communis.

Octavò: Peccant Genitores filios grandiores factos nimio amore prosequentes, & eosdem incipientes habere velle, & nolle, in omnibus, & per omnia contentantes; ac quasi Idolecta adorantes. 12
Quid ex hoc tenerrimo amore? Vel Deus punit genitores morte puerorum, ne plus amentur, quàm ipse Deus, ut de Vitulo aureo fecit Moyses *Exod. 32.* Vel si filioli vivunt, & adolescunt, inobedientissimi evadunt, & in parentes insurgunt. *Lacta filium, & paventem re faciet: lude cum eo, & contristabit te. Non corrideas illi, ne doleas; & in novissimo obstupescent dentes tui. Eccles. 30. 9.* Audivi 13
prudentissimam quamdam Matrem ita dicentem;

Num.

Nunquam osculata sum filios meos, postquam eos ablactavi, ut eos cum timore educarem.

Nono: Peccant Genitores, omittentes imbuere mentes filiorum reverentia, & timore Majestatis Divinæ; neque eis de die in diem insinuantes, Deum super omnia esse timendum; Divina præcepta esse omninò servanda; potius moriendum, quàm peccandum. Esse æternam vitam post mortalem hanc, & quidem duo loca æterna: *Paradisum* pro bonis, *Flammas Tartareas* pro malis Chri-
14 stianis. Ecclesias, Sacramenta, Sacerdotes summa veneratione colendos. Divinam Voluntatem, à cujus providentia omnia pendent, semper promptè amplexandam, tàm in prosperis, quàm in adversis; hæc enim si frequenter parvuli trimi, quadrimi, & in ulteriori ætate à parentibus audirent, & tanquam semina Christianæ pietatis in cordibus suis tenellis reciperent, fructum timoris Dei redderent grandiores facti; ut scriptum legimus de Tobia, qui puerulum suum *Ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato. Tob.* 1. 10.

Decimò: Delinquunt Parentes non explicantes pueris suis mysteria fidei; neque eos ad Ecclesiam solliciti mittentes, aut potius associantes, ut à Parocho, aliisve eruditis Magistris discant Deum unum in essentia, Trinum esse in personis, Secun-
15 dam Sanctissimæ Trinitatis personam carnem sumpsisse, virtute Spiritus Sancti, ex Maria Virgine; & in eadem carne Christum Dominum Deum, & hominem nos redemisse, mediante sua Sanctissima Passione, Morte, & Resurrectione. Cæteros Symboli articulos non declarantes, aliasve partes Doctrinæ Christianæ, ut illam ediscant; majorem curam animalium, & stabulorum, quàm animarum gnatorum habentes; itaut de plurimis familiis verificetur quod de domo Herodis pronunciavit Augustus Imperator, *profuisse magis, nasci sues, quàm filios;* Macrobius Saturn. *lib.* 2. *cap.* 4. & quod ad populum inculcabat aureum os S. Joannis Chrysostomi: *Majorem asinorum, & equorum, quàm filiorum curam habemus.* Homil. 60. *in Matth.*

Undecimò: Peccant Parentes approbantes vel furta filiorum, fructus, plantas, ova, forsan &
16 alienas gallinas, vel oves domum deferentium: vel eorundem filiorum ferocitatem, & manus violentas; adeòut si audierint, ab ipsis aliquem saxis, vel pugnis percussum; laudent opus, & subdant, ne permittas ab aliquo te conculcari; in rixa esto primus in percutiendo. Sic ego faciebam, cùm tuæ essem ætatis. Nullus me momordit canis, cujus pilis non mederer mihi. Non ita faciebat Tobias, qui audita voce hædi furto subrepti ait: *Reddite hædum Dominis suis, quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere. Tob.* 2. 11. Non ita docebat Apostolus, qui imò dicebat genitoribus: *Educate filios vestros in disciplina, & correptione Domini. Ephes.* 6. 4.

Duodecimò: Rei sunt genitores pueris suis maledicentes, nam *Maledictio Matris eradicat fundamen-*
17 *ta domus. Eccles.* 3. 11. Filiolo sitienti cùm mater tandem dixisset, accipe, bibe Diabolum, statim energumenus evasit filius, quem nullus liberare potuit, nisi Sanctus Zanobius Archiepiscopus Florentinus, ut narrat *in ejus Vita* Surius. Alius puerulus, satis simplex, qui erraverat à via, & ne-
18 sciebat reverti domum, flebat; Viatores illum interrogant de nomine? Respondit, vocor *Diabolus.* Quærunt, quis sit ejus Pater? Respondit *Diabolus.* Quæ Mater? ait *Diabolus.* Quæ sit ejus domus? reiterat dicens domus mea est *domus diaboli;* sic enim pluries audivi patrem meum dicentem, & vocantem Matrem meam diabolum, & illam pariter appellantem Patrem meum diabolum, ac me ipsum diabolum, Marchantius *in Candelabr. tract.* 8. *Propos.* 3. S. Catharina Senensis dicebat Matri suæ: ne, quæso, Mater maledicas mihi, sed potiùs verbera me. *In ejus Vita* Paul Frigerius *lib.* 1. *c.* 4. *num.* 3. Anno 1604. in Villa Tinascíæ in Hispania filiola quædam maledicta fuit à Matre, dicente vade, & in te intrent tres Dæmones, & statim fuit oppressa à Spiritibus immundis, quorum egressum obtinuerunt merita SS. Ignatii, & Francisci Xaverii, ac Stanislai, ut notat Bartoli *in ejus Beati* 19 *Vita cap.* 14. Alia lugubria exempla maledicentium genitorum videantur apud Menochium *in Storeis part.* 1. *cap.* 53. *& part.* 4. *cap.* 86.

Decimotertiò: Gravis culpa est parentum, permittentium pueros diversi sexus, quamvis fratres, & sorores, in eodem lectulo dormire. Ait Ari- 20
stoteles, filios in quarto, vel quinto anno ætatis somnia facere *lib.* 4. *Histor Anim. cap.* 10. Narbona de ætate Anno 5. quæst. 1. Nos asserere possumus in hac ætate plures fieri capaces malitiæ. Igitur, omninò separandi. Salomon cùm esset annorum duodecim genuit Roboam. S. Hierony- 21
mus *in Epistola ad Vitalem.* Et Achaz Rex Juda in eadem ætate filios habebat. In præsenti sæculo, in Gallia frater, & soror in tenera ætate simul dormientes, tandem carnaliter simul copulati sunt; tantusque ardor reciprocæ libidinis in eis exarsit, ut abstinere ab hac incestuosa copula nescirent. Uterque ad licitas nuptias transivit; sed uterque fastidiens suum conjugem, convenerunt simul fu- 22
gere, & incestuosa copula absque fræno potiri; quod perpetrarunt, donec in carcerem detrusi, ob adulterium, & incestum capite puniti fuerunt. Franciscus Rossetus *Hist. Tragic. exempl.* 7.

Decimoquartò: In culpa pariter gravi sunt Pater, & Mater, qui in proprio lecto dormire faciunt filiolos grandiusculos factos; multi enim, ex solutione debiti Matrimonialis eorumdem parentum, discunt actiones turpes, & carnales. Cu- 23
riositas, secundùm Sanctum Thomam, est prima egressio contra castitatem. Pueri audiunt, observant, ediscunt. Plures nascuntur cum dentibus. Plinius *lib.* 7. *cap.* 16. Et plurimi ab utero matris portant quandam specialem malitiam pro rebus venereis, juxta illud: *Erraverunt ab utero. Psalm.* 57. 4. Puer decennis, dormiens cum sua 24
nutrice, eam fecit prægnantem, & seipsum Patrem Cælius Rhodigius *lib.* 14. *cap.* 8.

Decimoquintò: Peccant Parentes, permittentes vel se audiri à puerulis pronunciantes verba obscœna, res turpes, maledicta, & blasphemias; vel se videri quodcunque facinus perpetrantes; nam 25
discunt, etsi tenelli, eadem dicere, vel facere. *Læderur quasi vinea in primo flore botrus ejus. Job.* 15. 33. Narrat Ælianus *lib.* 13. *Var. Histor. cap.* 2. Quemdam Macaræum, Sacerdotem Idolorum, gladio dormientem hominem in suo cubiculo occidisse, aspicientibus duobus puerulis, quos occisor dormientes credebat, & de quibus nil dubitabat. Ablato cadavere, & absente homicida, descendunt pueruli è lecto, dicentes faciamus & nos, quod Pater fecit. Unus se extendit, ac si dormiret, alius cum eodem gladio ictum in fauces infigit, & fratrem interemit. Mox venit mater & viso fratricidio, fratricidam irata ipsomet gladio transfodit. Deinde reversus Sacerdos Idolola-

tra,

latra, visis infanticidiis uxorem occidit. Ecce ab uno exemplo malo, quanti pessimi eventus?

27 *Decimosextò*: Delinquunt Parentes, qui permittunt, ut filiæ adolescentes morentur in januis, vel in fenestris, ut viros aspiciant, seu à viris aspiciantur. Pessimum abusum, haud defendendum motivo maritum quærendi. *Nequius oculo quid creatum est. Eccles.* 31. Nam visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum agnoscetur, & in palpebris illius,* Eccles. 26. 12. Pudicissima Judith juvenis *in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Judith. 8. 5. Obligatio est Genitorum adolescentulas suas ita custodire, ut ab hominibus non aspiciantur. Oh modestæ sunt, verecundæ sunt, innocentes sunt. Ideò custodiantur. *Quid faciemus sorori nostræ? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula. Cant.* 8. 8. S. An-
28 toninus Archiepiscopus Florentinus, deambulans per civitatem, vidit chorum Angelorum super domuncula, in qua vidua mulier cum tribus filiabus ita pauperibus inhabitabat, ut ad victum quærendum laborarent, die, noctuque. Subvenit iisdem largis eleemosynis pius Pastor; ipsæque filiæ, depositio laborerio, ad fenestras frequenter stabant, ut faciliùs sibi de marito proviserent. Cùm iterùm eadem via transiisset Sanctus Archiepiscopus, non Angelos, sed Dæmones super prædicta domuncula vidit saltantes, stupefactus se informat de moribus puellarum? quas ut intellexit otiosas, & monuit, & subtractione eleemosynæ amplissimæ ab illo defectu fecit emendatas. P. Menochius *in Storeis centur. 2. cap.* 72.

29 *Decimoseptimò*: Major est iniquitas illarum Matrum, quæ filiabus suis pectus, humeros, & brachia denudant, crines exornant, ut Viris placeant; ut aspiciantur, à pluribus sibi deserviatur; & tanquam Idola venerentur. Auctrices enim sunt illarum omnium culparum, quas committunt corde, & oculis dilectores filiarum; de quibus ait Dominus: *Contrivi oculos eorum fornicantes post idola sua.* Ezech. 6. 9. Siquidem, ut cecinit Ovidius.

Lis est cum forma magna pudicitia.

30 *Decimooctavò*: At maxima est culpa earundem Matrum ducentium easdem filias ad saltationes, & choreas; & permittentes, ut eædem solæ cum solo adolescente loquantur, tangantur, & conversentur. Contra hunc abusum exclamat mellifluus Sanctus Bernardus, amarissimo dolore plenus his verbis: *Intrat solus ad solam? veh, veh. Lupus ad oviculam.* Et quòd genitores mortaliter peccent, talem libertatem concedentes filiabus, docent. Navarrus *in Summ. c.* 14. *n.* 18. Et Bonacina *de Præcept. Decalog. disp.* 3. *sect. Unic. punct.* 6. *n.* 3.

31 *Decimononò*: Peccant genitores, qui filios suos adultos nimia severitate tractant, eosdem injuriosis, & contumeliosis verbis afficientes, ficque eosdem ad iracundiam, & ad inobedientiam, atque contemptum provocantes; quos deberent ex paterno officio suaviter, & cum charitate admonere, juxta præceptum Apostoli: *Patres, nolite provocare ad iracundiam filios vestros; sed educate illos in disciplina, & correptione Domini.* Ephes. 6. 4.

32 *Vigesimò*: Crimen lethale incurrunt Patresfamilias; qui, ut filios suos divites faciant, & locupletes post se relinquant, incidunt in radicem omnium malorum, idest in Avaritiam, contractus illicitos, & usurarios frequentantes, innumeras fraudes committentes, legata pia, livellos, mercedes operariorum non solventes, quascunque eleemosynas à domo sua eliminantes; unde sequitur, non solùm perditio animæ genitorum; sed totalis ruina, atque desolatio posteritatis, excidium filiorum, hæreditatisque confiscatio; cujus veritatis non sunt necessaria testimonia, siquidem quotidiana experientia illam irrefragabiliter confirmat, juxta adagium, *Malè parta, malè dilabuntur.* Ait enim Scriptura; *Avaro nihil est sceleστius.* Eccles. 10. 9, Et nos satis egimus de effectibus avaritiæ supra *Decis.* 137.

Vigesimoprimò: Peccant Pater, & Mater cleri- 33
calem vitam suadentes Filio, cui ad illam nulla est propensio, nulla vocatio cœlestis, nullus amor castitatis. Et quamvis scriptum sit: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Hebr.* 5. 4. satagunt, ut filii obtineant vel Canonicatum, vel Beneficia, etiam cùm cura animarum, dummodo sint amplis ditata proventibus; non prævidentes excidium salutis æternæ ob innumera peccata ejusdem Filii Canonici, seu beneficiati, non incedentis in habitu, & tonsura, non recitantis horas canonicas, non viventis cum castitate, non exercentis proprium officium, abutentis redditibus Ecclesiasticis, infeliciter viventis, & infeliciùs morientis, quasi Poema quoddam esset illud serioſum Redemptoris monitum: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Matth.* 16. 26. Agnovi genitores cujusdam filii, quem etsi pervicacem clericalem vitam assumere fecerunt, & omnes ordines etiam Sacerdotium. Non contenti adhuc procurarunt, ut beneficium cum cura animarum haberet, & illud simoniacè ab alio Presbytero ei resignare fecerunt. Filius 34
hic discolus factus Parochus assumpsit sibi Capellanum, qui animarum curæ vacaret. In una nocte carnisprivii Parochus mittit Capellanum cum sclopo ad conducendas adolescentulas, ut secum cænarent, & saltarent. Capellanus ivit, sed nullas invenit, quæ vellent venire. Redeunti Capellano Parochus ut timorem incuteret ad ridendum obviam vadit in tenebris, & ait; *Chi và lì? torna indietro.* Capellanus credens esse aliquem latronem exoneravit sclopum in eum, ac in pectore igneis, plumbeisque globulis vulneravit, & statim Parochus in terram cecidit, & occubuit. En finis lachrymabilis filii ad beneficium absque vocatione provecti.

Vigesimosecundò: Pejus agunt genitores, quando 35
filios, vel corpore, vel ingenio non perfectos, eosque reluctantes in Regulare institutum intrudunt, trinus votis illos onerantes, quorum observantiam nunquam præstabunt, solo temporalis felicitatis motivo, qua Regulares otiosi, absque labore (& ut dicunt) ad sonum campanulæ viventes, potiuntur. Hinc Regularis, & Monastici Habitus detrimenta, dum plurimi absque vocatione, & reluctantes professi, inobedientes, incontinentes, scandalosi, & apostatæ à Religione cernuntur. Utinam considerarent eorum genitores magnam hanc Dei offensam; qui jussit in Levitico nullam sibi victimam offerri, cui esset aliqua macula. *Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret. Levit.* 1. 3.

36 *Vigesimotertiò:* Pessimè operantur Patres, & Matres, à quibus filiæ, contra earum voluntatem, coguntur ingredi Monasteria, & Moniales fieri; adeòut per totam vitam sunt similes Filiæ Jephtæ, quæ *cum sociis, ac sodalibus suis flebat virginitatem suam in montibus. Judic.* 11. 38. Meminisse eos oporteret excommunicationis fulminatæ à Sacro Tridentino Concilio *sess. 25. de Regular. cap.* 18. contra illos, qui *Quomodocunque coegerint aliquam Virginem, vel viduam, aut aliam quancunque mulierem invitam ad ingrediendum Monasterium.*

37 *Vigesimoquartò:* Peccant Genitores, qui vel nimis tardant ex avaritia in maritandis filiabus; vel eas nuptui tradunt sine earum assensu, volentes, ut nubant cui neque genium, neque amorem habent, & prohibentes, ne ducant in maritum, quem omninò cupiunt. Quamvis enim filiæ optimè facerent in nuptiis pendere à gubernio, & providentia Patris, nihilominùs Pater Jus non habet violandi arbitrium filiarum in hac materia. *cap. de Nuptis.* 31. *quæst.* 1. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 204. *art.* 5. Gobat *tract.* 10. *n.* 103. *& n.* 104. ubi reddit eam rationem; *Quod quis non eligit, non diligit. cap. præsens* 20. *q.* 3. Excipitur tamen casus, si infami personæ nubere vellet ipsa Filia. Sanchez *de Matrim. lib.* 1. *disp.* 14. *num.* 4.

En igitur quot, & quanta peccata committunt Patres, & Matresfamilias intuitu, & occasione filiorum, quæ sicut non me pinguit colligere, ita Parochos, & Verbi Dei Dispensatores non tædeat legere; ut in Congregationibus, seu Concionibus de illis agere, ad evitationem, & correctionem possint.

Dicamus nunc remedia, argumenta, & rationes, quibus per Parochos & Concionatores suadendi veniunt iidem Patresfamilias, ac Matres ad bonam educationem filiorum.

38 *Primò:* Considerandum, esse Præceptum naturale, quo Patres, & Matres tenentur benè educare filios, & ad hunc effectum esse indissolubile conjugium. S. Thomas *contra Gent. lib.* 3. *capit.* 122. *& seqq.* Tostatus *in capit.* 19. Matth. *quæst.* 23. *& quæst.* 45.

39 *Secundò:* Esse adeò necessariam bonam educationem filiorum, ut sine illa nihil profuturæ sint leges; & ideò Lacedæmones, ubi filii deliquissent, puniebant eorum genitores. Plutarchus *in Lacon.* & Plato *libr.* 4. *de Legib.*

40 *Tertiò:* Hoc autem est genitoribus expresè injunctum à Spiritu Sancto in illis verbis: *Filii tibi sunt? erudi illos; & curva illos à pueritia illorum. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum; & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.* Eccl. 7. 25. Et alibi: *Qui parcit virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit.* Prov. 13. 24.

Quartò: Attentissimos oportet esse Genitores in bona gnatorum educatione, quia in tenera ætate facillimè apprehendunt bonum; difficillimè cum adoleverint. *Innocens credit omni Verbo. Filio doloso nihil erit boni.* Prov. 14. 15.

41 *Quintò:* Hoc confirmatur exemplo S. Wenceslai, & Boleslai fratrum Principum Bohemiæ. Iste pessimè educatus à Drahomira vitiosa ejus Matre, pessimus fuit, carnifex, & fratricida. S. Wenceslai piè eruditus à Ludmilla Sancta ejus avia, Sanctus fuit, *Lect. Brev. die* 28. *Sept.*

42 *Sextò:* Idcircò Genitores habere à Natura, & sic à Deo naturæ Authore, authoritatem coercendi, & castigandi filios, ne in die judicii habeant excusationem super mala educatione eorundem; quemadmodum inexcusabilis est Dux exercitus, si milites sint inobedientes: eò quia à Principe, Rege, & Republica habet summam authoritatem illos condemnandi. Timeant igitur Parentes judicium Dei; ait enim, *Ego sum Dominus visitans iniquitatem Patrum in filiis.* Exod. 20. 5.

Septimò: Præcipuè Matres monendæ, ut filios, 43
& filias devotionem doceant; nam ut ait Arist. 1. *Polit. capit.* 8. *Dimidium filiorum Mater est:* & evadunt Filii, quales fieri à Matribus desiderantur. Mater S. Clementis Ancyrani cupiebat eum esse Martyrem, continua narrabat illi exempla Martyrum; exaudita fuit, nam ejus filius meruit laureola martyrii coronari. Mater S. Ludovici Francorum Regis exoptabat illum Sanctum, unde 44
ei frequenter dicebat, mi Fili, eligerem te mortuum videre potiùs, quàm peccantem, & obtinuit intentum; fuit enim Rex Sanctus. Mater S. Edmundi concupivit, eum esse Virginem, & assequuta est desiderium. Sic obtinuerunt plurimæ aliæ Matres, Mater S. Augustini, Mater S. Andreæ Corsini, S. Heduvigis Regina Poloniæ, & S. Margarita Scotorum Regina, de qua testatur Ecclesia; quod ipsa *Regem conjugem ad meliorem frugem, & ad similia suis exercitationibus opera saluberrimo exemplo traduxit; Liberosque omnes tàm sanctè, ac feliciter educavit, ut eorum plerique, quemadmodum & Agatha mater, & Christiana soror, Sanctissimum vitæ genus amplexi sint. Lect.* 5. Brev. 8. *Julii.* Tigridia soror S. Patritii nupta Regi Hiberno, ex eodem genuit decem, & septem filios masculos, quorum quatuor fuerunt Episcopi, & alii Religiosi; item quinque fœminas, quæ Deo voverunt Virginitatem, ob sanctitatem, quam in Matre intuebantur. Hieronymus à Basilica Petri *in Ephemerid. Sacris* 17. *Februar.* in Vita S. Lomani filii ejusdem Tigridiæ.

Octavò: Non esse amittendum tempus pueritiæ filiorum; nam cùm teneri sunt, optimè eruditur. Creta antequam induretur, informatur juxta pla- 45
citum figuli. Statura pueri in triennio est tertia pars altitudinis, ad quam ascendet in virilitate. Quales esse incipient pueri trimi, tales erunt, cùm adoleverint. *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov.* 22. 6.

Nono: Dandam catuli similitudinem, qui si in co- 46
quina educetur, non erit aptus ad venationem. Ita filii malè educati primis annis fiunt inhabiles ad virtutem. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient.* Job. 20. 11.

Decimò. Sicut omnes Eclipses Solis sunt nocivæ; 47
tamen magis nocent illæ, quæ fiunt de mane. Ptolomæus *Prædict. lib.* 1. *c.* 7. Ita sunt malæ qualitates, quæ à Filiis assumuntur in infantia. Difficillimè curantur. Puerum à Dæmone obsessum Apostoli liberare non potuerunt: opus fuit suprema Authoritate Christi; eò quia Diabolus cæperat eum possidere *Ab infantia:* Marc. 9. 22. Hinc illud Axioma legale; *Cujusque rei potissima pars, principium est, l. Facturus, ff. de Orig. Jur.*

Undecimò. Inculcandum propterea jugiter iisdem 48
Patribus, ut benè educent filios, & ne permittant, eos peccare; quia peccata filiorum imputantur iisdem Patribus. Hinc filia, quæ prodigisset Virginitatem suam, lapidabatur ante ostium domus paternæ, ut & pater dolore, & ignominia afficeretur. *Deuteron.* 22. 21. ubi Oleast. & Summus Sacerdos Heli reprehensus, & punitus ob peccata filiorum, quasi ipse illa commisisset: *Quare calce abjecistis Victimam meam, & munera mea, quæ præcepi, ut offerrentur in Templo? Abulens. in* 1. *Reg.* 2, 29.

Duode-

49 *Duodecimò:* Qui audit Horologium inconcinnè ſonare, damnat cuſtodem. Qui ſentit balbutientem Virum, deteſtatur obſtetricem. Qui videt tortis cruribus puellam ambulantem, dolet de nutrice: ſic qui filios obſervat malè educatos, eorumdem genitores condemnat, eosque vocat *Non Parentes, ſed Peremptores.* S. Bernardus *Epiſt.* 3.

50 *Decimotertiò:* Monendos itaque conjuges, quòd Deus, etſi creaverit in inſtanti omnes Angelos, noluit omnes homines unico verbo ex nihilo facere; ſed decrevit, eisdem vitam ſucceſſivis temporibus, mediante cooperatione conjugum elargiri; ut iidem conjuges ſcirent, ſe eſſe Dei cooperatores, conſecrati ad hoc opus in Matrimonii Sacramento, & ideò ſollicitos eſſe oportere in benè educanda prole: *Non enim eſt bonum vivere, ſed benè vivere.* Seneca *lib.* 3. *de Benef. cap.* 29.

51 *Decimoquartò:* Eosdem inſtruendos, communem eſſe utrique conjugi hanc obligationem; & hìc ſuaviter reprehendendi Patres, qui nunquam domi genuflectunt, orationes recitaturi, nunquam ad doctrinam Chriſtianam filios conducunt; ſed hoc onus ſoli mulieri relinquunt; & nihilominùs de Patre, ac Matre dictum eſt filiis: *Audi fili mi diſciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ.* Prov. 1. 8.

52 *Decimoquintò:* Idcircò, ut diximus, peccant mortaliter Patres, qui non curant filios ſuos erudiri in Doctrina Chriſtiana; nam ſicut Epiſcopus poteſt plectere pœnis Parochos negligentes in illos eam docendo. Pignatellus *to.* 4. *conſ.* 202. *nu.* 60. ita excommunicare poteſt ipſos patres. Caſtropal. *tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 1. *punct.* 11. *nu.* 3. Et Sanchez *in Decalog. lib.* 2. *cap.* 3. *nu.* 15.

53 *Decimoſextò:* Narretur exemplum illud Presbyteri in Synodo prædicaturi, cui cùm deficeret materia, ex Dei permiſſione apparuit Satan dicens, prædica in Synodo, & dic, *Princeps tenebrarum gratias agit Principibus Eccleſiarum, ob eorum negligentiam in docendo populum doctrinam Chriſtianam; ex tali namque ignorantia populatur infernus:* & in ſignum tetigit ejus maxillam, quam nigerrimam reddidit. Cantipraten. *l.* 1. *c.* 20.

54 *Decimoſeptimò:* Hortentur Genitores, non tenero, atque ſenſitivo amore proſequi natos; ſed charitate paterna, & virtuoſa. Olim infantes aſpergebantur ſale, ut membra dureſcerent; nunc parentes cooperiunt eos Zaccaro, ob nimium amorem, quo emolliores, & magis inhabiles ad diſciplinam evadunt. S. Hieronymus *in c.* 16. *Ezech.* Scriptum eſt: *Tunde latera ejus, dum infans eſt, ne forte induret, & non credat ibi, & erit tibi dolor animæ.* Eccl. 30. 12. Difficilè ceſſant Venti inſurgentes in Aurora. Baccon. *in Hiſt. Ventor.* Difficillimè deponuntur vitia, quæ in tenera ætate aſſumuntur.

55 *Decimooctavò:* Sit tamen modus in educandis filiis, & ut notavimus, ſicut à nimia dulcedine, ſic ab exceſſiva aſperitate cavendum. Plurimum juvant admonitiones paternæ cum charitate. Aqua dulcis aptior eſt, quàm aqua maris ad abſtergendas maculas; hæc enim uti craſſior minùs penetrat veſtimentum. Ariſtotel. *in Problem. ſect.* 23.

56 *Decimononò:* Inceſſanter hortentur Parentes, ut de ſe bonum exemplum præbeant filiis ſuis. Hi opera genitorum mirantur, & tanquam legem exequuntur abſque alio rationis diſcurſu. Ideò ſi peribit Pater ob malam vitam; trahet ſecum etiam filios in infernum ob malam imitationem. *Sicut unus de Principibus caderis. Pſal.* 81. 7. Si cadit Princeps in bello, ſolus non cadit, ſed cum eo milites plurimi.

57 *Vigeſimò:* Præcipuè non permittant, mares, & fœminas, quamvis teneræ ætatis ſimul dormire, tùm quia eſt periculum occultæ malitiæ, tùm quia eſt in Jure prohibitum *cap. Conſuluit.* 2. *q.* 5.

58 *Vigeſimoprimò:* Quòd ſi quis Pater eſſet publicus adulter, vel concubinarius; & tam grande ſcandalum præberet filiis ſuis; utique *Expediret ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Matth.* 18. 6.

59 *Vigeſimoſecundò:* Dicendum his Patribus familias, quod de ipſis dolet Deus Pater, à quo donati ſunt fœcunditate, ut filios benè educarent. Dolet Deus Filius, qui aſſumpſit eos cooperatores in redemptione animarum. Dolet Deus Spiritus Sanctus, quia non dirigunt corda eorum ad recipiendas Inſpirationes cœleſtes. Dolet Deipara, quæ cupit videre Paradiſum animabus plenum, & ob malam educationem ruunt ad Orcum. Dolent Angeli Cuſtodes, qui ſua adſiſtentia fruſtrantur. Dolent Sancti, nam privantur ſociis, & concivibus. Dolet Respublica, quia habet perverſos ſubditos. Dolent ipſi Filii malè educati, qui in inferno maledicent, & blasphemabunt inceſſanter Genitores ſuos. *De Patre impio queruntur Filii, quoniam propter illum ſunt in opprobrium.* Eccl. 4. 10.

60 *Vigeſimotertiò:* Filias nubiles ſervent ſegregatas à conſpectu hominum. Ad Eccleſiam mittant illas velo coopertas, ab oculis enim incipit omne peccatum. *Turbatus eſt à furore oculus meus. Pſ.* 6. 8. Hinc Locrenſes ſtatuerant, ut adulteris eruerentur oculi, tanquam cauſæ efficientes illius delicti. Valer. Maximus *libr.* 6. *c.* 5. Et de obligatione velandi caput, & cooperiendi faciem mulieribus incedentibus in publicum plura refert. P. Menochius *in Storeis cent.* 3. *c.* 42. Et ſuper omnia, non permittant, puellas cum adoleſcentibus converſari. Converſatio viri cum fœmina eſſe non poteſt ſine peccato. S. Antonius Abbas ſpernebat Dæmones, ad ſe in forma Leonum, Urſorum, ac Tigrium venientes. Sed mulieri pulſanti 61 oſtium cellulæ noluit ob timorem laſſus aperire. Argentum etſi album, ſi nimis tangatur, nigreſcit. Deipara ſegregata ſtabat à conſpectu Virorum; & cùm ab Angelo cœleſti annunciaretur, *Turbata eſt in ſermone ejus Luc.* 1. 29. Africa parit monſtra, quia animalia diverſæ ſpeciei, ut bibant ad flumen ſimul conveniunt; ibidem converſantur; & excitatam libidinem mares cum fœminis alterius ſpeciei explent, Ariſt. *l.* 8. *Hiſt. Animal. c.* 28. Doceant Parochi eosdem Patres, & Matresfami- 62 lias, ut filias ab amoribus omninò retrahant, & pernicioſam illam libertatem amorizandi non permittant. Amor eſt violentiſſima paſſio. Duo ſapientiores homines, quos mundus habuit, *Adam, & Salomon,* amoris cauſa, inciderunt in miſerias inenarrabiles. *Depravatum eſt cor ejus,* ideſt Salomonis, *ut ſequeretur Deos alienos.* 3. *Reg.* 11. 4. Sicut vino perditur ratio, & intellectus, ita con- 63 verſatione cum mulieribus. *Vinum, & mulieres apoſtatare faciunt Sapientes. Eccl.* 19. 2. Etiam Poetæ morali fabula finxerunt, Stultitiam jocantem cum Amore, illum inadvertenter oculis orbaſſe; ideò damnata fuit ſecum ſemper ire, ac ipſum ad manus conducere; quia *Amor,* & *Stultitia* ſunt inſeparabiles. Quo tempore aves luxuriantur, tunc faciliùs incidunt in aucupantium retia. Ariſt. *l.* 2. *de Gener. Anim. cap.* 1. *n.* 7.

64 *Vigesimoquartò*: Denuncient Parochi Patribus-familias, ac Matribus detrimenta honoris, inimicitias, homicidia, ac alia mala, quæ quotidiè habentur in praxi, ob conversationem Filiarum cum viris. Ideò tollant omninò hunc abusum, non concedant filiabus hanc libertatem. Sciant 65 esse pejores Turcis, & Mahometanis, à quibus tanto studio custodiuntur fœmellæ, ut nulli hominum liceat ad eas colloquendas accedere. Idem servant Ethnici, ac Pagani in Indiis Orientalibus. Considerent genitores Verba Apostoli obtestantis, quod: *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. *Timot.* 5. 8. Qui negat fidem, salvari non potest: Igitur neque salvabitur, qui filiorum, & filiarum suarum curam non habuerit. S. Joannes Chrysostomus: *Magnum habemus depositum, filios; ingenti illos servemus cura.* Hom. 9. *in* 1. *ad Tim.* Non attendatur pessima hæc consuetudo; quia exemplum aliorum non salvabit, neque excusabit in tremendo judicio. *Quid nobis proderit in illo Dei judicio multitudo, ubi singuli judicabuntur?* ait S. Eucherius *de Contemptu Mund.* Ecce dicebat Apostolus, & dicant Parochi: *Denuntiamus vobis in Nomine Domini JESU CHRISTI, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè* 2. *Thess.* 3. 6.

DECISIO CLIV.

ARGUMENTUM.

Præsens Decisio manifestat, Quid sit Judicium Temerarium? Quanta ejus gravitas, & malitia? & Quibus remediis, seu rationibus obviandum sit illi?

SUMMARIUM.

1. *Judicium temerarium quid sit?*
2. *Judicii temerarii gradus tres.*
3. *Quando sit peccatum mortale?*
4. *Judicium temerarium est peccatum contra justitiam.*
5. *Præceptum prohibens temerè judicare.*
6. *Superiores non peccant suspiciendo de malo ex levibus indiciis.*
7. *Judicium temerarium in intellectu non est peccatum.*
8. *Requisita tria ad judicandum.*
9. *Par in parem non habet imperium.*
10. *Scientia necessaria ad judicandum.*
11. *Totila judicium temerarium.*
12. *Cor hominis inscrutabile.*
13. *Pharisæi temerarium Judicium.*
14. *Judicandus nullus sine probationibus.*
15. *Judicare spectat ad Christum Dominum.*
16. *Judicia temeraria plurium ex Sacra Scriptura.*
17. *S. Vitalii Abbatis zelus convertendi Meretrices.*
18. *Lopezii Mendoza punitio ob temerarium Judicium.*
19. *Theologi curiosus casus in itinere cum Oratore Veneto.*
20. *Cajetani Cardinalis statura, & aspectus deformis; Item Ducis Achaorum.*
21. *Judiciorum temerariorum infelix exitus.*
22. *Mulier temerè judicans peperit in pœnam filios* 12.
23. *S. Ignatii Lojolæ sapiens dictum, nè temerè judicemus alios.*
24. *Quilibet suos consideret defectus.*
25. *Temerè judicantes à Deo puniuntur.*
26. *Veisarii militis temerè judicantis punitio divina.*
27. *S. Rodesindus Episcopus resuscitat duos ob judicium temerarium à Deo morte perculsos.*

DIxere: *Judicium temerarium esse actum intellectus, quo quis aliquid de altero non solum dubitat, & suspicatur, sed etiam desinit, & statuit absque sufficienti probatione.* Quapropter tres sunt gradus Judicii temerarii, *Dubitatio, Suspicio, & Desinitio;* de quibus optima est similitudo Stateræ, seu trutinæ: hæc aliquando stat independens, & ut dicitur *in bilico*, ad neutram partem inclinans; talisque est dubitatio. Vel aliquantulum pendet in unam partem; & ecce *Suspicio*; vel præcipitat omninò; ecce *Desinitio, & Judicium temerarium* completum. Igitur *dubitare* de peccato alicujus, absque legitimis fundamentis, est primus gradus, in quo neutri parti adhæremus, sed suspendimus assensum. *Suspicari*, inesse malum, cum aliquo debili assensu, sed cum formidine oppositi, est secundus gradus. *Judicare* opus malum cum pleno assensu, & firma animi sententia, est tertius gradus. Mastrius *in Theolog. Moral. disp.* 8. *num.* 49. Layman *libr.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. & Azor. *tom.* 3. *libr.* 3. *capit.* 11. *dub.* 2. & 2. Dicitur autem temerarium ex defectu sufficientis probationis; quia ubi habentur probationes concludentes, aliquem commisisse aliquod peccatum; in hoc casu judicium non est temerarium: quòd si nulla sit probatio, sed judicium procedat ex levibus indiciis, peccatum erit mortale. S. Thom. 2. 2. *qu.* 60. *art.* 2. nisi excusetur à levitate mali, de quo proximus condemnatur; vel nisi excuset non plenus assensus, itaut se contineat vel in sola dubitatione, vel in sola suspicione. Mastrius, Layman, & Azorius supra.

Gravitas hujus peccati, & malitia Judicii temerarii ex eo resultat, quod est actus contra Justitiam, lædens bonam famam proximi; cum enim tria sint proximi bona, quibus absque justa causa nemo potest privari, *Vita, bona Fama, & Divitia;* qui judicium temerarium facit de proximo suo, quòd aliquod peccatum commiserit, peccat contra Justitiam, auferendo intra se bonam famam, bonum nomen, & bonam opinionem ab ipso proximo; quemadmodum quis peccat deliberando intra se, velle occidere proximum, vel ejus divitias furari. Mastrius, Layman, & Azor. *ubi supra*, qui advertunt, sic judicantem teneri ad retractandum ipsum judicium intra se; & ad illud deponendum, quia *dubia in meliorem partem sunt interpretanda.* S. August. *libr.* 2. *de Serm. Dom. in monte cap.* 18. & Glossa *ad Rom. capit.* 14. & quia habemus expressum Præceptum: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Matth. 7. & Luc. 6. & S. Jacob *capit.* 1. *Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem:* ideò deficit à lege, & judicio illius proprium judicium anteponit. S. Thomas 2. 2. *quæstion.* 61. *artic.* 3. Molina *de Just. & Jur. tract.* 2. *disput.* 15. Duo tamen sunt notanda. *Unum* quòd ex levibus indiciis non peccat, si suspicetur malum ille, cui ex officio incumbit, ut Prælato, Patri, Matrique familias malis obviare; dummodo prudenter se gerant, in remediis applicandis, absque læsione bonæ famæ illius, de quo suspicantur. Molina *tract.* 4. *disp.* 14. Layman *dict. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 4. *Vers. Verum amen.*

Alte-

Alterum, quod non sufficit, temerarium judicium volutari in intellectu, ad hoc ut sit mortale; sed requiritur assensus voluntatis, quæ si se retrahat, cum displicentia illarum cogitationum, vel suspicionum contra proximum, in nihilo peccabit; vel tantummodò venialiter, si negligens sit in se
7 retrahendo vel imperfectum præbeat assensum; prout in cogitationibus venereis, vel de alia re turpi. Layman. *de cap. 2. num. 3.*

8 Malitia hujus peccati in eo consistit, quòd qui temerè judicat, non habet tria requisita ad judicandum necessaria, videlicèt *Authoritatem, Scientiam, & ordinem rectum Judicii. Primò:* nemo potest assumere partes Judicis, nisi à Principe deputetur, & ei Jurisdictio, & authoritas committatur. Porrò ad judicandas actiones proximi quis dedit privatis hominibus authoritatem? Par in parem non habet imperium *cap. Innotuit 20. §. Quamvis in fin. de Elect.* Undè Apostolus. *Tu autem quid*
9 *judicas fratrem tuum? Rom.* 14. Nam scriptum est: *Quis te constituit Judicem super nos? Exod.* 2. 14. Et, *Ne quæras iniquitatem in domo justi. Prov.* 24. 15. Imò, ut supra notavimus, hoc expresè est prohibitum: *Nolite judicare, & non judicabimini. Matth.* 7. Spectat enim ad solum Deum: *Qui autem judicat me, Dominus est.* 1. *Cor.* 4. 4. *Et Job.* 13. 8. *Numquid pro Deo judicare nitimini? Secundò* deficit Scientia, tùm ex parte judicantis, in quo est intellectus obscurus, & propensio animi ad malum; & ut plurimùm quilibet judicat talem esse proximum,
10 qualem cognoscit esse seipsum. *Sed & in via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Eccles.* 10. 3. Cain homicida judicabat tales alios esse futuros: *Omnis, qui viderit me, occidit me. Gen.* 4. 14. Totila Rex Gothorum, assuetus Vino, cùm vidisset S. Cassium Episcopum Narnensem rubram faciem à natura habentem, ju-
11 dicavit eum ebriosum. S. Gregorius *lib.* 6. *Dialog. cap.* 3. Lutherus lapsus in carnis vitia scripsit, esse impossibile contineri. Saul malus malè judicabat de David. At Jonathas bonus benè de eo sentiebat. 1. *Reg.* 20. 32. Prudens artifex cogitat de ligno pulchram statuam facere. Carbonarius putat ex eodem ligno in ignem projecto colligere carbones. Tùm ex parte illius, qui judicatur, scientia deficit, nam occultissimæ sunt intentiones humanæ, à quibus diriguntur actiones.
12 *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Jer.* 17. 9. Soli Deo reservatum est. *Ego Dominus scrutans cor.* Et ideò *neque Ecclesia judicat de occultis, cap. Erubescant:* ubi gloss. *in Verb. Secretorum dist.* 32. Et qui vult judicare facta proximi sui, is *In similitudinem Arioli, & Conjectoris, æstimat quod ignorat. Prov.* 23. 7. Pharisæus judicavit
13 Mariam Magdalenam esse peccatricem, & nihilominus erat purissima, quia lacrymis terserat maculas animæ suæ, & splendebat tanquam lucidissima stella; imò facta erat Vesper refulgens comitatura Solem Justitiæ in occasum super Calvario, & in Sepulturam; atque eumdem resurgentem tanquam Bosphorus fidelis debebat præcurrere ejus resurrectionem, Apostolis nunciando, Apostolorum Apostola; à qua ipsi intellexerunt, Redemptorem à mortuis resurrexisse. *Tertiò* deficit rectus ordo judicii; nam qui temerè judicat, & proximum condemnat sine probationibus, & sine defensionibus. Ipse Deus, cui omnia sunt manifesta, audito clamore iniquitatum Civitatis Pentapoli, ait: *Descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint. Gen.* 18. 21. ad hoc subdit S. Gregor. *Mor. lib. 19. cap.* 14. *Ut* 14
nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare. Alexander audita quadam accusatione contra absentem, manu cooperuit auriculam suam dicens, hanc reservo audituram defensionem accusati. Plutarchus *in Alex.* In morbis acutis non est facienda prædictio, cum de facili humores sedem mutent. Hippocrates *lib. 2. Aphor.* 19. Sic in moralibus pluries ab initio judicamus actionem malam, quæ paulò post deprehenditur bona. Hinc, *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate. Jo.* 7. 24. Igitur malitia summa est judicare, & condemnare proximum sine probationibus, & sine defensionibus, nam Juris Regula est, ut etiam in dubio accusatus absolvatur.

Obviandum igitur Judiciis temerariis, & suadendas plebes, ut omninò ab eis abstineant triplici ratione.

Prima est, quia injuria afficitur tota Trias Sanctissima ab eo, qui temerè judicat. Siquidem, Deus Pater, etsi Dominus, & Origo omnis au- 15
thoritatis, sapientiæ, & justitiæ, abstinet à Judicio: nam *Pater non judicat quemquam: Sed omne judicium dedit Filio; ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem. Joan.* 5. 22. Igitur offenditur tum Pater, tùm Filius, *qui constitutus est Judex vivorum, & mortuorum;* est enim Sapientia infinita, quæ in judicando errare non potest. *Si judico ego, judicium meum verum est. Joan.* 7. 16. Offenditur & Spiritus Sanctus, qui est vera Charitas; nam *Charitas non cogitat malum.* 1. *Cor.* 13. 5. Et ideò ipse judicabit temerè judicantes: *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de justitia, & de judicio. Joan.* 16. 8. Etenim subdit S. August. *de Ser. Dom. in Monte lib. 2. cap. 6. Judicandi temeritas nulli plus nocet, quàm ipsi judici.* Abstinendum igitur à quocunque judicio, cùm ad Deum, Supremum Dominum spectet judicare servos. *Tu quis es, qui judicas alienum Servum? Rom.* 14. 4.

Secunda Ratio est, quia ut plurimum judicia hominum sunt falsa; & humanus intellectus ex- 16
trinsecùs videns non penetrat intrinsecam actionum substantiam, neque intentionem Agentis; & sic decipitur, fallitur, & peccat mortaliter peccato judicii temerarii. In Scriptura Sacra plura sunt exempla. Heli Sacerdos judicat Annam temulentam vino, & tamen erat orans in afflictione. 1. *Reg.* 1. 14. Melitenses judicant Paulum, quem vipera momorderat, hominem impium, & tamen erat Apostolus Vas electionis, *Act.* 28. 4. Pharisæus in templo judicat, esse peccatorem Publicanum, qui ex humilitate longè stans percutiebat pectus suum. *Luc.* 18. 11. De judicio ejusdem contra Mariam Magdalenam diximus supra. Sed confirmentur auditores exemplis Historialibus.

S. Vitalius Abbas Septuagenarius cùm diu pœnitentem vitam in deserto fecisset, ex Dei particu- 17
lari motivo venit Alexandriam, ut publicas meretrices à peccatis retraheret. Cum iisdem loquebatur, conversabatur, & morabatur, peccuniam dans, ne peccarent; ac in earum domibus pernoctans orationi vacabat. Accusatur apud S. Joannem Eleemosynarium Episcopum, qui certus de Sanctitate *Vitalii*, & de sua recta intentione, ac operatione, permisit, eumdem domos Meretricum frequentare, ut retuli supra *decis.* 101. *num.* 5. Juvenis quidam temerè judicans de eodem, cùm *Vitalium* obvium haberet, objurgavit de hypocrisi, de scandalo, de Incontinentia, & alapa per-

cussit. Patienter *S. Vitalius* tulit: sed illum advertit, hac de causa esse citò in faciem percutiendum publicè. Sic evenit: nam stantem eundem Juvenem in foro Diabolus in forma Æthiopis sic graviter alapa percussit, ut caderet in terram, & de judicio temerario pœnam sentiret. Cucurrit populus, & ab ipso Juvene causa percussionis intellecta, properant ad domum meretricum, ut *S. Vitalium* reperiant, sed eodem instanti ipsum exspirasse animam, genuflexum, & manibus ad cœlum elevatis conspexerunt; cujus puritatem, continentiam, & continuam orationem Mulieres illæ contestatæ sunt. *In Vita Patr. lib. 1.* En igitur obligatio abstinendi à Judicio, ne temerè contra veritatem judicemus.

18 *Lopez Mendoza* Nobilis adolescens Civitatis Compluti, dum sibi S. Ignatius eleemosynam peteret, temerè judicans eum hypocritam, ait, faxit Deus, ut ego igne comburar, nisi hic impius sit homo, dignus, ut comburatur. Patienter tulit Sanctus responsum. Eadem die notificatur ortus Philippi Secundi Regis Hispaniarum, & Cives ex gaudio præparant ignes festivos. *Lopez* dives, & hilaris ascendit turrim, ex ea ignitos ludos plebi demonstraturus, cùm magna pulveris tormentarii copia, in quam causaliter favilla incidit, & incendit eam, atque *Lopem* ipsum, igne combustum, vita in momento, in ictu oculi privavit. Daniel. Bartolus *in Vita S. Ignatii lib. 1. pag. 142. mihi.* O fallacia Judicia hominum! O quam periculosum, secundum faciem judicare.

19 Nobilis Venetus Renerius Zenus, Senator facundissimus, & Divi Marci Procurator, fuerat à Republica destinatus Orator Extraordinarius ad Cæsarem, anno 1630. qui quendam Religiosum Ordinis Minorum S. Francisci, moribus, & virtute eximium, sibi benevolum, tanquam Theologum, comitem in itinere voluit. Ad suam mensam illum tenebat, & post cœnam Orator cum illo diù confabulabatur, & usque dum somnus silentium daret; quare perfrequenter Pater Theologus, tota familia dormiente, ibat dormitum. Quadam nocte, intra Germaniæ fines, Oratore, & ejus aulicis Pandochium ingressis, domus Magister ostendit Patri Theologo cubiculum, in quo dormiret. Post cœnam ita prolixus fuit Orator in familiari colloquio, ut eo soluto, Pater Theologus neminem è familia vigilantem repererit, & absque lumine coactus fuerit thalamum petere, & vestibus exutus, somno, acitineris labore oppressus in lectulum assignatum decumbere. Audivit alium in eodem lectulo esse dormientem, sed putavit esse unum de familia ejusdem Oratoris Veneti, & sibi consocium; quare & ipse profundè dormivit usque ad lucem. Facto mane, socius ille è lecto exivit, fenestram aperuit, & cœpit se vestire. Theologus expergefactus, & intuitus vestientem socium vidit non socium, sed esse fœminam hospitii dominam, quæ pariter intuita Theologum (quem maritum suum crediderat) mutuo horrore, atque errore, Theologus, & mulier correpti, hæc è thalamo fugere, ille pariter assumptis sollicitè vestibus indè abire festinavit; veritus, ne à quopiam in illo thalamo cum muliere deprehensus, crederetur Adulter, & Sacrilegus. En accidentia humana? Religiosus innocens innocenter dormivit cum muliere pariter dormivit cum muliere pariter innocente. Si quis eosdem in lecto comperisset, deperditos, ac impios conclamasset. Hunc successum narravit mihi ipse Theologus, cùm jam esset Episcopus ab Alexandro Septimo creatus, ob pietatem animi, vitæque innocentiam, & eminentiam scientiæ Anno 1672. & ex eo didici, nunquam esse in malam partem judicandas actiones proximorum, quamvis exteriùs videantur pravæ.

Annectenda hìc sunt, quæ scribit Menochius *in Storeis Centur. 2. cap. 2.* de Ludovico Sfortia, Duce Mediolani, qui in corde suo sprevit fratrem Thomam de Vio, postea Cardinalem Cajetanum, cujus statura, & aspectus satis deformis erat, etsi ingenium sublime; & de Philippomene Duce egregio Achæorum, quem, ut refert Plutarchus, accedentem absque militibus ad hospitium, ubi erat opiparè excipiendus, domus Magistra credidit quemdam famulum, ob pusillitatem corporis, & illum appposuit, ut ligna scinderet; quòd cùm alacri animo ageret, hospiti suo supervenienti, obstupenti, ait, pœnitentiam ago pusillæ staturæ meæ. Est igitur a judiciis temerariis abstinendum, nam sicut ibidem ex Seneca concludit Menochius: *Potest ex casa Vir magnus exire: potest ex humili, deformique corpusculo formosus animus, ac magnus*: nam *Virtus omni loco nascitur.* 20

Tertia ratio abstinendi à judiciis temerariis est, 21
quia facillimè transeunt in detractiones, & ex eis proveniunt rixæ, infamiæ, & homicidia, atque convertuntur in damna temporalia judicantis, nec non in animæ perditionem; sic Divina Justitia permittente, ut qui proximum suum bona opinione, ac fama spoliat, temerè judicando, spolietur & ipse fama, bonis, ac salute æterna. Irmentrude Uxor Isemberti Comitis d'Altorfin Helveta temerè judicans pauperem mulierem, quæ unico partu tres pueros effuderat, post annum peperit duodecim filios nimia sui ipsius confusione. Menochius *in Storeis dict. Centur. 2. cap. 9.* Hinc notetur sententia illa S. Dorothæi *serm. 6. Nil magis aversatur, & abominatur Deus, quàm proximum judicare*: ea ratione, quia *Unus est Legislator, & Judex, qui potest perdere, & liberare: tu autem quis es, qui judicas proximum?* *Jac. 4. 13.* 22

Pulchra est monitio, quam dabat S. Ignatius 23
Lojolane judicando temerè quis peccaret. Videlicèt, ut excusemus *Actionem.* Si hæc mala omninò videatur, excusemus *Intentionem*; esse enim potest, ut qui malè egit, crediderit bonum opus agere. Quòd si constaret de perversa etiam intentione, excusemus *Tentationem*; compatiendo proximum nimis tentatum à Dæmone, cui nos ipsi resistere non potuissemus, si sic acriter fuissemus tentati.

Tandem hortandi fideles, ut alios temerè non 24
judicent, sed potiùs semetipsos considerent, & videant quantas imperfectiones interiùs, exteriùsque committant. Vacent sibi. Mala relata non credant. Et illud continuò habeant in mente: *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* 1. *Cor.* 11. 13.

Habeant Parochi, & animarum Pastores ex- 25
empla è Vitis Sanctorum decerpta, quibus ostendant suis plebibus, à Deo semper fuisse punitos temerè judicantes.

Legant *Ephemerides Sacras*, ideſt *Vitas Sanctorum* 26
noviter typis datas per Rev. D. Hieronymum à Basilicapetri Nobilem Mediolanensem, olim Eminentissimi Nostri Antistitis ab Aula familiarem, & nunc ex devotione Presbyterum Congregationis Oratorii Neapolis, collectas de mense in mensem, & de die in diem, traductasque ex antiquis pro-

probatissimis Authoribus. In illis, *Mense Januario die* 18. habetur Vita *S. Deicoli* Abbatis Lutrensis, cujus tanta erat Sanctitas, ut accedenti ad oratorium Sancti Martini, de ratione cujusdam militis *Veifarii*, ostium ferreis pessulis, atque clavibus obseratum, miraculosè aperiretur, ubi ingrediebatur S. Deicolus, & Orationi vacabat. Parochus illius Villæ, & custos clavium, cùm id intellexisset, & observasset, judicavit, ope Dæmonis id agere; & idem rustica plebs arbitrata spinas permultas ostio Sacelli antepositi, ut oraturus Sanctus accedens ipsis configeretur. Sed spinis ad ejus adventum recedentibus, notitia data est *Veifario* militi, Ecclesiolæ Patrono, qui eumdem Sanctum judicavit Necromantem, & maleficum, jussitque illum comprehendi, & castrari. Vix expedierat injustum decretum, cùm dolore nimio Veifarius correptus in genitalibus, fuit ab uxore monitus, de injustitia decreti; sed Veifarius in falso suo judicio residens, præ dolore obivit.

Prima die Martii in Vita *S. Rodesindi* Episcopi Dumiensis in Gallia habetur, qualiter huic
27 Sancto visitanti Sanctam Senorinam Abbatissam, eidem sanguine conjunctam, ab eadem flos donatus fuit, dum simul alloquerentur: quod cùm duo fabri murorum vidissent, judicaverunt temerè, suspicati inter eosdem Sanctos aliquem subsistere inordinatum affectum. At id cogitantes è tecto domus ceciderunt, & in terram collisi expirarunt; quos tamen S. Rodesindus, pro eis orans, revocavit ad vitam; & deindè suum judicium temerarium prodidere. His dicenda erant Verba Sancti Augustini *tract.* 90. *in Joan. Quamquam & in his rerum tenebris humanarum, ideſt cogitationum alienarum ſuſpiciones vitare non poſſumus, quia homines ſumus; judicia tamen, ideſt definitivas, firmaſque ſententias continere debemus, neque ante tempus judicare, donec veniat Dominus, ut illuminet abſcondita tenebrarum.*

Plures habentur Casus in Historia Miscellanea Sacra P. Menochii *par.* 1. 2. & 3. *in Verb. Judicio temerario.* quos legisse non pigebit Animarum Pastores.

DECISIO CLV.

ARGUMENTUM.

Continet hæc Decisio: 1. Quid sit Detractio? & Quot modis fiat? 2. Quæ sunt præcipuæ Quæstiones in materia Detractionis non ignorandæ à Confessariis? 3. Quot, & quibus noceat Detractio? 4. Quando, & Quomodo sit restituenda Fama; & alia damna ex Detractione sequuta? 5. Quanta sit malitia Detractionis? 6. Quibus remediis tanto crimini obviandum?

SUMMARIUM.

1. *Contumelia quid ſit? & quot modis fiat?*
2. *Detractionis definitio, & ejusdem explicatio.*
3. *Detractio tripliciter committitur.*
4. *Detractio quando ſit mortale peccatum?*
5. *Infamare ſeipſum an liceat?*
6. *Falſum crimen fateri an liceat ad evitanda tormenta?*
7. *Peccatum publicum in uno loco, an poſſit in alio publicari?*
8. *Detractorem audiens, an teneatur reſtituere famam?*
9. *Infamatus injuſtè, an poſſit condonare reſtitutionem ſuæ famæ?*
10. *Fama an poſſit compenſari cum pecunia?*
11. *Cauſæ octo excuſantes a reſtitutione famæ.*
12. *Detractio nocet tribus perſonis ſimul.*
13. *Detractor confiteri debet etiam finem, quem habuit detrahendo.*
14. *Detractores difficilè ſunt abſolutione digni.*
15. *Caſus curioſus detractoris confeſſuri coram uno, deinde alio famoſo Theologo, & ab utroque rejecti.*
16. *Fama quando ſit à detractore reſtituenda?*
17. *Et quomodo ſit facienda reſtitutio?*
18. *Reſtitutio famæ quomodo fiat, ob crimen verum, ſed occultum?*
19. *Detractionis quanta ſit malitia, & gravitas?*
20. *Urſini Monachi detractoris punitio.*
21. *Detractores pauci ſalvantur.*
22. *Remedia ſexdecim ad extirpandum detractionis vitium.*
23. *B. Ægidii, & B. Jordani dicta de detractoribus.*
24. *Prioris Abbatis lepidum factum circa detractiones.*
25. *S. Arnulphi Epiſcopi detractores graviter puniti.*
26. *Accuſator iniquus famuli Sanctæ Eliſabeth Reginæ Portugalliæ graviſſimè à Deo punitus.*

QUò ad Primum. Dixere; Duobus modis 1
offendi alterius famam, & honorem; vel in ejus præsentia per *Contumeliam*: vel in ejus absentia per *Detractionem*. Contumelia est actus injuriosus, quo publicè, & ut plurimum in præsentia obicitur alicui crimen, vel defectus, ad diminuendam ejus famam, & honorem. Et multipliciter fieri potest, nempè conviciando, improperando, susurrando, irridendo, deridendo, & subsannando per varios motus corporis, de quibus S. Thomas 2. 2. *quæst* 74. & 75. Aliquando fit contumelia etiam contra absentem, dum libellis famosis offenditur, 2
seu litteris, vel verbis injuriosis ad eum missis. At *Detractio est injusta læsio, seu denigratio alienæ famæ per occulta Verba, cum intentione nocendi.* Dicitur *injusta læsio*, quia si crimen proximi manifestetur Superiori ex motivo justitiæ, seu charitatis, non est detractio; neque dum requiritur ab aliquo Superiore consilium, seu informatio pro conferendo officio, seu beneficio, pro recipiendo Novitio, vel Novitia in Religione; vel si agatur de ineundo Matrimonio, aut de impediendo aliquo gravi malo, putà si famulus sit fur, si accusatus sit innocens, si medicus sit imperitus? tunc enim qui scit defectus, & revelat, minimè peccat; dummodò secretè faciat, atque ex motivo charitatis, & cum Superiore, seu alia persona prudenti. Excepto tamen si sciret in Confessione Sacramentali, quia ob reverentiam Sacramenti, nunquam licet uti hac scientia pro quovis malo impediendo. Dicitur *per occulta Verba;* quæ triplici modo 3
possunt proferri. *Vel falsum crimen alii imponendo. Vel verum crimen augendo. Vel occultum manifestando;* & in unoquoque ex his modis committitur detractio. Dicitur *Cum intentione nocendi.* Quod accidit dupliciter. *Primariò*, quando quis ad hunc finem detrahit, ut noceat famæ alterius. *Secundariò*, cùm quis loqui-

quitur malum de proximo ex loquacitate, & ex malo habitu absque intentione nocendi. Est autem Detractio peccatum mortale, nisi excuset levitas materiæ; quæ arbitrio prudentis viri est ponderanda, & desumenda vel *à qualitate personæ*, cui fit detractio; an ei sit parùm, vel multùm nociva, putà si sit miles, vel religiosus, de cujus incontinentia sit habitus sermo, vel si sit Juvenis, aut Vir, Nobilis, vel Plebejus. A *qualitate sermonis*, putà si versatus fuerit super iracundia, litigiositate, aviditate, qui defectus non multùm infamant; vel super blasphemiis, fraudibus, impudicitiis, & aliis, quæ valdè famam gravant. Ita Mastrius *in Theol Moral. disp.* 8. *num.* 51. 52 & 53. Eminen. Card. Tolet. *l.* 5. *c.* 63. & Laym. *lib.* 3, *tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 3. *à num.* 1. *& seqq.*

Quò ad Secundum. Præcipuè quæstiones
5 non ignorandæ à confessariis circa hanc materiam Detractionis, sunt septem. *Prima*: An sit mortale infamare seipsum? Alii affirmant, quia nemo est Dominus suæ vitæ, vel famæ, & sicut nullus potest se occidere, sic neque prodigere suam famam, seipsum infamando. Alii negant esse mortale, quia homo est Dominus suæ famæ; quæ est inter alia bona per industriam hominis acquisita; ideò potest eam prodigere, sua peccata manifestando; maximè ex motivo humilitatis, ut fecit S. Augustinus in suis confessionibus, & alii Sancti: & hæc est verior opinio, dummodo ex ea non sequatur scandalum, & motivum aliis peccandi; vel nisi hæc voluntaria sui infamatio noceat aliis, vel spiritualiter, vel temporaliter. Mastrius *d. dis.* 8. *num.* 75. *Secunda*: Crimen occultum à se commissum potest quis sponte Judici revelare, & pœnis à legis latis se subjicere: at ad evitanda tormenta, an possit falsum crimen fateri? ardua est quæstio;
6 Negat enim Eminentiss. Card. de Lugo *de Justit. & Jur. disput.* 14. *sect.* 10. Affirmant alii citati à Mastrio *dict. disp.* 8. *num.* 77. & 78. Quia ajunt, iste committeret mendacium merè officiosum, ad evitanda tormenta; quamvis ex confessione esse capite plectendus, non enim intendit mortem sibi inferre, sed se à gravissimis tormentis liberare. Et hanc affirmativam opinionem veriorem dicunt DD. dummodo aliis non noceat, quàm ipsi fatenti. *Tertia*, an sit mortale, si peccatum alicujus publicum in uno loco, manifestetur in alio loco, in quo erat occultum? Et digladiantur inter se Theologi; alii
7 affirmant esse mortale, quia est contra charitatem, & contra justitiam; putà si mulier, quæ fornicata sit Venetiis, veniat Patavium, & cum honestate vivat, habet Jus retinendæ bonæ famæ, & qui ejus lapsum manifestaret, contra justitiam, & charitatem peccaret. Alii negant, quia commune est Historiographis, scribere peccata hominum, & ea ubique propalare. Concordantur hæ opiniones, cum distinctione. Vel alicubi crimen, est publicum ex injusta publicitate scilicet ob detractionem proveniente? & non licet alibi manifestare, vel publicitas provenit exsententia Judicis, aut ex facto publico ipsius delinquentis, & tunc non est peccatum ubique manifestare; nisi forsan contra charitatem, quando aliquod damnum proximo resultaret. Ita Mastrius *d. disp.* 8. *num.* 80. *usque* 86. & Layman *dict. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 3. *num.* 8. 9. & 10. Eminentiss. Cardin. To-
8 letus *lib.* 5. *cap.* 65. *Quarta*, an qui audit detractorem, non solùm peccet, sed etiam teneatur ad restitutionem famæ? Et peccare, ac ad restitutionem famæ teneri ajunt DD. si audiens provocavit, seu invitavit detractorem ad detrahendum. Quòd si sponte detractor cœpit, detrahere, & audiens ipsum non corripuit, peccavit contra præceptum correptionis fraternæ, maximè si sit Superior, & id facere poterat sine gravi incommodo; secùs autem si cum magno incommodo, vel verecundia, ut si esset pauper famulus, vel idiota inter magnos viros; at non est obligatio restitutionis. Layman. *d. cap.* 3. *n.* 14. Mastrius *dict. disput.* 8. *num.* 87. *Quinta*, an infamatus possit condonare infamiam sibi ab
9 aliquo injustè impositam? Et licèt Cajetan. & alii negent, communior opinio est, quòd possit, dummodò injustè infamatus non sit Persona publica, vel Religiosus; quia ejus condonatio læderet officium, vel Religionem; quod est etiam dicendum, si alteri personæ illa condonatio læsionem causaret; puta filiabus maritandis, consanguineis nobilibus, aut aliis conjunctis. Mastrius *d. disput.* 8. *num.* 72. *Sexta*, an fama sit
10 resarcienda cum pecunia? Et negativè DD. respondent, quia non est æqualis conditionis; *Melius est enim bonum nomen, quam divitiæ multæ. Prov.* 22. 1. Cæterùm ratione damnorum ex detractione provenientium, potest compensatio fieri in pecunia; prout etiam si Judici ita videretur, attenta qualitate personarum, vel ipsæ partes ita transigerent ad compensandam infamiam. Mastrius *d. disp.* 8. *num.* 89. *Septima*, quæ sint causæ
11 excusantes à restitutione? Et notantur sequentes. 1. Si infamia abijt in oblivionem. 2. Si fides præstita non fuit detractori, tanquam homini malæ linguæ, & perversæ loquacitatis. 3. Si alia via, vel ab aliis erat illud crimen diffamatum. 4. Si fama recuperata sit alio modo. 5. Si restitutio fieri non possit, nisi cum periculo vitæ; nam vita, ex communi Theologorum sensu, est altioris ordinis, quàm fama. 6. Si detractor patereturjacturam propriæ famæ, quæ in ipso esset longè majoris momenti, quàm illa, de cujus restitutione agitur, putà si detractor esset persona Publica, Vir nobilis, at infamatus esset plebejus, cui alio modo posset famam compensare ad arbitrium prudentis viri. 7. Si ut diximus, infamatus sponte condonet hanc injuriam, & remittat hanc restitutionem, nisi de aliorum læsione tractetur. 8. Si impossibilis facta sit restitutio famæ, quia ad impossibile nemo tenetur; cum hac tamen advertentia, ut saltem aliqua compensatio fiat damnorum, quæ ut plurimum eveniunt à detractione, inspectis circumstantiis locorum, & personarum. Mastrius *dict. disput.* 8. *num.* 56. & 71. & Layman. *dict. lib.* 3. *tract.* 3. *part.* 2. *cap.* 7. ubi *num.* 4. advertit, per mortem detractoris cessare obligationem restituendi famam, sed remanere obligationem resarciendi damna; quæ transit ad hæredes, quia est realis. Panimoll. *decis.* 113. *num.* 20. Lessius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 21. Sà *Verb. Restitutio num.* 18. & Clavis Regia *lib.* 11. *cap.* 7. *num.* 36.

Quò ad Tertium. Detractio nocet tribus per-
12 sonis. *Illi*, cui detrahitur. *Illi*, quæ detractorem auscultat. *Et ipsimet* detractori. Primò nocet *illi personæ, cui detrahitur*, ideft de qua malum dicitur, seu crimen refertur, sivè falsum, sivè verum, at occultum; & nocumentum est gravissimum, majus furto, quia ut diximus, *Me-*

lius

tius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ. Prov. 22. 1. Et pejus furto, quia qui furatur, scit quantitatem rei restituendæ, & modum, quo vel per se, vel per alium fieri potest restitutio; at per detractionem aufertur fama, & bonum nomen, quod est inæstimabile, & solent evenire damna multa; ideòque comparatur homicidio. *cap. Homicidiorum. de Pœnit. dist.* 1. Et morsui venenoso, & mortifero. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minùs habet, qui occultè detrahit. Eccles.* 10. 11. Secundò: *Lædit illum, qui auscultat detractorem.* I. Quia illum facit reum peccati mortalis: juxta illud Sancti Bernardi *lib.* 2. *de Consider.* ad Eugenium, *Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* II. Quia dat ei scandalum, & multi audientes peccata aliorum, Dei timorem dimittunt, & audent ipsi quoque peccare. *Sedens adversus fratrem tuum loquebaris, & adversus filium Matris tuæ ponebas Scandalum. Psalm.* 49. 20. III. Quia audiens est causa, quòd detractor peccat, & magis exercetur in vitio detractionis, nam *Lætatur homo in Sententia oris sui. Prov.* 15. 23. Detractio lædit postea *ipsum Detractorem.* I. Quia committit peccatum gravissimum contra charitatem, & contra justitiam, quòd Deus summè odit. *Detractores Deo odibiles. Rom.* 1. 30. II. Quia in hoc vitio inest livor, odium, animus vindictæ, vel alius malus finis contra diffamatum; de quibus speciebus peccatorum debet detractor in confessione se accusare. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 73. *art* 13 3. *ad* 3. III. Et sicut fœtor lucernæ fumantis facit abortiri mulieres; ita detractio est in causa, ut infamatus sæpè deserat Dei servitium ob calumnias sibi illatas, juxta illud: *Redime me à calumniis hominum, ut custodiam mandata tua. Psal.* 118. IV. Quia ex malo habitu detrahendi, & malè de proximo loquendi resultat malus habitus vivendi; siquidem, ut plurimùm, qui malè loquitur, malè vivit, & malè moritur, *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem Psalm.* 5. 4. V. Quia non invenitur peccatum difficilius in confessione, ut experientia docet, ob restitutionem famæ, quæ difficillima est tùm in se, tùm in renitentia detractorum; & tamen non remittitur peccatum, nisi restituatur injustè ablatum. *cap. Peccatum* 4. 14 *De Reg. Jur. in* 6. VI. Quia ut plurimùm Detractores sunt incapaces absolutione, & ruunt in infernum. *Attende ne fortè labaris in lingua: Et sit casus tuus insanabilis in mortem. Eccl.* 28. 3. Narrandum exemplum Equitis, qui infamaverat castam Matronam de Adulterio, & confessurus peccata sua coram *Alphonso de Castro Scotista* insigni, vix se accusavit de hac detractione, quod surgens Confessarius ei dixit, ad infernum, ad infernum, 15 non est remedium, & abiit. Afflictus pœnitens ex hoc rigore, post aliquot dies accessit ad *P. Victoriam* Theologum Thomistam Ordinis S. Dominici, cui narravit rigorem, & verba *Alphonsi de Castro:* Sed P. Victoria illum consolatus, cœpit audire confessionem, & intellecta detractione, ait, utique extat remedium; videlicet *retractatio hujus impostura, & restitutio famæ.* Respondit Pœnitens: *Ego nunquam retractabo, quod dixi, nè videar mendax.* Tunc *P. Victoria;* utique prudentior me fuit *P. Alphonsus,* qui exclamavit, non extare remedium; cognovit enim ab initio, pœnitentem non esse retractaturum calumniam, ideòque ad infernum damnandum; & ipse quoque P. Victoria exclamans *ad infernum, ad infernum* reliquit Equitem obstinatum, & impœnitentem, Menochius *in Storeis cent.* 4. *cap.* 26. Et P. Segneri *in Christ. Instr. part.* 1. *Serm.* 29. *num.* 25.

Quò ad Quartum. *Quando, & quomodo sit restituenda fama, & alia damna ex detractione sequuta?* 16 Fama est restituenda, quando concurrunt hæc tria: *Si reipsa fuerit ablata; si ablatio fuerit injusta; sivè non fuerit recuperata.* His tribus concurrentibus, inest obligatio restituendi famam; ut omnes Theologi affirmant, quos citat Mastrius *dict. disp.* 8. *n.* 52. Modus autem restituendi famam est, quando ablata fuit per impositionem falsi criminis, ut detractor se retractet coram illis, qui eum detrahere audierunt per media tam efficacia, qualia fuerunt illa, quibus causavit malam opinionem proximi sui; addendo, si opus sit, Juramentum, ac alia opportuna testimonia, ut audientes credant, crimen impactum fuisse calumniam; etiamsi in hac retractione periclitetur fama ipsius detractoris; nisi esset altioris gradus, & posset resarcire famam, & damnum injustè illatum proximo inferioris conditionis, alio opportuno modo, secundum prudentiam boni viri. Utrùm autem retractatio sit facienda 17 tantùm coram illis, à quibus auditus fuit detrahere, vel etiam coram aliis, ad quos detractio pervenit? distinguendum est: vel enita primi auscultantes erant personæ secretum moraliter servaturæ? & sufficit, si coram ipsis fiat retractatio: vel tales erant, à quibus moraliter cognosci poterat, detractionem esse divulgandam, & dilatandam? & in hoc casu restitutio famæ, & retractatio fieri debet coram omnibus, & singulis malè opinantibus de injustè infamato; adeò ut aliquando expediat, retractationem publicare facere vel per Concionatores è suggestu; vel per Præcones in locis publicis, ut notant DD. apud Emin. Card. de Lugo *de Just. & Jur. disput.* 15. *sect.* 2. Mastrius *d. disput.* 8. *numer.* 58. 59. 60. *&* 61. Clavis Regia *libr.* 11. *capit.* 3. *numer.* 27. & Cæsar. de Panimollis *dict. decis.* 113. *num.* 14. Et ad dictam retractationem, ut suprà faciendam, tenetur etiam ille, qui falsum crimen alicui detrahendo imposuit per errorem, quando comperit, se dixisse falsum. Qui verò alterum infa- 18 mavit, revelando ejus crimen occultum, tenetur ad restitutionem famæ; sed non debet mendacium dicere, idest, *quod dixi, non est verum;* sed se retractabit dicendo, *imprudenter loquutus sum, absque debita informatione, fatuè, insipienter, ideò ne credatis, & si credideritis malum, quod dixi, sciatis vos peccare, & à Deo puniendos.* Ulteriùs debet, quantum potest, commendare, & honorare à se infamatum, ut eruditè docet Mastrius *dict. disput.* 8. à *numer.* 64. *& seqq.* Reginaldus *libr.* 10. *num.* 341. Bonacina *de Restit. in part. disp.* 2. *quæstion.* 4. *punct.* 15. *numer.* 2. Eodem modo mensurandus est accusatus in Judicio absque sufficientibus indiciis, qui negavit crimen; & dixit, *accusantem esse calumniatorem;* nam debet saltem per sobria verba commendare eundem Accusatorem, dicendo, talem non esse tenendum calumniatorem, quia ex malis informationibus, & bona intentione detulerit accusationem in Judicio. Mastrius *ubi suprà num.* 68.

Quò ad Quintum. *Quanta sit malitia detractionis?* 19 Respondet S. Jacobus Apostolus: *Ecce quantus ignis quàm magnam Sylvam incendit? Et lin-*

Lua ignis est, universitas iniquitatis. Jac. 3. 5. Et non solùm lingua est ignis comburens famam, honorem, pacem, & vitam proximorum, sed ignis infernalis. *Lingua inflammata à gehenna. ibid.* 6. Resultat hæc malitia, I. Quia multi detrahunt sub specie laudis, nempè persona illa devota est, servit Deo: sed amat pecuniam. Quis fert, quantas usuras, & fraudes committat? Laudant mulieris honestatem, sed subdunt, habet tamen amicitiam intrinsecam cum N. & sic qui audiunt, deponunt bonam de ea opinionem. Hæc detractio similis est strygibus, quæ blandiendo inficiunt puerulos maleficiis. Olaus Magnus *libr.* 1. *cap.* 1. II. Alii præmittunt, se revereri, amare talem personam, sed subdunt statim detractionem, quæ magis creditur, quasi ex compassione dictam; imitantes serpentem quendam, dentes non habentem, sed spuma venenantem. Ælianus *libr.* 4. *capit.* 36. Hinc S. Bernardus *serm.* 24. *in Cantic.* ait: *Videas vultu mœsto emitti maledictionem, tantò persuasibiliorem, quantò creditur magis condolenti affectu, quàm malitiosè proferri.* III. Alii augent crimen proximi, adeò ut quòd minimum est, repræsentent tanquam maximum; ut fecit Soror Moysis, quæ vocavit uxorem ejus Æthiopissam, & tamen talis non erat, sed orta erat ex Madianitis versus Æthiopiam, *Num.* 12. 1. IV. Alii pejores belluis neque famæ mortuorum parcunt; quamvis Leo si cadaver reperiat, vel feræ,
20 vel hominis, illud relinquat intactum. Ursinus Monachus Monasterii Sanctissimæ Trinitatis Cavæ detrahebat famæ Ven. Petri Abbatis ejus Superioris defuncti. Nocte vidit illum sibi minantem; & deinde flagello humeros sibi percutientem tanto dolore, ut exclamans excitaverit omnes Monachos, quibus visionem narravit, & culpam suam detegit. Hier. à Basil. Petr. *in Metamorphos. Centur.* 5. *Cas.* 10. V. Malitia hujus vitii se extendit contra quoscunque, neque parcit Superioribus, Religiosis, aut benefacientibus, juxta illud: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu verò homo unanimis, dux meus, & notus meus; qui simul mecum dulces capiebas cibos. Psalm.* 54. 13. Ideò sequitur, *Veniat mors super illos, & descendant*
21 *in infernum viventes.* ibid. 16. VI. Quia scilicet pauci detractores salvantur, tùm ob difficultatem restituendi famam, tùm ob defectum doloris, adeò enim delectantur murmuratione, & detractione, ut fiant incapaces pœnitentiæ. *Firmaverunt sibi sermonem nequam. Psal.* 30. 6. Et ad instar Neronis cytharam pulsantis, quando incenderat Romam, detractores exultant, comburentes honorem proximorum.

Quo ad ultimum. *Quibus remediis tanto crimini*
22 *sit obviandum?* Collegi ex responsis amplissimi nostri Cleri sequentia remedia, & exempla ad terrendos detractores.

1. Monendi fideles, ut dum detrahentem audiunt, illum corripiant. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar. Psalm.* 105. 5. S. Augustinus in triclinio hos versus posuerat, monendo sodales, ne alicui detraherent:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc Mensam indignam noverit esse sibi.

2. Vel saltem sermonem detractoris interrumpant; & alium, quo nemo lædatur, introducant, ut de Thoma Mauro, Angliæ erudito, ac pio viro historiæ referunt; ipse enim cùm in conversatione audisset quendam detrahere incipientem, illum interrupit, dicens, quàm pulchra est domus hujus architectura? Amabo, consideremus eam. Menochius *in Histor. Miscellan. part.* 1. *§.* 9.

3. Vel saltem non lætè detractor audiatur, sed ei vultus adversarius ostendatur; nam sicut *Ventus Aquilo dissipat pluvias, sic facies tristis linguam detrahentem. Prov.* 25. 23.

4. Vel potiùs audientes discedant, fugiant; juxta illud, *Detractoribus nè commiscearis. Prov.* 24. 21.

5. Quòd si fugere, aut discedere non possint, non credant detrahenti; docet enim experientia, homines loquaces falsa dicere, & referre. Igitur quisque custodiat aures suas, & obediat oraculo Divino dicenti: *Sepi aures tuas spinis; linguam nequam noli audire. Eccl.* 28. 28.

6. Præcipuè autem caveant, qui audiverunt detractionem, ne eam aliis dicant. *Audisti verbum adversus proximum tuum? Commoriatur in te. Eccles.* 19. 10. Hinc in Exodo jusserat Dominus, ut supprimeretur, quidquid esset emunctum è lucernis Templi, ne malus odor evagaret. *Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis, & vasa, ubi ea, quæ emuncta sunt, extinguantur, de auro mundissimo. Exod.* 37. 23.

7. Et sciant auditores, quòd qui promptè audit detrahentem, peccat mortaliter. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 73. *art.* 4.

8. Detractores verò sunt monendi, & graviter increpandi, ut à tanto facinore abstineant, juxta Præceptum Divinum. *Custodite vos à murmuratione, & à detractione parcite linguæ. Sap.* 1. 11.

9. Ostendenda obligatio restituendi famam, difficultas in restituendo; & morale periculum damnationis æternæ. *Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te in finem. Psal.* 5. 4.

10. Docendum, ut homines discant silere, & parcè loqui, juxta documentum Apostoli: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Jac.* 1. 19. Ea ratione, quia: *In multiloquio non deerit peccatum, qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Prov.* 19.

11. Considerandum dictum illud B. Ægidii, 23
quòd expediret, homines esse gruibus similes in longitudine colli, ne tàm citò ex eorum gutture verba egrederentur. Menochius *in Hist. Miscellan. part.* 2. §. 363. Et illud B. Jordani, quòd voces hominum sunt similes vocibus canentium in Choro, qui incipiunt altiori tono, sed in fine Psalmi sunt semper deficientes. Sic homines incipiunt conversationes alto, hoc est virtuoso sermone, qui in decursu descendit ad detractiones. Menochius *ibid.* §. 375.

12. Monendi fideles, ut potiùs considerent sua crimina, suos defectus, suas imperfectiones, sic enim abstinebunt à detractionibus. Ideò narrandum lepidum factum Abbatis Prio- 24
ris, qui coram Monachis venit cum Sacco, vulgò *bisaccia*; cujus anterior pars continebat arenam paucam, posterior verò plurimam, & ait: *Iste Saccus, qui habet multam arenam, mea peccata sunt, quoniam plurima sunt iniquitates meæ, & ecce dimis-*

ea

ea super dorsum meum, nolens ea videre, ut pro illis doleam, vel plangam. Et ecce pauca hæc delicta fratrum meorum ante oculos meos posui, & crucior in ipsis, condemnans fratres. Sed non oportet sic judicare: sed magis ante me adducere, & de ipsis cogitare, & rogare Deum, ut indulgeat mihi. Menochius *dict. Histor. Miscellan. part.* 3. *§.* 58. ex Ruffino *de Vitis Patr. num.* 136.

13. Ideò inculcandum, quòd spoliabitur omni justitia, & virtute homo ille, qui non custodiet ostium labiorum. *Sicut Urbs patens, & absque murorum ambitu; ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum. Prov.* 25. 28.

14. Advertendum, quòd qui ex habitu detrahit proximo, semper est in immunditia peccati: nam *Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Num.* 19. 15.

15. Et ex detractione oriuntur criminalitates, quæstiones, & ruinæ domorum. *Si invicem mordetis, & comeditis; videte, ne ab invicem consumamini.* Gal. 5. 15. Siquidem: *Qui custodit os suum, custodit animam suam. Qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Prov. 13. 3.

16. Frequenter referenda exempla iræ Divinæ contra murmuratores, & detractores famæ proximorum. Quia murmuravit Maria Soror Moysis adversus eum, *apparuit candens lepra quasi nix.* Num. 12. 10. Quia Israelitæ *Murmuraverunt in tabernaculis suis; Deus elevavit manum suam super eos, ut prosterneret eos in deserto.* Psal. 105. 25.

17. In Vita S. Arnulphi Episcopi Metensis *die* 16. *Augusti* apud Bollandum legitur, Noddonem hominem scelestum obtrectasse, & detraxisse famæ ejusdem Sancti Episcopi, dicendo, ad eum noctu Reginam properare sub prætextu consilio-
25 rum ad malum finem. Sed alio dormiente cum detractore, flamma divinitùs immissa omnia illorum vestimenta corripuit. Aquam expetunt, sed injecta nil juvat. Ardebant acriter circa nates, & verenda interulæ detractorum, nec poterant illas exuere. Exiliunt foras, & instar porcorum in luto sese vociferantes volutant; sed magis, magisque in eorum membra genitalia ignis sævit, ut sic justo Dei judicio illis in locis pœnas luerent, de quibus Sanctum Virum sua obtrectatione infamare voluerunt. Bagatta *in Admirand. Orbis Christiani tom.* 1. *part.* 2. *capitul.* 1. *§.* 12. *numer.* 9.

18. Memorabile illud exemplum proderit narrasse, quod habetur in Chronicis Sancti Francisci
26 *part.* 2. *libr.* 8. *capit.* 28. De Sancta Elisabeth Regina Portugalliæ, cujus Celliotam, ob Dei timorem, quem præseferebat, Reginæ gratum, Aulicus detractor apud Dionysium Maritum, & Lusitanum Regem falsò criminaverat, tanquam impurè dilectum. Hac Rex detractione agitatus, transiens penes ardentem fornacem, calcariis ad se vocatis secretò jussit, ut quem crastina die ad eos misisset cubicularium, statim comburendum in fornacem mitterent. Manè sequenti Rex vocat ad se innocentem Reginæ Celliotam, eique mandat, ut ad prædictos calcarios iret, qui statim paruit: sed Deo illum protegente, ante Ecclesiam transiens, signo Missæ intellecto, ingreditur, & tres, unam post alteram, Missas audivit. Interim Rex sui præcepti executionem scire cupiens, viso detractore, eundem ad fornacem misit, ut peteret, quid actum? & sibi responsum daret. Impius accusator accurrens præcucurrit Celliotæ pio; illumque calcarii cùm vidissent, juxta Regis jussum projecerunt in fornacem. Paulò post accessit, qui Missæ Sacrificiis fuerat immoratus; petivitque an satisfactum præcepto Regis? Homines illi affirmarunt, satisfeciisse, quod reportavit Regi, qui stupens, & causam moræ illius, ac mortis detractoris cum sciviſſet, expavit Divinum judicium, & Reginæ Uxoris, ac ejus Cubicularii innocentiam admiratus, veneratusque fuit. Alphonsus Rodriguez *in Exercitat. Perfect. Christian. part.* 2. *tractat.* 8. *capit.* 16. Verè igitur *Detractores Deo odibiles. Rom.* 1. 30. quos semper vindex Deus punivit, ut aliis exemplis facilè comprobabunt Animarum Pastores, & Concionatores; de quibus apud Sacros Historiographos, & Matthæoli *in Sylva par.* 1. *lib.* 6. *tit.* 48. quorum lectione, & ferventi prædicatione pessimum hoc Detractionis crimen eliminabunt.

DECISIO CLVI.

ARGUMENTUM.

Invehit hæc Decisio contra Calumniatores, & quia plurimùm calumniæ prodeunt vel à Forensibus, vel ab Aulicis, de his præcipuè agitur, juxta numeros sequentes; videlicet: 1. Quid sit Calumnia? 2. Quarum personarum proprium sit calumniari? 3. Quanta sit excellentia Advocatorum? 4. Quæ boni Advocati requisita? 5. Quæ mali Advocati sors, & obligatio? 6. Quæ peccata Procuratorum in litibus? 7. Quæ pœnæ statutæ de Jure contra Calumniatores in Judicio? 8. Quæ Notariorum culpæ? 9. Quæ Aulicorum crimina? 10. Quæ Invidorum flagitia? 11. Quibus argumentis deterrendi Calumniatores? 12. Quibus confortandi calumnias patientes?

SUMMARIUM.

1. *Calumnia quid sit?*
2. *Calumniatores fingunt zelum justitiæ. Exempla à Scriptura Sacra.*
3. *Calumniatorum genera tria. Et quæ?*
4. *Juramentum calumniæ quid contineat?*
5. *Aulicorum est calumniari.*
6. *S. Bernardus calumniis impetitus apud Innoc. II. & Eugenium III.*
7. *Medicus Alex. Magni calumniatus de proditione. Item alia exempla.*
8. *Invidia quid sit? Ex ea calumniæ.*
9. *Invidorum calumniantium Historia.*
10. *Advocatorum laudes.*
11. *Advocatorum requisita quatuor. Et quæ?*
12. *Advocatus ignorans tenetur ad restitutionem clienti.*
13. *Doctorantes ignorantem peccant mortaliter.*
14. *Advocatus causæ injustæ ad quid teneatur?*
15. *Advocato, si causa sit dubia, quid agendum?*
16. *Advocati Pietas in defendendis egenis gratis.*
17. *Quota litis prohibita Advocatis.*
18. *Sportulæ non dabantur Advocatis Romanorum tempore.*
19. *Advocatorum fidelitas in quo consistat?*
20. *Advocati injusti finis est infernus.*
21. *F. Joann. de Parentibus Min. Generalis S. Francisci quomodo relicto Foro factus sit Religiosus?*
22. *Procuratores ad lites, quando peccent?*
23. *Talionis pœna quid? & contra quos?*
24. *Notariorum requisita, octo, ut boni sint.*

25. *Notarius quando sit excommunicatus nec absolvendus?*
26. *Aulici, & familiares Principum, & Prælatorum laudati.*
27. *Aulicorum Vitia, Adulatio, & Susurratio.*
28. *Susurratio peccatum gravissimum.*
29. *Invidorum flagitia quæ?*
30. *Lucifer lapsus è cœlo ob invidiam humanæ naturæ.*
31. *Dæmones cur multi relicti in aere?*
32. *Calumniatorum pœnæ, ac punitiones.*
33. *Calumniatorum punitorum exempla.*
34. *Calumnias patientes quibus motivis confortandi?*

QUò ad primum. *Quid sit Calumnia?* Dixerunt aliqui, *esse atrocissimum persecutionis genus, quod quidem, justitiæ prætextu, maximam dissimulat injustitiam.* 1 Quæ verba sunt Patris Ludovici Granatæ *in Concil. 1. Dom. 22. post Pent. column. 1.* ubi subdit: *Aperti quippè hostis persecutio dedecus, & ignominiam inferenti injuriam parit, injuriam verò leviter, & moderatè patienti, gloriam, & honorem conciliat; At calumnia dissimili ratione calumnianti quidem gloriam; calumniam verò patienti ignominiæ notam inurit. Quisquis enim calumniator, justitiæ prætextu videri vult adversus injustitiam sævire. Quod persecutionis genus tantò est atrocius, quantò magis sub pietatis* 2 *imagine justitiam, & pietatem oppugnat.* Solent enim calumniatores simulare zelum justitiæ, ut suam obtegant iniquitatem, & proximum opprimant. Hoc pacto Jezabel, falsis testibus adductis, lapidare fecit Naboth tanquam blasphemum in Deum, & Regem, ut ejus Vineam usurparet. 3. *Reg.* 21. 11. Aman, ut populum Judaicum perderet, *dixit Regi Assuero: est Populus per omnes Provincias regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, novis utens legibus, & cæremoniis, insuper & Regis scita contemnens, Esther. cap.* 3. 8. Satrapæ, ut perderent Danielem, finxerunt se zelare Edicti Regii observantiam, quo solus Rex Persarum orari poterat, & Danielem calumniosè accusarunt, quòd *tribus temporibus per diem orat obsecratione sua. Dan.* 6. 13. Senes luxuriosi, repulsi à Susanna, falsum testimonium dixerunt adversus eam ex ficto zelo continentiæ maritalis. *Dan.* 13. 40. Et Judæi frequentes suas calumnias contra Salvatorem ficto legis motivo cooperiebant; & præcipuè coram Pilato clamantes: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Jo.* 19. 17. Idem comprobabunt exempla mox alleganda. Alii ex studiosis nostris addidere; quòd *Calumniari, est falsa crimina intendere, scienter, & malitiosè, studio divexandi, & infamandi.* Ita deducit *ex l. 1. ff. ad S. C. Turpil. l. Athletas. §. Calumniator. ff. de his, qui not. infam.* Petrus Gregorius *in Syntagm. Jur. par.* 3. *lib.* 32. *c.* 20. *n.* 2.

Quò ad Secundum. *Quarum personarum proprium sit calumniari?* Dictum fuit: *Causidicorum,* 3 *Aulicorum, & Invidorum*: hæc enim tria genera hominum (justis tamen, & piis semper exceptis) sunt tres fontes, è quibus prodeunt Calumniæ. *Causidicorum* nomine veniunt Litigantes, eorum Procuratores ad lites, & Advocati. Hi, ut plurimum, lucri causa, calumnias seminant. Hinc utroque jure statutum, ut eorum quilibet jurare debeat in principio litis de calumnia vitanda, *l. 1. §. fin. C. de Juram. propt. calumn. cap. 1. Extr.* 4 *eod. tit.* Quòd quidem juramentum calumniæ continet quinque capita. 1. Quòd jurans credat, se bonam causam habere. 2. Quòd interrogatus, respondebit cum veritate. 3. Quòd non utetur scienter falsa probatione. 4. Quòd dilationes non petet in fraudem. 5. Quòd non dedit, neque promisit, nec dabit, neque promittet aliquid pro causa, nisi quibus leges dare permittunt. Pellegrinus *in Praxi Vicar. par.* 2. *sect.* 2. *subject.* 2. Lancellotus *in Canonic. Instit. lib.* 3. *tit.* 12. §. 1. & ibi Aloys. Riccius, qui ponit hos Versus:

Illud juretur, quos lis sibi justa videtur.
Et si quæretur, verum non inficietur.
Nil promittetur, nec falsa probatio detur.
Ut lis tardetur, dilatio nulla petetur.

Sed in nostro foro, & hisce temporibus, juramentum calumniæ non est in usu; nec sine causa, videlicet, ne litigantes, & causidici, calumniosè agentes, fiant etiam perjuri. Speculator *in §. Nunc dicamus, hoc. tit.* Abb. *in cap. 1. eod.* Alterum genus est *Aulicorum*, à quibus solent prodire calumniæ, ut enim Principis, vel Domini, cui serviunt, affectum occupent, calumniis dejiciunt quos eidem charos agnoscunt. Testatur id de 5 se ipso S. Bernardus spoliatus ab Aulicis calumniatoribus benevolentia Innocentii Papæ Secundi, quem defenderat fortiter contra Schismaticos; scribens enim ad eundem *Epist.* 218. *ait: Cedat jam, si placet, manifesta indignatio veritati: nec mihi deinceps frons rugetur, aut supercilium deponatur.* Et quod magis est, privatus gratia sui prædilecti 6 Eugenii Tertii de quo *Epist.* 306. ita scripsit ad Cardin. Hostien. *Benedictus Deus, qui & hoc quod dederat, & de quo mihi, fortè immoderatius blandiebar, solatium ante exitum tulit, vestram scilicet, & Domini mei* (Eugenii) *gratiam; ut vel proprio experimento discam, non ponere spem meam in homine.* Alexandri Macedonis Philippum Medicum calumniati sunt Aulici, dum eidem Regi infirmo medicinam præbebat; etsi Alexander certus de Medici fidelitate; poculum sumens calumniatorum litteras dedit illi legendas, ut refert Quintus Cur- 7 tius *lib.* 3. Ambrosium Marianum Nobilem Biturtinum, Equitem Melitensem, Philippi II. Regis Catholici summa laude Aulam sequentem, calumniosè de homicidio accusatum, biennio stetisse in obscuro carcere, donec falsitate testium cognita, innocens repertus fuit, scribit Hieron. à Basilicapetri *in suis Metamorphos. Sacris Centur. 2. Convers.* 81. Tertium genus est *Invidorum*, à quibus generantur calumniæ; cùm enim *Invidia sit Tri-* 8 *stitia de alieno bono, in quantum propriæ excellentiæ est diminutivum.* S. Thomas 2. 2. *quæst.* 36. *art.* 1. statim ac Invidi vident aliquem excellere in aliquo bono vel naturæ, vel gratiæ, vel fortunæ, propter quod arbitrantur se infeliciores, confugiunt ad componendas calumnias, ut illam personam, se excellentiorem, dejiciant, juxta illud: *Et vidi calumnias, quæ sub sole gerunt, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem. Eccl.* 4. 1. Hinc plenæ sunt Historiæ Sacræ, & profanæ horrendis exemplis, quibus innocentes impetiti fuerunt à Calumniatoribus, scientibus, quòd *Calumnia conturbat Sapientem, & perdet robur cordis illius. Eccles.* 7. 8. Ariani *subornarunt mulierculam, quæ accusaret S. Athanasium (in Concilio) quod hospitio acceptus sibi stuprum per vim intulisset.* Sed cognita fraude, *rejecta est mulieris impudentia.* Breviar. Rom. 2. *Majilect.* 4. Boleslaus Rex Polo- 9 niæ *in solemni Regni Conventu S. Stanislaum per calumniam in judicium coram se vocari curat, tanquam pagum occuparet, quem Ecclesiæ suæ nomine coemerat.* Sed mirè resuscitatus à S. Stanislao Petrus venditor, de

de agro à se vendito, & pretio ritè sibi ab Episcopo persoluto testimonium dixit, atque iterum in Domino obdormivit. Lect. 5. Breviar. Rom. *die* 7. *Maij.* Genovesa filia Ducis Barbantiæ, nupta Sifrido Romani Imperii Palatino, eo militante contra Turcas; provocatur à Gelone, Gubernatore, sibi relicto, ad amores turpes. Sed eo constanter rejecto, accusatur apud Maritum calumniosè de adulterio, qui nimis credulus pudicæ uxoris mortem decrevit, at ab executoribus decreti, pietate motis, ea viva cum filiolo in sylvis relicta, in antro per sex annos, & tres menses immorata, Cervæ lacte nutrita, à marito venante tandem reperitur, cujus vultus majestatem, & pulchritudinem admiratus, intellecta ejus innocentia, atque Gelonis calumnia detecta, cum lachrymis illam, ac filium amplexatus, reversus ad Regiam; à quatuor Tauris Calumniatorem decerpere in quatuor partes fecit. Alexander Sperellus *de Protect. Deip. serm.* 3. Ursulam Beninca calumniati sunt cognati, quòd veneno Patrem, à quo hæres locupletis facultatis erat instituta, necare tentassent. Illa sponte cessit hæreditati. Calumniatores facti sunt hæredes, sed tot, ac talibus vexati litibus fuerunt, ut bonis hæreditariis, ac suis propriis spoliati remansere in pœnam calumniæ. *Ex ejus Vita lib.* 1. *cap.* 5. Matthæol. *in Sylva Hist. lib.* 6. *cap.* 1. *tit.* 47. *Exemp.* 2.

Quò ad Tertium. *Quanta sit excellentia Advo-*
10 *catorum?* Ne videamur calumniari Advocatos pietatis, & Justitiæ cultores, dum nonnullorum calumnias detestamur, sciendum est, officium Advocati commendari *l. Laudabile. C. De Advoc. divers. Jud.* his Verbis: *Laudabile, vitæque hominum necessarium Advocationis officium, maximè principalibus præmiis oportet remunerari.* Et jure quidem, nam Angelicum est Advocationis munus, cùm à Deo optimo Maximo Angelos Advocatos nobis datos habeamus, canente Ecclesia:

Custodes hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cœlestis comites, insidiantibus
Ne succumberet Hostibus.

Ac excelsissima Cœlorum Imperatrix, Dei Mater alma, atque semper Virgo MARIA non dedignatur vocari, & esse *Advocata nostra.* Imò hoc pium officium exercendum sumpsit Divinus ejus Filius, Redemptor noster, de quo Testatur Joannes: *Advocatum habemus apud Patrem JESUM CHRISTUM justum.* 1. *Joan.* 2. 1. Nec non Sanctissimæ Triadis Persona Tertia, dicente Apostolo Paulo: *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Apud Romanos Advocare consueverunt Consulares, & primi hominesReipublicæ, Cato, M. Antonius, Crassus, Hortensius, Julius Cæsar, & Cicero; imo ipse Cæsar Augustus Imperator, imploratus à quodam milite, *Descendit in ejus advocationem, veritus ne non modò superbus, verùm etiam ingratus videretur;* ut scribit Auctor *Apophthegm.* Nemo est, qui ignoret, Advocatos defensores esse Civium, & eorumdem rerum; ab Advocatis protegi tùm divites in litium anfractibus; ideòque Rempublicam indigere æqua lance militibus ad externos hostes repellendos, atque Advocatus ad internam pacem conservandam, ut habetur in *l. Advocati. C. de Advoc. diu. Judic.* & probat S. Antonius 3. *part. tit.* 6. *cap.* 1. & Homobomus *part.* 2. *de Statib. cap.* 5. Quare præter alia Advocatorum Privilegia, & excellentes laudes, quas cumulat. Tiraquell. *in lib. de Nobilit capit.* 29. illa est celebris resultans *ex leg.* 1. *cit. tit. C. de Advoc.* videlicèt, quod *Advocati etiam depositi officio in clarissima dignitate sunt constituti.*

Quò ad Quartum. *Quæ boni Advocati sint* 11
requisita? Supradicta encomia adaptantur Advocatis quatuor habentibus requisita; videlicèt *Scientiam, Justitiam, Pietatem, & Fidelitatem.* Requiritur *Scientia* in Advocato, ut Canones, & leges intelligat, & clientulis consulere, eorumque jura producere, & rationes tueri valeat. Olim enim Advocati vocabantur Juris Oracula, & justitiæ Sacerdotes, ut scribit S. Ambros. *Epist.* 30. ad innuendum, eos non posse ignorantia ulla detineri. Hinc Advocatum ob propriam insci- 12
tiam perdentem clientuli causam teneri ad solvenda damna, & omnes expensas eidem clienti, docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 2. Felinus *in cap. Scisitatus, num.* 11. *de Rescript.* Sylvestr. *Verb. Advocatus quæst.* 24. Sayrus *lib.* 12. Noviss imè P. Joan. Tuba Servita in *Curru peccati* 13
quæst. 4. *cap.* 5. *num.* 309. Prout etiam peccant mottaliter Collegii nostri Patavini, toto terrarum Orbe celeberrimi Patres, & Doctores, qui ad Lauream Utriusque Juris admittunt imperitos, ut notat Glossa *in Clem.* 2. *Verb. Honorem. De Magistris.* D. Antonin. 2. *part. tit.* 3. *cap.* 5. §. 6. Et Reginaldus *in Praxi lib.* 25. *num.* 668. Requiritur *Justitia* in Advocato, qua adigitur, non suscipere causam injustam defendendam, sed justam tantùm; siquidem secundùm Quintilian. *lib.* 12. *cap.* 1. *Orator*, idest Advocatus, *est Vir bonus dicendi peritus.* Hinc si defendat injustam causam sivè ad vincendum, sivè ad protrahendum, sivè ad vexandum collitigantem, ut se componat cum detrimento, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem tùm damni, tùm expensarum, quas passus est Adversarius. Bona- 14
cina *tom.* 2. *in Octavum Præcept. Decalog. disput.* 10. *quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 6. Reginaldus *dict. lib.* 25. *num.* 671. & 672. ubi advertit, Advocatum dispositum, quascunque causas sivè justas, sivè injustas suscipere defendendas, esse in continuo statu peccati mortalis, & incapacem Sacramentorum, atque Sacramentalis absolutionis. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 18. Joan. Tuba *dict. quæst.* 4. *cap.* 5. *num.* 312. Et ideò Advocatus, qui cognoscit causam injustam, tenetur illam deserere, & clientem de injustitia admonere; non debet autem adversarii ejus tutelam sumere, nisi esset in extrema necessitate, cessante scandalo, & admonito primo cliente, ut desistat ab injusta vexatione; alias ipse defendet contrariam partem. Reginaldus *ubi supra num.* 674. Quod si causa esset dubia, & hinc inde reperientur doctrinæ, & scriptorum opiniones, fas esset Advocato illam tueri, admonito clientulo de dubietate. Joan. Tuba *dict. quæst.* 4. *cap.* 5. *num.* 310. *in fin.* Layman. *dict. lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. §. 2. *num.* 20. & Reginaldus *dict. lib.* 25. *num.* 673. Nunquam autem poterit Advoca- 15
tus producere Scripturas falsas, veritatem negare, Testibus, vel Juramentis falsis assensum præbere, aut inutiles, & superfluas dilationes petere, absque dispendio animæ suæ. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 71. *art.* 3. Reginaldus *dict. lib.* 25. *num.* 670. ubi concedit, occultare scripturas, quæ sui clientis causæ præjudicarent, dummodo

alias juſtam cauſam foveat. Requiritur *Pietas* in Advocato, quæ operetur, ut gratis defendat pauperes, & exiſtentes in extrema neceſſitate exemplo Sancti Ivonis, de quo *Martyrolog.*

16 *Rom.* 19. *Maij* imò patientiſſimi Jobi, qui ex nimia animi ſui pietate tuebatur afflictos, itaut dicere potuit de ſe ipſo: *Oculus fui cæco, & pes claudo: pater eram pauperum. & cor viduæ conſolatus*

17 *ſum. Job.* 29. 15. Sæpè enim viduarum, & egentium cauſæ pereunt deficiente pietate Advocatorum, qui ceſſantibus ſportulis recuſant patrocinium impertiri, juxta illud Ovid. *Epiſt.* 29. *Optima nam nullo cauſa tuente perit.* Undè laudandi ſunt Advocati, qui ob remunerationem habendam in cœlis, gratis patrocinantur miſerabilibus perſonis, atque piis locis. Ulteriùs pietatis chriſtianæ ſpecimen eſt in Advocatis non inhiare pecuniis, & honeſtam mercedem gratam habere; abſtinendo à quota litis, quæ eſt in Jure prohibita. *l. Sumptus. ff. de pactis.* Farinac. *quæſt.* 106. Durand. *deciſ.* 53. & *deciſ.* 358. *in fin.* Eminentiſs. Card. de Luca *in relat. Rom. Cur. Forenſ. diſcur.* 46. *num.* 47. ubi notat, indignum reputari ab Advocatis Romanis, aliquid petere à Clientibus. Illicitum quoque, & injuſtum eſt exorbitantes ſportulas prætendere, vel exigere etiam à divitibus, niſi in cauſa graviſſima, vel in caſu magni laboris; aut niſi Advocatus ſit magni nominis, & famæ ob eximiam doctrinam, ſeu facundiam in diſputando; ſecùs autem ſi ſit de illis, de quibus Muſa forenſis cecinit:

Vir benè veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus.
Creditur à mille: quamvis Idiota ſit ille.
Si careat veſte; nec ſit veſtitus honeſtè,
Nullius eſt laudis, quamvis ſciat omne, quod audis.

Apud Romanos per legem Cinciam prohibitum

18 erat Advocatis mercedem recipere à Clientibus; & de ſe ait Plinius *Epiſtol.* 5. ad Valerian. *Me juvat, quod in cauſis agendis, non modo pactione, domo, munere, verùm & xeniis ſemper abſtinui.* A Nerone Imperatore conceſſæ fuerunt ſportulæ Advocatis, teſte Svetonio *cap.* 17. & Tiraquell. *de Nobilit. cap.* 29. Ultimò in Advocato requiritur *Fidelitas*, quæ illum obligat ſervare rationes Clientuli ſui ſartas, tectas, & benè cuſtoditas, ne adverſarius dicſat, vel deſumat ex ejus ore argu-

19 menta ipſi Clientulo nociva. Ulteriùs abſtinere debet à falſis legum allegationibus, vel earum incongruis interpretationibus; à ſophiſticis rationibus, ſeu argumentis, ne ſit de illis, quos reprehendebat Sanct. Cyprian. *Epiſt. ad Donatum* dicens: *Utrobique graſſatur mendacium, crimi-num proſtitutæ vocis venalis audacia.* Item Sanctus Bernardus ad Eugenium ſubjungens: *Miror quomodo religioſæ aures tuæ audire poſſint hujuſmodi diputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubverſionem, quam ad inventionem proficiunt Veritatis.*

20 Quò ad Quintum. *Quæ ſit mali Advocati, ſors, & obligatio?* Jam dictum eſt, obligationem eſſe reſtituendi expenſas, & damna tùm ſui Clienris, tùm adverſarii ejus, quem malus Advocatus vexavit injuſtè. Et quoniam pauci rèperiuntur, qui male acquiſita reſtituant; ideò ſors mali Advocati eſt infernus, & æterna damnatio, ut probat eximium exemplum exiſtens in Chronicis S. Franciſci *Part.* 1. *Vol.* 2. *lib.* 10. 26. Quod de Verbo ad Verbum hic tranſcribere non me piget, etſi illud etiam retulerim ſupra *Deciſ.* 99. *num.* 7.

Frater Joannes de Parentibus, qui fuit primus Miniſter Generalis poſt Sanctum Franciſcum, 21 ingreſſus eſt Religionem, adhuc ipſo Sancto vivente. Hic homo erat Juris utriusque Doctor, & cùm eſſet Judex in Civitate Caſtellana & orundus ejusdem loci, quodam Veſpere à feneſtra ſuæ domus attentè obſervabat laborem cujusdam porculatoris in compellendis porcis, ut ſtabulum introirent. Et audivit ſocium ejusdem porculatoris, dicentem illi: Si vis, ut ingrediantur ſtabulum, dicito hæc verba, *Porci, porci intrate in ſtabulum eo modo, quo Advocati, & Judices intrant in infernum.* Quibus verbis prolatis, ſtatim porci ingreſſi ſunt ſtabulum abſque rumore, & absque ulla porculatoris defatigatione. Hæc cùm vidiſſet, & audiviſſet Judex, tactus magno Dei timore, dimiſit officium, & ingreſſus eſt Religionem Fratrum Minorum unà cum filio ſuo, fuitque exemplariſſimus in orationibus, & lacrymis, & tantæ auſteritatis, atque pœnitentiæ, ut factus Miniſter Generalis viſitaverit totam Religionem nudis pedibus. Hucuſque Chronica ordinis Sancti Franciſci *Qui habet aures audiendi, audiat. Matth.* 23. 9.

Quò ad Sextum. *Quæ ſint peccata Procuratorum* 22 *in litibus?* Peccant Procuratores forenſes in litibus, ſi ſcientiam non habeant ſufficientem pro munere ſuo; ſi debitam diligentiam non adhibeant in cauſa promovenda; ſi terminos ſuperfluos obtineant; ſi fraudes, aut falſitatis committant; ſi uſurpent ſibi facultatem ſcribendi in Jure, & allegandi; ſi detegant crimina ſui proximi, aut extorqueant indebitam mercedem à clientulis; vel eis egeſtate laborantibus auxiliari detrectent. Reginaldus *dict. lib.* 25. *à num.* 679 *& ſequentibus*, ubi *num.* 681. notat, quòd Procurator, qui habuit Copias à Notariis parvo pretio, poteſt recipere juſtam ſummam, etſi majorem à Cliente, quando Notarii minori pecunia contenti fuerunt in gratiam Procuratoris, ſecùs ſi ex mera liberalitate, vel intuitu Clientis.

Quò ad Septimum. *Quæ pœnæ ſint ſtatutæ de jure contra calumniatores in Judicio?* In judiciis 23 criminalibus intentatis per calumniam, pœna præcipua contra calumniatores eſt pœna *Talionis*; ſic dicta quaſi *Talis ad Æquale*, quæ in hoc conſiſtit, quòd Calumniator eadem pœna puniatur, qua innocens fuit punitus, vel fuerat puniendus, ſi crimen probatum fuiſſet, & non detecta calumnia. Hanc pœnam ſancivit Deus in Deuteronom. *cap.* 19. 21. ubi dicitur: *Non miſereberis teſtis mendacis: ſed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Et habetur *in cap. Quod debetur* 14. *quæſt.* 1. *cap. Sex differentiæ* 23. *quæſt.* 3. & *cap. Hæc autem vita.* 23. *quæſt.* 4. Eamdem ſtatuerunt leges Civiles, quas recenſet Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. part.* 3. *lib.* 31. *cap.* 10. nec non *cap.* 20. ubi advertit hiſce temporibus pœnam eſſe arbitrariam contra Calumniatores; quod etiam docet Menochius *de Arbitr. Judic. caſ.* 321. *num. ult.* Boſſius *de Accuſat. num.* 28. Bernard. Diaz. *in Praxi cap.* 68. & ibi Salzed. *in addit. num.* 6. & Theſaur. *de pœnis Eccleſiaſt. part.* 2. *Verb. Accuſator. cap.* 1. ubi oſtendit, Calumniatores eſſe infames, & irregulares, ideòque hoc crimen in clericis mereri privationem beneficiorum; *ex Juribus, & DD.* ibidem allegatis.

Quò

Quò ad Octavum. *Quæ sint Notariorum culpæ?*
24 Nulla erit culpa in Notario, qui servet sequentia. 1. Si doctus sit, & sciat ea, quæ spectant ad ejus officium, præcipuè circa contractus. 2. Si diligenter ponat in regesto Instrumenta cum nota Diei, Mensis, & Anni. 3. Si abstineat ab omni falsitate, vel mutatione veritatis; nihil addendo, & nihil minuendo ex actis. 4. Si nulli det Instrumenta originalia. Si promptè det copias actorum, & neminem fallat in scribendis clausulis renunciationum. 6. Si testamenta non scripserit eorum, qui non sunt sanæ mentis; neminem induxerit ad nominandum hæredem, quem non vult; & nullius occultaverit defuncti testamentum, seu codicillum, aliamvè ultimam voluntatem. 7. Si instrumenta non scripserit super illicitis contractibns, vel contra Ecclesiasticam libertatem. 8. Si contentus sit justa mercede, & ea, quæ gratis dari debet, absque pretio dederit. Quòd si in singulis supradictis defecerit, peccabit mortaliter, & erit obnoxius restitutioni. Layman, *lib. 3. tract. 4. cap. 4. num. 10.* Joan-
25 nes Tuba *dict. quæstion. 4. cap. 5. num. 305.* Abelly *de 8. Decalog. Præcept. §. 6.* Reginaldus *in Praxi fori Pœnitent. dict. lib. 25. à num. 684.* & sequentibus & præcipuè *num. 690.* ubi advertit, quòd Notarius scribens Instrumentum usurarium incurrit excommunicationem *per Clem. Unicam. De Usuris*; & nisi Usurarius restituerit usuras, Notarius tenetur ad illarum restitutionem. His addendum est casus reservatus in hac Patavina Diœcesi, si intra bimestre Notarii non denuncient legata pia; prout etiam si supprimantur scripturæ concernentes interesse Ecclesiarum.

26 Quo ad Nonum. *Quæ sint Aulicorum crimina?* Nostrum non est inquirere crimina deservientium in Aulis Principum, & Prælatorum, nisi in quantum Confessariorum profit institutioni; docent enim Historiæ tùm sacræ, tùm profanæ magnis laudibus extollendos esse Aulicos, utpotè magnis excellentes virtutibus; adeò ut jure optimo Regina Saba dixerit de eis Salomoni. *Beati Viri tui, & beati servi tuibi, qui stant còram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* 3. *Reg.* 10. 8. & scripserit Angelus de Perusio *in Proœm. Codicis*, ideò Principes habere in pectore, tanquam in scrinio, leges omnes, atque Philosophiam; quia apud se tenent eruditissimos homines, cum quibus sivè comedant, sivè ambulent, sivè secedant, alloquuntur. Hinc apud se voluerunt Cretus Rex Lidiæ Anacarsum Philosophùm: Dionysius Rex Syracusarum Platonem: Reges Ægyptii Menandrum Poetam: Trajanus Imperator Dionem: Matthias Rex Hungatiæ Joannem Montemregium; Robertus Rex Siciliæ Franciscum Petrarcham; & in præsenti sæculo Cardinalis Aldobrandinus Pacem Jordanum Insula Tragurienſi, & ter gemino opere insignem: Cardinal Ursinus Antonium Quærengum: Cardinal Eminentissimus Herus BARBADICUS Nobilem Venetum Aloysium Canalem, qui Sapiens magnus fuerat in sua Serenissima Republica. Cardinal. Caracciolus Josephum Crispinum à secretis, & hodie Episcopum, qui in lucem edidit primò *Scholam Sancti Philippi Nerii*, deinde tractatus inscriptos. *Il Buon Vescovo, la Visita Pastorale. Et la Sacra Ordinazione.* Idem Eminentiss. Præsul noster, quo tempore Bergomensem regebat Ecclesiam, inter cæteros bonitate, & litteris præclaros, Hieronymum à Basilica Petri. qui devotioni suæ, ac animarum saluti deinde consulens, Neapoli Congregationi Oratorii addictus, Sacras Metamorphoses, necnon Sacras Ephemerides, Sanctorum scilicet actus, Vitas, & exempla, typis publicavit. Et, omissis aliis, Eminentiss. Cardinalis Petrus Basadona, ejusque obitu sequuto, Serenissima Christina Svetiæ Regina, Josephum Abbatem Capellarium Virum Musis Egregium, cujus Latina Poesis, Regum, & Principum munificis testimoniis laudata, & probata, ejus *cultumque per artes pectus Apollineas, ingeninumque ferax*, satis demonstrat,

Cæterum (ut quæsito satisfaciamus) *Adulationis, & Susurrationis* communis opinio Aulicos cri-27 minatur. Adulantur enim Dominos suos, non quæ vera, sed quæ grata promentes, instar Torquati Romani, vinum Album nauseantis, cùm Aurelium Imperatorem, Herum suum, à Vini albi potu videret abstinentem. De his Catechismus Romanus *super Oct. Præcept. sect. 11.* ita loquitur: *Peccant in hanc partem blandi homines, & assentatores, qui blanditiis, & simulatis laudibus insiunt in aures, & in animos eorum; quorum gratiam, pecuniam, & honores aucupantur, dicentes, ut est apud Prophetam, Malum bonum, & bonum malum. Isai* 5. Hos canere fecit Poeta.

Pazzo chi al suo Signor contradir vuole
Se ben dicesse, che da mezo giorno.
Visto hà le Stelle, ea meza notte il Sole.

Susurrant postea in aures Dominorum, calumniantes conservos, ut eos odibiles, seipsos amabiles reddant; scelus mortalissimum juxta S. Tho-28 mam 2. 2. *quæst. 74. art. 1.* & contra tales Aulicos invehit Oraculum divinum dicens; *Denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. Eccles. 8. 17.* Causant enim hi Susurrones, & Aulici calumniatores, ut benemeriti homines præmia fidelis servitutis perdant, testante Illustrissima Poetria Victoria Columna.

Altri nelle gran Corti consumando.
Il più bel fior de' lor giovenil anni.
Mentre utile, & onor van' ricercando,
Sol ritrovano invidie, oltraggi, e danni.

Quocirca Seneca *lib. 2. de Ira cap. 8.* de his ita scribit: *Nulli, nisi ex alterius damno, quæstus est. Felicem oderunt, infelicem contemnunt; majores gravantur, minores graves sunt.* Et paulò post de Aulicis subdit: *Ferarum iste conventus est; nisi quod illæ inter se placidæ sunt, morsuque similium abstinent, hi mutua laceratione satiantur.*

Quò ad Decimum. *Quæ sint Invidorum fla-*29 *gitia?* Notandum, quod invidere est tristari ex prosperitatibus bonorum: indignari est tristari ex prosperitatibus malorum. Aristot *lib. 2. Topic. cap. 2. num. 6.* Et ideò bene ait S. Ambr. *lib. 2. offic. c. ult.* quòd *improbus suo delectatur bono, invidus verò torquetur alieno*: nam invidi videre non possunt eos, qui bona possident; undè S. Jo. Chrysost. *Homil 44. ad Popul.* subdit, *Invidos esse pejores feris, Dæmonibus autem pares*: feræ etenim mansuetæ sunt cum sibi benefacientibus; invidi nequaquam, sed semper crudeles, & similes Dæmonibus immanissimi in cruciandis illis, à quibus majora receperunt obsequia. Imò pejores, quam Dæmones, qui inter se non digladiantur, sed invidi neque cognatis, neque propinquis, neque amicis parcunt. Igitur in invido reperitur quodcunque flagitium; nam invidia est summa malitia ex directo opposita.

Di-

vinæ bonitati, cujus proprium est bona dare; & ideò in Evangelio Dominus dixit invido operario; *Numquid oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Matth.* 20. 15. assimilando nequitiam invidiæ oculo, qui affligitur, si sit infirmus, pulchritudine lucis, quæ quouscunque lætificat. Procedit autem Invidia à radice superbiæ; superbus enim est omnis invidus, quapropter Lucifer, ob revelatam Divini Verbi Incarnationem, cognoscens, humanam naturam esse sublevandam super Angelica, ægrè tulit tanquam superbus, & voluit potiùs Cœlum deserere, & abyssos ingredi, quàm excellentiam humani generis intueri. Hinc plures Dæmones relictos in aere, qui videntes animas nostras evolare ad gloriam, ex Invidia cruciantur, testantur Theologi, quorum meminit Eminentiss. Cardin. Sforza Pallavicinus *Tract. de bono lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 3.

Quò ad Undecimum. *Quibus argumentis deterrendi sint Calumniatores?* Confessarii, & Concionatores retrahent homines calumniatores ab hoc execrando vitio, comminando iisdem Divinam ultionem. Siquidem *Simulatores, & callidi provocant iram Dei. Job.* 36. 13. idcircò calumniatores in præsenti vita citò peribunt, juxta illud: *Noli æmulari, ut maligneris: quoniam qui malignantur, exterminabuntur. Psal.* 36. 8. Eorum industriæ pro gradibus; & dignitatibus consequendis, evanescent; Deus enim *humiliabit Calumniatorem. Psal.* 71. 4. In futura vita carebunt æterna gloria; scriptum est enim: *Neque habitabit juxta te malignus. Psal.* 5. 6. Sed iisdem serio consideranda, & exponenda erunt sequentia Verba Spiritus Sancti, *Prov.* 6. 16. *Sex sunt, quæ odit Dominus, & Septimum detestatur anima ejus. Oculos sublimes. Linguam mendacem. Manus effundentes innoxium sanguinem. Cor machinans cogitationes pessimas. Pedes veloces ad currendum in malum. Proferentem mendacia. Testem fallacem. Et eum, qui seminat inter fratres discordias,* idest Calumniatorem. Comprobanda etiam hæc veritas sequentibus exemplis.

Valens Imperator habuit Aulicum calumniis deditum, qui cùm virùm justum calumniatus esset, paraturus balneum pro Imperatore prædicto, mens ejus defecit, cecidit in balneum, & in illo suffocatus remansit. Theodoretus *in Hist. Eccl. lib.* 4. *cap.* 6.

S. Gregorius Episcopus Agrigentinus fuit calumniosè accusatus à quadam fœmina de stupro; quod cum illa asseveraret in judicio, invasa fuit à Dœmone, à quo in terram dejecta cruciabatur; at expulso Dæmone per orationes, & adjurationes ejusdem S. Gregorii, ipsa mulier confessa est suum mendacium, instigantibus adversariis ejusdem Sancti commissum. Surius *ex Metraph. die* 23. *Nov.*

Constantinus Copronimus Imperator Iconoclasta S. Stephanum Monachum, defensorem Sacrarum Imaginum, carceri mancipavit; eumque calumniosè accusare fecit à pedissequa Annæ Viduæ, nobilissimæ Matronæ, quæ sua bona pauperibus distribuerat, & habitum Religionis susceperat. Hæc innocentiam suam, Sanctique Stephani, ut tutaretur, rigorosa tormenta est perpessa. Maritus datus fuit accusatrici, in præmium suæ iniquitatis, quæ gravida effecta, duos tandem peperit gemellos filios; quos cùm ad mamillas lactandos admovisset, ipsi morsibus easdem laceraverunt, & impia Mater ex nimio dolore è vita decessit. Card. Baronius *Anno* 762. *&* 763.

Bettelenus Aulicus Cunthramni Regis Francorum calumniatus fuit de falso Austregisillum Mapparium ejusdem Regis, qui ut experiretur, uter innocens esset, jussit, eos in duellum descendere pugnaturos. Interim calumniator Bettelenus ascendit equum, à cujus subita ferocitate in terram projectus, & calcibus impetitus, miserè expiravit. Austregisillus, aula relicta, clericalem vitam assumpsit, & factus Biterigensis Episcopus piè vixit, & sanctè obivit. Hieron. à Basilicapetri *in Metamorphos. Sacr. part.* 4. *Convers.* 46. ex Philippo Labbè *tom.* 2. *Bibliothec. sect.* 2. Exempla alia plurima consimilia Parochi extrahent, legentes Matthæoli Sylvam Histor. *lib.* 6. *cap.* 47. *& cap.* 48. P. Stephani Menochii Histor. Sacra *part.* 1. *§.* 84. *§.* 426. *ac par.* 2. *§.* 398. *&* §. 412. P. Bagattam in Admirandis Orbis Christ. *lib.* 1. *cap.* 3. *à num.* 9. *& seqq.* Et Hieronym. à Basilicapetri *in Ephemerid. Sacris die* 28. *Martii num.* 2.

Quò ad ultimum. *Quibus argumentis sint confortandi patientes calumnias?* Dictum fuit, alia esse argumenta Spiritualia, alia Prudentialia. Prima sunt sequentia. 1. Spernere calumnias; Deo & bonæ vitæ suæ fidendo. 2. Considerare, quòd Divinus honor blasphemiis, & injuriis continuò læditur; nil mirum si simplicis hominis, cujus honor infinities minoris est momenti, laceretur. 3. Ponderare, verum honorem consistere in bonitate, & christianis actibus. 4. Credere, quod sicut calumniatores Deus punit, ita innocentes locupletat, & exaltat juxta illud; *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem. Psal.* 36. 25. & alia argumenta ponit P. Arsdekin. *tom.* 3. *part.* 5. *cap.* 2. *§.* 11. *& §.* 12. Altera sunt Prudentialia, desumenda *ex Epist.* 74. Senecæ, in qua Aulicos edocet methodum, & formam tolerandi mundanas vicissitudines, eorum durante servitute; de qua Alciatus *Emblem.* 87. ita cecinit:

Vana Palatinos, quos educat Aula Clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

Aliud documentum ejusdem Senecæ ponit Calepinus *in Verb. Aula*, ab Aulicis ibidem legendum, atque servandum.

FINIS.

Index

INDEX

VERBORUM, AC RERUM MAGIS NOTABILIUM, QUÆ IN HIS DECISIONIBUS MISCELLANEIS CONTINENTUR.

Alphabetico ordine digestus.

Prior numerus significat Decisionem: Secundus Decisionis numerum.

A.

Abbatissa sibi ipsi licentiam donandi aliquid potest tribuere. Decis. 75. num. 6.

Abortus quid sit? Quot modis fiat: An aliquando licitus? Quàm gravè delictum, Quibus pœnis puniatur, Quis absolvat ab illo, Decis. 145. per totam.

Abraham pecuniam obtulit pro emenda terra ad sepeliendam Saram, Decis. 76. num. 7.

Abstinendum ab eo, quod honestum non creditur, Decis. 72. num. 6.

Abusus circa ministerium Montis Pietatis, Decis. 41. num. 14.

Acidia undè dicta, Ejus definitiones, Filiæ, Cui virtuti opposita, In quibus grassetur, Quæ ejus remedia, Decis. 142. per totam.

Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur, Decis. 47. num. 14.

Actus favorabilis menti testatoris est sustinendus, Decis. 74. num. 12.

Adoratio quid, & quotuplex sit, Decis. 5. num. 3.

Adulatores quando obnoxii sint restitutioni, Decis. 96. num. 10.

Adulterinæ proli an revelanda veritas à Matre, An suadendus ingressus in Religionem, Decis. 91. num. 4. & 7.

Adulterantium pœnæ variæ; ac obligatio restituendi ob illegitimos susceptos filios, Decis. 91. num. 2. & 9.

Adulterina ex prole tria veniunt genera damnorum; & Quæ, ibid. num. 1.

Adulterium quid sit, Quotuplex, Ejus gravitas, effectus pessimi, quibus pœnis plectatur, Quomodo absolvatur, Decis. 146. per totam.

Advocati non litigant, Decis. 54. num. 16.

Advocatus defendens causam injustam quomodo sit absolvendus. Tenetur ad restitutionem, Decis. 99. num. 6. & 8.

Advocati an possint defendere causas dubias, ibid. num. 9.

Advocatorum laudes, Eorum bona requisita quatuor, Quid eis permissum, quid prohibitum, Quæ eorum obligatio, Quid si sint ignari, Quid de eorum salute æterna, Decis. 156. à num. 10. & seqq.

Æqualitas servanda in contractibus, Decis. 26. num. 10.

Agentes malè, & consentientes pariter peccant, Decis. 56. num. 9.

Agere non valenti nulla currit præscriptio; Decis. 86. num. 13.

Agonizantibus an diabolus visibilis appareat, Exemplum Monialis Capuccinæ de Padua, Tentationes in articulo mortis, Decis. 129. per totam.

Alchimiæ Ars an sit licita, Decis. 7. num. 5.

Alearum, & taxillorum ludus prohibitus. An lucrum ex eo in conscientia peti possit, An coram Judice, An licitæ sint fraudes in ludendo, An in foro poli teneatur solvere qui perdidit in alearum ludo, Decis. 34. per totam.

Alienari an possit fundus sterilis contra voluntatem testatoris, Decis. 74. num. 3.

Alienatio à lege ordinata non comprehenditur in prohibitione Testatoris, ib. num. 14.

Aliud pro alio invito creditore solvi non potest, Decis. 84. num. 10.

Amatoriæ conversationes nocivæ; effectus pessimi ex eis, Quibus remediis tollendæ, Decis. 148. per totam.

Ambitio quid sit, undè dicta, Ejus mala, Quas personas afficiat, Exempla infectorum hoc vitio, Remedia, Decis. 147. per totam.

S. Ambrosii tres observationes ab Ecclesiasticis observandæ, Decis. 39. num. 7.

Ejusdem Sancti documentum de utilitate Patris Spiritualis, Decis. 46. num. 12.

Amicitia quid sit, Quotuplex, Ejus proprietates, Officia, Ejusdem valor, & æstimatio, Quot, & quibus de causis dissolvatur, Decis. 87. per totam.

Amor carnalis quid sit, & quotuplex, Ejus damna, Ejus pericula, Potissimum inter personas spirituales, Remedia, Decis. 138.

Amor proprius, seu Philautia quid, & quotuplex sit, Quale ejus objectum, Quæ radices, Quæ damna, Quæ remedia, Decis. 135.

Amphybologiis quando liceat uti, & quando non, Exempla, ac doctrinæ de eisdem, Decis. 144. num. 8. & seqq.

Anatocismus quid sit, Decis. 76. num. 30.

Angaria propriè quid sit, Decis. 69. num. 3.

Angeli intra monumentum Christi, Decis. 36. num. 9.

Eos imitantur, qui psallunt in choro, Decis. 109. num. 20.

Angeli custodes offenduntur vestitu vano mulierum, Decis. 120. num. 9.

Angelus custos hominum quo tempore eis assignetur, Decis. 145. num. 3.

Animalia dare in Societatem rusticis quomodo liceat, Sub quanta pensione, Cui spectet periculum, An dari possint ad caput salvum, Sub certa æstimatione, Decis. 30. per totam.

Item de societate animalium, Decis. 50.

Animalium Patroni tenentur ad damna per illa alicui illata, Decis. 79. num. 6.

Animæ salus cæteris rebus pretiosior, Decis. 86. num. 18.

Antonius Maria Cortivo de Sanctis Nobilis Patavinus Fundator Congregationis Oratorii de Padua, Decis. 133. num. 4.

Aqua benedicta in januis Ecclesiæ ad se signandum mos antiquissimus, Decis. 36. num. 5.

Aqua quò impurior, eò facilius ebulit, Decis. 152. num. 18.

Arbitrium boni viri attendendum in rebus dubiis, Decis. 84. num. 9.

Argumentum valet à simili, Decis. 27. num. 19. Item de parte ad totum, Decis. 47. num. 18.

Arma non sunt sumenda de domo Rei, Decis. 86. num. 16,

Assassinium quid, & quale sit, Illud committentes non gaudent jure Asyli, Decis. 14. num. 4. & 5.

Assassinium facit qui abortum procurat, Decis, 145. num. 10.

Assecuratio, & venditio lucri incerti illicita est inter socios, Decis. 30. num. 20.

Assecurationis contractus quando sit licitus, Decis. 37. num. 6.

Item de eodem contractu, Decis. 40. num. 1. & 7.

Ac etiam, Decis. 78. num. 4.

Astomi qui sint, Decis. 100. num. 5.

Attentio ad Missam an sufficiat externa, Decis. 36. num. 2.

Attentio triplex in recitandis Divinis Officiis, & qualis sufficiat, Decis. 109. num. 17. & seqq.

Avaritia, quid, & quotuplex sit, Quæ ejus mala, Similis radicibus arborum, Difficilis emendationis, Remedia ad eam extirpandam, Decis. 137. per totam.

Augmentum, vel decrementum pecuniæ mutuatæ, aut mensura ad quem spectet, Decis. 27. per totam.

S. Augustini mira humilitas, Decis. 46. num. 7.

Aulici, & familiares Principum, ac Prælatorum laudati. Quæ eorundem vitia, Decis. 156. num. 26.

Auri aviditas causa delictorum, Decis. 59. num. 3.

B.

Bagattini unius exactio pro omni libra super pignoribus, quæ sit à Ministris Montis Pietatis Paduæ ad favorem Lazaretti, & Domus Dei, an sit licita, Decis. 41. num. 6.

Bagattinus quid sit, prædicta exactio illicita, ac solventibus illum restitutio facienda, ibid. n. 9. & 15.

Bartholomeus Sylvaticus Eques, ac Patricius Patavinus, in hoc publico Gymnasio Jurisprudentiæ Professor laudatus, Decis. 71. num. 8.

Bauldry de importantia Rubricarum Missalis legendus, Decis. 115. num. 17.

Benefaciens aliis non debet ab eis damnum reportare, Decis. 27. num. 13.

Benefacienti est benefaciendum, Decis. 40. n. 5.

Beneficiarii non facientes eleemosynam an mortaliter peccent, Et an satis sit illam ordinare post mortem, Decis. 111. num. 3. 8. 9. 11.

Benevolentiæ, ac amicitiæ acquisitio in mutuo an causet Usuram, Decis. 40. num. 1.

S. Bernardus calumniis impetitus apud Innoc. II. Et Eugenium III. Decis. 156. num. 6.

Blasphemia quid sit, Quam gravè peccatum, Quot modis proferatur, Quæ differentia, si sit contra Deum, Deiparam, aut Sanctos, Decis. 17. per totam.

Blasphemia an sit jurare per Sanguinem Dei, aut membra Christi, Decis. 18. num. 1. & 2.

An una differat specie ab alia, ibid. num. 3.

Et quomodo blasphemus sit interrogandus à Confessario, ibid. num. 4.

Blasphemia alia simplex, & alia hæreticalis. Et an detur interna, Decis. 19. num. 1. 2.

Quæ dicatur ex consuetudine, Dec. 20. num. 3.

Blasphemia quibus pœnis puniatur, Et an Blasphemi possint capi in loco Sacro, dec. 21. per totam.

Quibus remediis hoc vitium tollatur, dec. 114.

Blasphemiæ enormis malitia, species, pœnæ, pœnitentiæ antiquæ, & aliæ punitiones, à Deo inflictæ, dec. 150. per totam.

Bona inventa in via publica cui sint restituenda, dec. 86. num. 3.

Bona de sui natura inalienabilia, neque per sententiam. neque Præscriptionem possunt retineri, dicta dec. 85. num. 22. & 23.

Bona temporalia tripliciter considerantur, dec. 111. num. 6.

Bona Ecclesiæ quomodo, & quando possint locari ultra triennium, vel dari in Emphyteusim, dec. 16. per totam.

Bona stabilia relicta Ecclesiis de Jure Veneto alienantur, dec. 74. num. 13.

Bona nostra sunt quæ nobis debentur, dec. 27. num. 37.

Bonum Spirituale proximi præferendum nostro temporali, dec. 56. num. 15.

Bona Fides dantis pecuniam ad cambium, etsi non ponatur in nundinis, an excuset campsorem ab Usura, dec. 77. num. 5.

Quis dicatur possessor bonæ fidei, & quando cesset bona fides, dec. 90. per totam.

F. Bonaventura de Montanæana Capuccinus fervens Prædicator, dec. 77. num. 2.

Brutorum sollicitudo in suis filiis educandis, dec. 43. num. 4.

Bulla S. Pii V. de Censibus non est extendenda ad Livellos, dec. 73. num. 7.

Bullæ Pontificiæ contra ambientes Ecclesiasticas dignitates, dec. 147. num. 16.

C.

Cajetani Cardinalis statura exterior deformis, dec. 154. num. 20.

Calumnia quid sit, Quas personas inficiat, Quibus motivis confortandi patientes calumnias, dec. 156. per totam.

Calumniatorum genera tria, Eorum pœnæ, ac punitiones ex Historiis, dicta dec. 156. per totam.

Cambium quid sit, Quotuplex, Aliud minutum, aliud per litteras, aliud ad nundinas, aliud

aliud Maritimum. Conditiones servandæ, ne committatur Usura in quocunque genere cambii, dec. 76. per totam.
Cambii Romani casus discussus, an sit licitus, dec. 77. per totam.
Campsores, & Campsarii qui dicantur, dec. 76. num. 5.
Quando hi committant Usuram, dec. 77. per totam.
Campanula bovis furto ablati indesinenter sonans, dec. 92. num. 8.
Candidati cur sic vocentur promovendi ad dignitates, dec. 147. num. 2.
Cani cur assimiletur Vindicativus, dec. 54. n. 2.
Cap. *Navigantis*, *de Usuris* explicatio, dec. 78. num. 5.
Item dec. 37. num. 15.
Capitale Census Vitalitii nunquam restituitur, dec. 59. num. 10.
Capitale livelli an possit augeri ex prodiis decursis, & non solutis, dec. 72. num. 5.
Capsæ S. Montis Paduæ crescit, & decrescit valor monetæ in ea depositatæ, dec. 27. num. 32.
Carnis peccata summè Deo odibilia. Quàm difficile emendentur. Eorum effectus pessimi, Remedia contra illa, dec. 110. per totam.
Castaldi monitio circa observantiam Rubricarum Missalis, dec. 115. num. 16.
Castitas dicitur à castigando, dec. 152. num. 16.
Causa causæ est causa causati, dec. 56. n. 8.
Cecchini mutuò recepti ad numerum sunt restituendi in eodem numero, dec. 27. per totam.
Census vitalitii quibus conditionibus fieri possint, dec. 59. per totam.
Census quid sit, & quotuplex, Quinque conditiones servandæ in ejus stipulatione, dec. 65.
Census natura differt à livello, dec. 71. num. 19.
Census affrancatio an possit deduci in obligationem, dec. 72. num. 9.
Census an constitui possit super fundo, non expressis ejus confinibus, dec. 73. num. 8.
Centenaria consuetudo, quæ declarata est abusus, nihil valet, dec. 109. num. 6.
Cæsar Manentus scribens de livello pecuniario reprobatur, dec. 70. num. 4.
Ejus argumenta resoluta, dec. 71. num. 7.
Charitatis erga Deum definitio, Quot peccatis offendatur, Ejus actus quo tempore eliciendi, dec. 4. à num. 4. & seq.
Charitas obligat non excitare proximum ad peccatum, dec. 56. num. 7.
CHRISTI exemplum pro exercitio Patientiæ, dec. 95. num. 7.
Choreæ, ac Saltationes quibus remediis à Parochis retrahendæ, dec. 4. à num. 9.
Et quomodo eliminandæ, dec. 18. num. 6.
Choreæ undè denominatæ, Quæ licitæ, quæ illicitæ, Earum detrimenta tria, Ex eis Perditio animarum, Punitiones, Pessimi Effectus, dec. 149. per totam.
Ciconiæ pascunt Parentes suos decrepitos, decis. 64. num. 5.
Circumstantiæ aggravantes quando exponendæ sint in confessione, dec. 17. num. 8.
Clementis Papæ Noni dictum de Cardinali Barbadico Episcopo Patavino, dec. 24. num. 10.
Clementis Octavi Bulla prohibet Religiosis largitiones munerum, non autem eleemosynas, dec. 75. num. 8. & 9.
Clerici negotiari non possunt, dec. 34. num. 16.
Cœcitatis intellectus humani damna duo, dec. 133. num. 5.
Cogitationibus libidinosis expressè dissentiendum, dec. 1. num. 7.
Cogitationes turpes quæ, & qualia sint peccata, Timendæ, & expellendæ, Periculosæ maximè in articulo mortis, Confitendæ, Quibus remediis curandæ, dec. 152. per totam.
Comediæ illicitæ ob quatuor causas. Causant inundationes, & tempestates, Excitant amores inhonestos, Periculum animæ, Ob tria motiva fugiendæ, dec. 143. per totam.
Commodum ex sua iniquitate nemo reportare debet, dec. 48. num. 11.
Commoda si sentis junge onus emolumentis, dec. 72. num. 18.
Conditio solvendi medietatem debiti anticipatè, & aliam posticipatè an licita, dec. 45. n. 5.
Conditiones servandæ in contractu trium contractuum assecurationis lucri, dec. 49. num. 7.
Conditiones in Cambiis minutis, & per litteras servandæ, dec. 76. num. 19.
Et quæ in cambiis maritimis, Decis. 78. per totam.
Confessarius gerit officium Magistri, Medici, ac Patris, non mutandus, sed ad eundem accedendum, Decis. 46. per totam.
Confessarii quomodo se gerent cum Nobilibus debita sua non solventibus, Dec. 82. num. 11.
Quando teneantur ad restitutionem pro pœnitente, Dec. 94. num. 13. & 16.
Quot sint casus in quibus remanent ipsi obligati ad restitutionem à pœnitente debitam, Dec. 107. per totam.
Confines camporum in livellum datorum an sint specificandi, tribus modis fieri potest illa specificatio, sufficit, si specificentur confines totius possessionis, de cujus corpore aliqui campi livellantur, Decis. 73. per totam.
Consensus defectus causat nullitatem actus, Dec. 47. num. 15.
Consensus quotuplex sit, & quando faciat culpam mortalem, vel venialem, Decis. 152. num. 5.
Consilium qui dat ad damnum faciendum, tenetur ad restitutionem, Dec. 96. num. 5.
Consilii retractatio an liberet à restitutione, dicta Decis. 96. num. 6. & Decis. 97. numer. 1.
Consulens minus malum facturo majus an teneatur restituere, Dec. 96. num. 7.
Consuetudo blasphemandi non excusatur ob iram, Dec. 1. num. 8.
Consuetudo patriæ dat regulam justi pretii in censu vitalitio, Dec. 59. num. 9.
Consuetudo generalis circa pactum facit ipsum legitimum, Dec. 70. num. 17.
Quæ viget in patria circa livellos servanda, Dec. 71. num. 14.
Consuetudo, quæ declarata est abusus, non valet, etsi sit centenaria, Decis. 109. numer. 6.
Contractus natura cognoscenda est ab effectibus, non à nomine, Dec. 30. n. 12.
Constituitur ex substantialibus ad illum. Decis. 42. num. 6.
Quando sit innominatus, ibid. n. 9.
Contractus trium contractuum an licitus, Dec. 49. num. 4.
Et Dec. 78. num. 10.
Contractus ex conventione partium legem accipiunt, Dec. 70. num. 16.

Contrahentes debent intentionem ſuam clarè declarare, Dec. 42. num. 10.
Converſatio maſculorum cum fœminis nubilibus remediis decem diſturbanda, Dec. 22. num. 12.
Converſatio cum perſonis malis quot generet mala. Dec. 139. per totam.
Cooperatores in alterius damnum ſunt omnes obligati ad reſtitutionem. Hi quot ſint, Dec. 96. num. 1. & 11.
Credita difficilis exactionis an vendi poſſint minori ſumma, vel ſi inſit periculum in eis, Dec. 49. à num. 8. & ſeqq.
Culpa triplex, lata, levis, & leviſſima, Dec. 94. num. 15.

D.

DAmnum emergens quid ſit, & quæ ejus conditiones, ne fiat Uſura, deciſ. 33. num. 2. & 7.
Damnum qui dat, illud reſarcire debet, dec. 34. num. 1.
Proximi tui tàm ſpirituale, quàm temporale impediendum, dec. 56. num. 11.
Damnum emergens ob moram mutuatarii facit quod lucrum ex mutuo non ſit Uſura, dec. 57. num. 11.
Damna, & intereſſe ſolvenda ſunt à debitore moroſo, dec. 67. num. 5.
Damnum qui dat cum culpa Theologica tenetur ad reſtitutionem, deciſ. 79. num. 7. & 8.
Damnum non revelantes, aut non impedientes, quando reſtituant, dec. 96. n. 14.
Dare a godere an ſit contractus licitus, Modi, ac conditiones in eo ſervandæ, deciſ. 58. per totam.
David cur dicatur punitus ob adulterium cum Bethſabea, & non ob homicidium Uriæ, dec. 146. num. 11.
Debitor in alternativis habet electionem, deciſ. 26. num. 14.
Debitores impotentes ob malam œconomiam non ſunt abſolvendi, eorum impotentia tribus regulis menſuranda, deciſ. 89. num. 9. & 10.
Debitor ex contractu quo in loco tenetur rem reſtituere, dec. 84. num. 5.
Debitum ſolvi poteſt in quacunque moneta, dec. 27. num. 18.
Debitum conjugale reddens injuſtè petenti an peccet, dec. 56. num. 5.
Debitum antecedens ſi deducatur in pactum, dum datur Mutuum, non eſt Uſura, dec. 57. num. 10.
Decalogi primum Præceptum quas Virtutes requirat, & quæ peccata rejiciat, deciſ. 5. num. 1. & 2.
Decalogi quartum præceptum cur non obliget genitores ad benè educandos filios, dec. 43. num. 6.
Decimarum fidelis ſolutio quibus mediis ſuadenda, dec. 16. num. 10.
Illas piè ſolventes habent à Deo remunerationes quatuor, ibid. num. 11.
Decimæ cur ſolvantur in lege Evangelica Eccleſiaſticis poſſidentibus ſtabilia? ibid. num. 13.
Decima Eccleſiaſtica quid ſit, dec. 69. num. 5.
Decipere qui non vult, clarè loquitur, dec. 42. num. 11.
Defunctis cur celebrentur Miſſæ die tertio, ſeptimo, trigeſimo, & Anniverſario, dec. 117. per totam.
DEIPARÆ, ac SS. Angelorum aſſiſtentia in articulo mortis, dec. 192. num. 6.
Dæmones cur multi relinquantur in aere, dec. 156. num. 31.
Deponere pecunias apud Uſurarios non licet, deciſ. 56. num. 10.
Deſiderium in quo differat à Voluntate, dec. 71. num. 9.
Detractio quid, & quotuplex ſit, Quàm univerſale peccatum, Quot perſonas inficiat, Punitiones, Obligatio reſtituendi famam. Remedia contra hoc vitium, dec. 126. per totam.
Detractio quot modis committatur, Quando ſit mortalis, Quomodo hoc vitium confitendum, Difficilè ſalvantur detractores, Et alia de hoc vitio, dec. 155. per totam.
Devotio erga SS. Euchariſtiam quibus modis excitetur, dec. 24. num. 25.
Item erga alia Sacramenta, dec. 116. per totam.
Diaboli officium impedire ingreſſum in Eccleſiam, deciſ. 36. num. 6.
Et ne ſanctificentur dies feſti, dec. 60. num. 3.
Diaboli gratiarum actio ad Parochos non prædicantes, dec. 114. num. 8.
Diaboli ludentes ſuper cauda Veſtis mulieris, deciſ. 120. num. 11.
Dies interpellat pro homine, dec. 34. n. 8.
Et conſtituit debitorem in mora, deciſ. 52. num. 3.
Dignitas perſonarum pro beneficiis, in quo conſiſtat, dec. 85. num. 14.
Dilemma contra vindicativos, dec. 54. nu. 10.
Diſtributiones tenetur reſtituere, qui ſtat diſtractus in Choro, dec. 109. n. 22.
Divites peccant, dum creditores ſuos defatigant, dec. 49. nu. 14.
Non ſolventes ſuos livellos non ſunt à confeſſariis abſolvendi, dec. 82. nu. 8.
Doctorantes ignorantem peccant mortaliter. dec. 156. num. 13.
Doctrinam Chriſtianam ut fideles veniant ad diſcendam induſtriæ decem, & octo à Parochis adhibendæ, dec. 2. nu. 7.
Doctrinæ Chriſtianæ diſcendæ neceſſitas Claſſis quinta pro adultis in ea inſtruendis à Parochis deputanda, deciſ. 118. per totam.
Dominium fundi directum ſtat in livellante, utile in livellario, dec. 73. num. 5,
Pecuniæ datæ ad cambium ſtatim tranſit in Campſarium, dec. 77. num. 7.
Domino defuncto ſine hæredibus, cui reſtituenda ſit res ejus, dec. 86. nu. 6.
Domino non eſt reſtituenda res, cum qua eſt peccaturus, ibid. num. 7.
Donare aliquid Epiſcopo ordinanti an ſit Simonia, dec. 24. nu. 21.
Donare cenſetur qui rem non debitam tradit, dec. 47. num. 8.
Donationum, ac Contractuum differentia, dec. 81. num, 5.
Donans quod debet ex juſtitia an ſatisfaciat ſuæ obligationi, dec. 92. nu. 2. & 3.
Donante, ac donatario mortuis ante traditionem doni, quorum hæredibus ſit reſtituendum, dec. 94. num. 5.
Donatio facta abſenti an ante acceptationem valeat, dec. 94. nu. 7. & 9.

Donatio post mortem donatoris fit irrevocabilis. ibid. n. 10.
Dormire simul pueros cum puellis, expleto quinquennio, non permittendum, dec. 128. per totam.
Dotes Monialium Paduæ deponuntur in Capsa S. Montis in Sacculo obsignato, decis. 27. num. 33.
Dotis non solutæ interusuria an sint licita, dec. 38. num. 11.

E.

EBrietatis eliminandæ remedia, dec. 112. num. 1.
Ebriosus maritus quomodo ab Uxore emendatus, ibid. num.
Ecclesia orat pro extantibus in ea, non pro illis, qui stant in januis, dec. 36. n. 4.
Ecclesiarum nitor ut servetur remedia duodecim, decis. 11. num. 5.
Ecclesias ut Parochiani frequentent, quibus mediis utendum, dec. 28. n. 1.
Ecclesiarum irreverentiæ quàm grave piaculum, punitiones à Deo inflictæ. Remedia ad eas tollendas, dec. 151. per totam.
Ecclesiastici quando à laicis habeantur in veneratione, dec. 9. num. 7.
Quæ debeant facere, ut salventur, dec. 21. num. 5.
Quot motivis debeat suas functiones cum devotione agere, dec. 23. num. 5.
Ecclypses Solis malæ: sed quæ fiunt de mane sunt pessimæ, decis. 153. n. 47.
Edere scripturàs sibi contrarias quando quis teneatur, dec, 86. num. 17.
Eleemosyna facta ab Usurario an valeat, decis. 47. num. 7,
Eleemosyna magna retineri non potest à paupere ficto, dec. 81. num. 3.
Imo tenetur eam restituere, ibid. n. 6.
Et quid si sit pauper ob propriam pigritiam. ibid. num. 8,
Eleemosyna an sit de consilio, vel de præcepto, An debita ex justitia, vel ex charitate, Quot ejus fructus, An magis prosit facta in vita, quàm post mortem, non causat pauperiem. Est signum Prædestinationis, decis. 111. per totam.
Emphyteuta an possit dare fundum ad usuram Domino suo, dec. 57. num. 3.
Emphyteusis, quid sit. In quibus differat à livello. In quibus conveniat cum ipso, dec. 69. à num. 9. & seqq.
Emptionis, & venditionis quando censeatur esse contractus, decis. 42. num. 5.
Emptio, & venditio fundi expellit contractum mutui, dec. 72. num. 20.
Emptor fundi an fiat Dominus thesauri in eo reperti, dec. 88. num 10.
Eos est dictio relativa repetens præcedentes qualitates, decis. 27. num. 35.
Epicheja quid sit, dec. 83. num. 4.
Epicurei ultimum finem ponebant in delectatione gulæ, dec. 141. num. 14.
Epiphaniæ in officio cur non dicatur Invitatorium, dec. 139. num. 6.
Epulones edentes, & evomentes peccant mortaliter, dec. 141. num. 10.
Equus datus pro pignore cujus expensis sit alendus, dec. 45. num. 11.
Equus ferox an emi possit vili pretio ab eo, qui scit illum domare, dec. 49. num. 12.
Eucharistiæ devotio quibus modis excitetur in populo, dec. 24. num. 25.
Eudoxiæ Imperatricis tribulatio ob mendacium prolatum ab ea de esu pomi, dec. 144. num. 19.
Eutrapelia quid sit, quotuplex, quando sit Virtus, quando Vitium, dec. 102. per tot.
Examinatores Synodales an quidquam possint recipere pro examine, dec. 24. n. 19.
Excelsiores, qui sunt, hi versantur in majori periculo damnationis, dec. 98. num. 5.
Excommunicatio ex Synodo Patavina in stringentes arma in Ecclesia, dec. 51. num. 5.
Exemplum Usurarii à Deo puniti, decis. 29. nu. 12.
Filiorum tùm benè, tùm malè educatorum, dec. 43. num. 7. & 8.
SS. Patrum ab aliis hominibus instructorum, dec. 46. num. 4.
Exempla Sanctorum orantium pro inimicis. dec. 54. num. 5.
Profanatorum diei festi punitorum, dec. 60. num. 5.
De malè recitantibus in Choro, decis. 109. num. 23.
De zelantibus salutem animarum, decis. 121. num. 8.
Furis à serpente in pedibus colligati, decis. 122. num. 11.
Exempla pro fugienda conversatione malorum, dec. 139. num. 7.
Exempla famulantium Deo cum fervore, decis. 142. num. 8.
Adulterorum punitorum, decis. 146. numer. 24.
Religiosorum ob ambitionem expulsorum è Monasteriis, dec. 147. num. 9.
Exemplum triplicis homicidii ob amatoriam conversationem; crudelitatisque maternæ in duos filiolos, dec. 148. n. 3. & 6.
Blasphemantium à Deo punitorum, decis. 150. num. 21. & 24.
Lapsus in carnalitatem, dec. 152. n. 28.
Rigorosæ pœnitentiæ ob intuitam mulierem. ibid. num. 365.
Punitionis detractorum. decis. 155. à num. 23. & seqq. usque ad num. 26.
Exempla plurium falsis calumniis impetitorum, dec. 156. num. 7.
Calumniantium punitorum. ibid. num. 33.
Exheredatio filiorum ob quatuordecim causas ingratitudinis à jure statutas, decis. 64. num. 10.
Exorcismorum Ecclesiæ Virtus, decis. 80. num. 2.
Expensarum genera tria. Et quæ, decis. 45. num. 10.
Expensæ ex fructibus pignoris à creditore retinendæ, ibid. numer. 9. Et decis. 57. numer. 16.
Expensæ instrumenti venditionis ad quem spectent, dec. 70. num. 18.
Ab injusto litigante omnes solvendæ; etsi vicisset in prima instantia, dec. 94. num. 3. & 4.

Expensæ quæ possint retineri à malæ fidei possessore, Et quæ à bonæ fidei, decis. 103. num. 7. & 10.

F.

FAgnanus egregius J. C. Romanus fiscalis acerrimus contra opiniones laxas, dec. 144. num. 7.
Famæ restitutio quando non sit facienda à detractoribus, dec. 106. num. 3.
Quando autem sit facienda, decis. 155. numer. 16.
Et quomodo sit facienda, ibid. num. 17.
Famuli an possint inservire Dominis suis in rebus peccaminosis, dec. 2. num. 5.
Festis diebus quæ opera sint facienda, & quæ evitanda, dec. 60. per totam.
Feudum an possit cedi per Vassallum Domino cum Usura, dec. 57. num. 2.
Feudum quid sit, dec. 69. num. 2.
Fidei definitio, Quot ejus præcepta, Quæ peccata contra illam, Ejus actus quando eliciendi, dec. 3. per totam.
Fidejussor an possit recipere lucrum ex fidejussione, dec. 37. num. 2.
An recipi possit in mutuo, decis. 44. numer. 19.
Quando possit exigere usuras à mutuatario, dec. 57. num. 6.
Fiducia in Deum fructuosa, decis. 28. num. 4.
Filii Privilegium stare ad mensam patris, decis. 36. num. 8.
Filii tenentur honorare Genitores suos ex Jure Divino, Naturali, Ecclesiastico, ac Civili, dec. 64. per totam.
Filius familias an possit donare bona castrensia, vel quasi, dec. 82. num. 3.
Filia deflorata apud Hebræos cur lapidaretur ante paternam domum, decis. 153. numer. 48.
Filiorum vitia parentibus eorum imputantur, ibid. num. 49.
Fingere aliquid quando liceat, dec. 92. numer. 4.
Finis, ob quem creatus est homo, quinam sit, Cur homines ad hunc finem non reflectant, Prædicandus eis à Parochis dec. 133. per totam.
Fœminam concupiscere, dum auditur Missa an sit sacrilegium, dec. 9. num. 6.
Fœminæ secundùm Platonem sunt aliud genus hominum, dec. 75. num. 1.
Fœminarum conversatio fugienda, dec. 110. num. 6.
Fœtus humanus quando censeatur animatus, dec. 145. num. 2.
Fortitudo quid sit, Quot ejus species, Quæ vitia ei opposita, dec. 93. per totam.
Forum fori, & forum poli quomodo differant inter se, dec. 26. num. 13.
Forum fori non admittit pœnas conventionales in mutuo, Illas concedit forum poli, sed cum quatuor conditionibus, & quæ sint, dec. 38. num. 5. & 6.
Francisci Pavoni Soc. Jesu monitio ad Parochos, decis. 116. num. 6.
Fraudes licitæ an dentur in ludo, decis. 34. numer. 6.
Fructuum pertinentia pendet ab eorum collectione, non à tempore conventæ solutionis, dec. 24. num. 24.
Fructus rei usurariæ spectant ad mutuatarium, dec. 47. num. 12.
Fructuum quintuplex divisio, & quæ, Horum restitutio ex rebus per Usuram acquisitis quomodo, quando, & quibus sit facienda, decis. 48. per totam.
Fructus pignoris sunt in sortem computandi. decis. 58. num. 4.
Fructus rei quomodo sint restituendi tàm à possessore bonæ, quàm malæ fidei, decis. 103.
Frumenti pretio aucto eadem quantitas est restituenda, quæ mutuò fuit recepta; decis. 27. num. 11.
Fundus fructiferus an sit necessarius in censu vitalitio, decis. 59. num. 5.
Fundi censiti in venditione dominus census est præferendus, dec. 71. num. 22.
Fur apud Hebræos de nocte occidi poterat, non autem de die, Et cur, Idem pro uno bove sublato restituebat boves quinque; pro ove una oves quatuor, Et cur, decis. 92. num. 5. & 6.
Furem qui magis securum facit in furando tenetur ad restitutionem, decis. 97. numer. 2.
Fures domestici quomodo retrahendi, & corrigendi, Propositio damnata circa eosdem. Tenentur & ipsi ad restitutionem. Punitiones eorundem, decis. 122. per totam.
Furta parva non excusant à restitutione, Ibidem num. 4.
Furtum factum in Ecclesia cum ejus fractura an differat, si sine fractura, decis. 10. num. 2.
Furtum de crumena divitis in Ecclesia an sit sacrilegium, ibid. num. 3.
Furtivas res ementes quando de Jure Veneto perdant pretium, dec 122. num. 7.
Furum pœnæ corporales, ibid. num. 6.

G.

GEmma an possit emi vili pretio, si eam velit vendere Rusticus sciens illam, decis. 88. num. 12.
Genitores tenentur benè educare filios de jure Divino naturali, decis. 43. num 2. & 9.
Genitorum 24. peccata ob malam educationem filiorum, dec. 153. per totam.
Glorioſum est parcere inimicis, dec. 54. numer. 9.
Grassatores viarum non gaudentes immunitate loci Sacri quinam sint, dec. 14. num. 9.
Gratia non destruitur morte concedentis, dec. 94. num. 6.
Gratianus compilator Decreti an fuerit illegitimè genitus, dec. 91. num. 8.
Gratitudinis titulo an licitum sit pactum de lucro in mutuo, dec. 40. num. 2.
De eo propositio damnata, Ibid. num. 3.
Gregorius Cardinalis Barbadicus Episcopus Patavinus laudatus, dec. 89. num. 8.
Gula quid sit, Quotuplex, Peccatum gulæ quot modis committatur, An dentur in eo species diversæ, Quæ circumstantiæ in confessione aperienda, Gulæ effectus quinque; Tribus remediis curanda, dec. 141. per totam.

Habi-

H.

HAbitus malus ad peccandum quid sit, Quomodo augeatur, Quæ ejus damna, Quibus remediis tollatur, decis. 134. per totam.

Halma hebraicè vocatur Virgo, ideſt abſcondita, dec. 149. num. 12.

Herbæ habent virtutem ad ſanandos morbos, dec. 80. num. 3.

Herculis myſtica fabula, dec. 28. num. 5.

Hæreſis ſi ſit interna, an ab ea omnis Confeſſarius poſſit abſolvere, deciſ. 3. num. 8.

Heroica Virtus quænam dicatur, Quotuplex ſit, quæ, & quot requiſita ad Heroicitatem. Quibus ſignis cognoſcatur; quos pariat effectus, An faciat hominem impeccabilem, deciſ. 108.

Hiſtoria lepida de duobus cæcis multam pecuniam habentibus tempore S. Antonini, dec. 81. num. 7.

Hiſtriones qui ſint, & undè dicti, Eorum ſpecies diverſæ. dec. 143. num. 1. & 2.

Homicidæ, ac percuſſores quid, & quantum debeant reſtituere, Et quando eorum hæredes teneantur ad reſtitutionem, dec 84. num. 1. & 2.

Homicidium quando ſit, vel non ſit proditorium, Quot modis committatur, deciſ. 14. num. 1. 2. & 3.

Homines ex Dei ordinatione inſtruendi ſunt ab aliis hominibus, deciſ. 46. num. 3.

Homines aliqui cibantes ſe ſtercore, calce, & vitris, dec. 108. num. 4.

Horæ Canonicæ à quibus ſint recitandæ de Præcepto, dec. 6. num. 2. & 3.

Hoſpitale Domus Dei Paduæ quo anno ſit inſtitutum, dec. 99. num. 5.

Hoſpitali, ad quod deferuntur filii illegitimi, an reſtitutio facienda ab eorum Genitoribus, ibid. num. 3. & 4.

Humilitas quid ſit, Unde dicta, Quotuplex, Quot ejus gradus, An à potentibus poſſit exerceri, dec. 98. per totam.

I.

IDololatria, quid, & quotuplex ſit; dec. 7. num. 2.

Jejunium Quadrageſimale à quibus inſtitutum olim omni quarta, & ſexta feria ſervatum. Quanto rigore. Ejus bona, & utilitates; deciſ. 130. per totam.

S. Ignatii Loyolæ Sapiens dictum, ne temerè judicemus de aliquo, dec. 154. num. 23.

Ignorantes myſteria Fidei non ſunt à Confeſſariis abſolvendi, deciſ. 2. num. 6.

Ignorantia quid, & quotuplex ſit? quando excuſet à culpa, & quando non? ibid. num. 2. & 4.

Ignorantia Confeſſarii reddit abſolutionem invalidam, deciſ. 125. num. 5.

Ignotus ſi ſit dominus, cui reſtituenda ſint bona injuſtè accepta, deciſ. 86. num. 2.

Immunitas loci Sacri quid ſit; Quo jure introducta, ad quæ, & quot loca ſe extendat, quæ delicta eam excludant, quæ pœnæ contra eam violantes, dec. 13. per totam.

Immunitate loci Sacri an gaudeant occidentes inimicum *Apoſtatamente*, item mandantes, & cooperantes ad Aſſaſſinium, dec. 14. num. 10. & 11.

Item an committentes abortum. dec. 145. numer. 17.

Imperatoriæ leges prohibent delationem armorum in Eccleſiis, dec. 51. num. 6.

Incenſandi Altare modus, & ritus tàm in Miſſa; quàm in Veſperis; dec. 113. per totam.

Incertus ſi ſit dominus rei, cui danda, differentia inter incertum dominum, & ignotum deciſ. 86. num. 1. & 4.

Indorum uſus reponendi pecunias in Sepulchro ſuorum majorum, dec. 88. n. 3.

Inedia quando ſit peccatum, deciſ. 100. num. 8.

Infirmitates Spirituales ſunt à Confeſſariis curandæ, deciſ. 46. num. 9.

Inimicitiæ extinguendæ ob decem rationes, deciſ. 54. num. 1.

Difficultates circa earum extinctionem reſolutæ, ibid. num. 6.

Injuſtitia ſi ceſſet in mutuo, ceſſat Uſura, dec. 45. num. 3.

Injuſtitia æquivalet nullitati. deciſ. 86. num. 14.

Innocentii Papæ XI. Magnificentia, deciſ. 89. num. 6.

Ejusdem prohibitio, ne mulieres incedant nudatis brachiis, ac pectore ſub pœna Excommunicationis, deciſ. 120. num. 7.

Intentio, & ſpes mutuantis lucrandi aliquid ex mutuo an ſit Uſura, dec. 57. num. 13.

Intereſſe eſt ſolvendum à debitore moroſo; dec. 34. num. 7.

In tali caſu non eſt Uſura, deciſ. 67. num. 5. & 8.

Interpellatio judicialis eſt neceſſaria pro conſequendo intereſſe in cambiis, deciſ. 76. num. 28.

Interpretatio in dubiis fit contra creditorem, deciſ. 27. num. 7.

Introitus in Eccleſiam laudatur in Pſalmis, deciſ. 36. num. 7.

Jobi vita legebatur ab Hebræis per deſertum, deciſ. 95. num. 6.

Joannes Picus veneno necatus ab his, qui ſolvebant ei cenſum vitalitium, deciſ. 59. numer. 2.

Joannes Parentius Advocatus Piſtojenſis quomodo converſus ad Religionem, deciſ. 99. num. 7.

Joannes Tuba Servita reprehenſus à Capuccino circa litteras civicas uſurarias, dec. 76. num. 20.

Ira quid ſit, quotuplex, quæ ejus filiæ, quot ſpecies iratorum hominum, quæ mala naſcantur ex ira, quibus remediis ira curetur, deciſ. 140. per totam.

Irreverentiæ quæ fiunt in Eccleſiis, & remedia contra illas, dec. 3. num. 9.

Quàm grave peccatum ſint, quàm rigorosè à Deo puniantur, dec. 151. per totam.

Judæi an licitè exerceant Uſuras nunc, & tempore legis Veteris, dec. 66. per tot.

Judæi aſſerebant cogitationes turpes etſi voluntarias non eſſe peccata, deciſ. 152. numer. 12.

Judex debet interpretari testamentum non secundùm sonum verborum, sed secundùm mentem Testatoris, dec. 74. num. 5.
Judices quando obligati sint ad restitutionem, dec. 106 à num. 4. & seqq.
Eorum novem qualitates, ut boni sint, ex revelationibus S. Birgittæ, ibid. num. 8.
Judices interrogantes Reum debent eum certum facere de probationibus, aut indiciis, quæ sunt contra illum in processu, dec. 144. num. 16.
Judicium temerarium quid sit, quanta ejus gravitas, & malitia, Punitiones, quibus remediis sit ei obviandum, dec. 154. per totam.
Julius Maurocenus Judæus ad fidem conversus laudatus, dec. 66. num. 5.
Jurare an liceat per Deos falsos, an per Diabolum, an per comparationem ad Christum, aut ad Evangelium, decis. 20. per tot.
Juramentum à pejeraturo an liceat exigere, dec. 56. num. 4.
Juramentum cum tribus conditionibus emittendum, Absque veritate est semper peccatum mortale etiam in re levi, Punitiones contra pejerantes, Alia de Juramento falso, dec. 68. per totam.
Jurisperiti sæpè à Theologis dissentiunt, dec. 27. num. 1.
Justitia quid, & Quotuplex sit, Quale ejus objectum, ac subjectum, Qui ejus effectus, Quæ vitia ipsi opposita, decis. 85. per totam.
Justi Lipsii patientia in infirmitate, decis. 95. num. 9.

L.

LAbor occasione mutui meretur aliquod lucrum, decis. 37. num. 4.
Labor mentis an sit pretio æstimabilis, ibid. nu. 18.
A Parochis non timendus, decis. 116. num. 5.
Lacedemones puniebant Genitores pro delictis filiorum, dec. 153. num. 39.
Latrones publici, non gaudentes Immunitate loci Sacri, qui, & quales sint, dec. 14. n. 8.
Lectio quotidiana alicujus libri Spiritualis necessaria, & utilis, dec. 125. per totam.
Legata pia ex quibus motivis sint promptè solvenda, dec. 20. num. 6.
Legato pecuniaria non soluto, an ex eo exigenda prodia, vel lucrum, decis. 67. per totam.
Legatum relinqui potest pro celebratione Missarum, decis. 74. num. 1.
Leges prohibentes ludum alearum an sint in usu, An permittant actionem lusori vincenti, decis. 34. num. 4. & 9.
Lex commissoria quid sit, Ejus pactum quot, & quibus in casibus, & cum quibus conditionibus sit licitum, dec. 44 per totam.
Lex Veneta de anno 1647. circa Pensiones Livellarias, dec. 71. num. 16.
Lex non favet verbis, sed menti testatorum, decis. 74. num. 7.
Lex Pontificia an abrogetur ex non usu, dec. 76. num. 22.
Levitas materiæ quando excuset Usuram à peccato, dec. 55. per totam.
Liberalitas quid, & quotuplex sit, Quodnam ejus objectum, & subjectum, Quæ conditiones in ea servandæ, Quæ vitia sint ei opposita, decis. 89. per totam.
Libri magis necessarii Ecclesiasticis personis pro earum devotione excitanda, decis. 19. num. 5.
Licentiam concedere Monialibus, ut aliquas eleemosynas faciant, satis expedit, decis. 75. num. 12.
Linguam custodire sapientis est, decis. 119. num. 6.
Circa eam omnis custodia adhibenda, dec. 126. num. 7.
Lites etsi civiles quot mala pariant, decis. 54. à num. 11. & seqq.
Lites injustas qui suo voto approbat, quando teneatur ad restitutionem, dec. 97. n. 4.
Litteræ cambii ad nundinas sunt realiter transmittendæ, ac exequendæ, dec. 76. nu. 23.
Livellus francabilis super domo cum pecunia an sit licitus, dec. 58. num. 7.
Livellus quid sit, In quo differat à Feudo, à Censu, & ab Emphyteusi, decis. 69. per totam.
Livellus in quot species dividatur, *An sit* alius livellus pecuniarius, alius fundiarius, decis. 70. per totam.
Livellus an sit contractus licitus, præcipuè cum quinque pactis, de quibus in decis. 71.
Livellus perpetuus, ut sit licitus, quæ pacta admittenda, & quæ non, decis. 72. à num. 10. & seqq.
Livellus alius activus, alius passivus. Prædialis livellus utilior, quàm simplex locatio, Super bonis Ecclesiarum constitui non potest sine licentia Ser. Dom. Venet. decis. 74. n. 10. 11. & 15.
Livellario non solvente pensiones quid agendum, dec. 72. num. 7.
Loca propinqua, vel distantia, nundinarum minuunt, & augent lucrum in cambiis, dec. 76. num. 27.
Locare animalia sub certa pensione, cum pacto ut ipsa sint semper salva, est Usura, decis. 30. num. 13.
Locatio rei periculosæ admittit pretium aliquod supra solitum, decis. 37. num. 3. & 17.
Locatio quid sit, decis. 69. num. 7.
Locatori licet augere pensionem rei locatæ, dec. 37. num. 17.
Lopezii Mendozæ punitio ob temerarium judicium contra S. Ignatium, decis. 154. num. 18.
Lotto contractus, seu ludus ut sit licitus, quæ & quot conditiones, ac cautelæ sint observandæ, decis. 63. per totam.
Lucifer cecidit è Cœlo ob invidiam humanæ naturæ, decis. 156. num. 30.
Lucrum ex re fructifera vendita, nondum soluto pretio, Venditor capere potest, decis. 30. num. 6.
Lucrum cessans, ac damnum emergens quomodo intelligenda. ut excludant Usuram in mutuo, decis. 33. per totam.
Lucrum ex ludo alearum in conscientia peti potest, decis. 34. num. 3.
Lucrum ex negotiatione cum pecunia Usuraria an fiat negotiantis, decis. 47. numer. 10.
Lucrum in cambiis ad nundinas non est determinandum ab initio, dec. 76. num. 25.

Ludi fortunæ hi sunt, in quibus non est probabilitas lucrandi, dec. 34. num. 21.
S. Ludovici Regis Franciæ heroica patientia. decis. 95. num. 8.
Lumen præcedere oportet in via, decis. 111. num. 15.
Lusitani Regis egregium factum pro famulo infirmo consolando, dec. 95. num. 10.
Lusores alearum quibus motivis ab illo vitio retrahendi, decis. 14. num. 14.
Sunt de Jure punibiles. Peccant mortaliter, dec. 34. num. 17. & seqq.
An in conscientia teneantur solvere quod perdiderunt in ludo, ibid. num. 20.
Qui locant eis Domus ad ludendum, an teneantur ad restitutionem, decis. 104. num. 4.

M.

MAgia quid, & quotuplex sit, decis. 7. num. 3.
Magnificentia quid sit, & quale ejus objectum. dec. 89. num. 3. & 4.
Majestatis læsæ crimen non gaudens immunitate loci Sacri quale sit, dec. 14. n. 6.
Mala fides Testatoris officit hæredi, decis. 86. num. 11.
Malæ fidei possessor quis dicatur. De ea præsumitur modis sexdecim, decis. 90. numer. 6. & 7.
Maleficium quid, & quotuplex sit, ejus circumstantiæ in confessione exprimendæ. Pœnæ, & censuræ in maleficos. Remedia præservativa contra maleficia, dec. 8. per tot.
Malignitas est interpretari contractum licitum quasi Usurarium, dec. 70. num. 13.
Mandans fieri damnum quando excusetur à restitutione, dec. 96. num. 2.
Mandatum de re donanda expirat morte mandantis, dec. 94. num. 12.
Mandatum revocans ante datum damnum, si detur, an teneatur ad restitutionem, dec. 99. num. 1.
Manifestum quotuplex sit, & quando Usurarius censeatur manifestus, decis. 61. per totam.
Mansuetudo Parochi attrahit populum, dec. 28. num. 3.
Mansuetudo quid, & quotuplex sit, quæ ejus officia, quæ ejus requisita, quæ vitia ei opponantur, decis. 105. per totam.
Manus non lavare ante celebrationem Missæ an sit peccatum, dec. 115. num. 14.
Marcus Marchianus Episcopus Feltrensis olim Vicarius Patavinus laudatus, decis 144. num. 17.
Maris navigatio semper periculosa, dec. 78. num. 12.
Maris in littore reperta bona cui danda, dec. 88. num. 14.
Maritus licitè exigit usuras, donec sibi dos solvatur, dec. 57. num. 4.
Maritus an licitè occidat amasium, & uxorem adulteram, dec. 146. num. 19.
Maritus non debet frangere fidem Uxori, neque eam malè tractare, ib. n. 20. & 22.
Matrimonium habentis simplex votum castitatis valet, dec. 47. num. 4.
Matutini, ac laudum recitatio celebrationem Missæ præcedere debet, dec. 115. n. 12.
Medici sibi ipsis mederi non solent, decis. 46. num. 8.
Medicinas recusare in infirmitate an sit peccatum, dec. 4. num. 8.
Medium duplex, aliud Rei, aliud Rationis, decis. 80. num. 6.
Melioramenta fundi post livellum facta spectant ad livellarium, dec. 73. num. 13.
Melioramenta bonificantur bonæ fidei possessori, non autem possessori malæ fidei. Eorundem tria sunt genera, & quæ, dec. 104. num. 1. 2. & 3.
Mendacium quid sit, & quotuplex, quale peccatum, an aliquando sit licitum, Saltem cum restrictione mentali, vel amphybologia, Mala ex mendacio, Industriæ Parochorum ad illud eliminandum, decis. 144. per totam.
Mensuræ bladarum tot restituendæ, quot mutuatæ, dec. 26. num. 3.
Sed quid si augeatur mensura Stariorum, seu quartariorum, decis. 27. num. 6.
Mensura, & excorporatio fundi dati in livellum non est necessaria, decis. 70. num. 14.
Meretrices an teneantur restituere lucrum habitum ex meretricio, & quomodo absolvendæ in Confessione, decis. 82. à num. 1. & seqq.
De eodem quæsito, decis. 101. à num. 2. & seq.
Meretricibus olim vestes aureæ permissæ, & non aliis mulieribus, dec. 120. num. 10.
Meritum ibi majus, ubi major labor, decis. 127. num. 9.
Metus quid, & quotuplex sit, & quando excusetur à peccato, dec. 2. num. 1. & 3.
Minima non curantur, decis. 71. num. 21.
Misericordes homines ab omnibus laudantur, dec. 111. num. 18.
Missa non est audienda super januis Ecclesiæ, dec. 36. num. 1.
Missam audire non tenentur habentes inimicitias Capitales, decis. 51. num. 10.
Missarum onera ubi sunt relicta, requiritur Decretum Episcopi, dec. 74. num. 16.
Missa non est legenda frettolosè, sed devotè sub mortali culpa, decis. 115. num. 13.
Missa pro Defunctis cur celebretur die tertio, septimo, trigesimo, & Anniversario. Item quæ Missa recitanda pro defuncto Sacerdote, dec. 117. per totam.
Mohatra, vulgò *Stocco* qualiter fiat, quot modis, & omnes sunt damnati, dec. 62.
Monasterium exigit Livellos non solutos Monialibus defunctis, sed difficiliter, decis. 75. num. 13.
Monetæ valor crescit, & decrescit Domino, ejus usus quando incæpit, augmentum, seu decrementum quando spectet ad mutuantem, vel mutuatarium, decis. 27. per totam.
Moniales, an eleemosynas facere, & suorum livellorum aliquam portionem possint consanguineis relaxare, decis. 75. per totam.
Monialis Capucina agonizans visione Diaboli deterrita, decis. 129. num. 3.
Mons Pietatis quid, & quotuplex sit, quantum possit exigere super pignoribus, quibus legibus dirigendus, qui abusus in ejus Ministris decis. 41. pet totam.

Mora in restituenda pecunia mutuo accepta cui profit, aut ob fit, dec. 27. num. 26.
Mora debitoris in solvendo an det titulum lucri cessantis, dec. 34. num. 22.
Mora debitoris in solvendo quid sit, quotuplex, quinam ejus effectus, dec. 52. per totam.
Morosus in exequendo tenetur ad damna, dec. 94. num. 8.
Mortificatio cur nominetur Crux, decis. 46. num. 10.
Motus sensitivi appetitus quot sint, Alii primò, primi, alii secundò primi, & quando sint peccaminosi, decis. 152. à num. 2. & seqq.
Mulieres ex natura ad vanitatem Vestium propensæ, quando peccent ob vanos, ac lascivos ornatus corporis, decis. 120. per totam.
Mulieres non permittendæ in conversationibus virorum, choreis, aut conviviis, dec. 149. per totam.
Multiloquium destruit devotionem; decis. 119. num. 4.
Mundus vilipendit non se vindicantes. Resolutio hujus dicterii, dec. 54. num. 8.
Munera quando largiri possint à Regularibus, dec. 75. num. 10.
Mutuans quando possit accipere aliquid ultra sortem, dec. 34. num. 5.
An quando mutant cum periculo, decis. 37. per totam.
Mutuans cum pacto ut sibi remutuetur, an peccet dec. 40. num. 4. & seqq.
An cum pacto ut sibi reddatur farina, vel ut agri conducantur, decis. 42. numer. 117. & 12.
Mutuum quid sit, dec. 26. num. 2.
Destruitur, si lucrum intercedat, decis. 37. num. 8.
Converti potest in alium contractum, decis. 45. numer. 4.
Mutuum quando præsumatur fuisse, dec. 50. num. 2.
Illud petens sub usuris an peccet: decis. 56. num. 6.
Mutuatæ pecuniæ si valor augeatur, ad quem spectet augmentum, dec. 27. per totam.
Mutuare, ut sibi aliud debitum solvatur, an sit Usura, dec. 38. num. 14.
Mutuator non debet esse deterioris conditionis, quàm mutuatarius, nec vice versa, dec. 27. num. 17.
Mutuatarius Morosus in restitutione mutui peccat contra justitiam, dec. 38. num. 3.
Præferendus aliis creditoribus in re tradita per eum Usurario, dec. 47. num. 13.
Non præsumitur consentire in Usuras, ib. numer. 17.
An possit petere mutuum cum Usuris absque peccato, dec. 56. per totam.

N.

Narsetes inventor pecuniæ reconditæ in cisterna veteri, dec. 88. num. 5.
Nasus, & Virilia abscindebantur adulteris, dec. 146. num. 17.
Natura operatur contra seipsam, ut Deo obediat, Exemplade hoc, dec. 54. num. 7.
Nauticum fœnus permissum de Jure Civili, dec. 78. num. 6.
Nazaelis crudelitas in necandis prægnantibus, dec. 145. num. 11.
Necessitas est triplex, Et quæ, decis. 111. numer. 5.
Nemo potest esse creditor, & fidejussor ejusdem rei, dec. 37. num. 16.
Neque debet sibi ipsi fidere in rebus spiritualibus, dec. 46. num. 5.
Neque potest sibi ipsi jus dicere, decis. 79. numer. 9.
B. Nicolai Cardinalis Albergati industriæ contra lusores alearum, dec. 104. num. 5.
Nobiles non sunt publicè redarguendi per Parochos, sed suaviter, & secretè, decis. 36. num. 11.
Notarius peccat mortaliter scribendo contractus Usurarios, dec. 65. num. 13.
Ejus requisita octo, ut sit bonus, Et quando sit indignus absolutione, dec. 156. n. 24 & 25.
Nuditas pectoris in mulieribus quando sit peccatum, dec. 120. num. 5.

O.

Obligatio eo modo dissolvitur, quo fuit contracta, dec. 26. num. 4.
Pretio æstimabilis non est imponenda mutuatario. Ibidem, num. 9. Aliàs committitur Usura, dec. 40. num. 7.
Antidoralis, & remutuandi an sit licita, ibid. numer. 14. & 15.
Obligatio benè educandi filios major est in parentibus eorum, quàm in Parochis, decis. 43. num. 5.
Obligatio quæcumque civilis in mutuo causat usuram, dec. 45. num. 2.
Oculi eruti è capite adulterantium, Et cur, dec. 153. num. 60.
Occultus Usurarius quis dicatur, dec. 61. num. 3.
Officium divinum quid sit, Monita duodecim pro eo devotè recitando, decis. 6. num. 1. & 7.
Officiis Divinis quomodo attrahantur populi, dec. 10. num. 5.
Opera tria vitanda in diebus festis, decis. 60. num. 2.
Opinio Jurisperitorum quando sit præferenda opinioni Theologorum, decis. 38. num. 10.
Oratio ad Deum quid, & quotuplex sit, & an peccet, qui nullam in die facit, decis. 5. num. 4. & 6.
Orationis ad frequentiam quibus argumentis populi sint excitandi, ibid. num. 7.
Orationis fructus triplex, decis. 109. num. 21.
Oratio mentalis quot de causis facienda ab Ecclesiasticis quotidiè, dec. 17. num. 9.
Otiosa verba punienda in die Judicii, dec. 119. num. 5.
Oves Hebræorum cur non pasculabant in Monte Horeb, dec. 151. num. 32.

P.

Pactum de retrovendendo rei venditori eodem pretio an sit licitum, dec. 26. num. 5.

De restituenda Moneta in eadem specie, & numero cui prosit, dec. 27. num. 29.
Pacta sunt servanda, dec. 38. num. 2.
De mutuando cum obligatione remutuandi. An licita, dec. 40. num. 13. & 16.
Pactum legis Commissoriæ quid, & quotuplex sit, Quando, & in quibus contractibus sit licitum, dec. 44. per totam.
Pacta inæqualia illicita, dec. 58. num. 3.
Pacta prælationis in Livello in venditione utilis dominii an sint licita, dec. 71. num. 20.
Pactum adstringendi livellarium ad se affrancandum an licitum sit, dec. 72. à numer. 8. & seqq.
Pactum de certo lucro in Cambiis, & si factum à principio an valeat, dec. 77. à num. 11.
Palpo quis sit, & quando teneatur ad restitutionem, dec. 101. num. 1.
Par debet esse ratio lucri, & damni, dec. 27. num. 15.
Par in parem non habet imperium, dec. 154. num. 9.
Paramenta Sacra suscipere sine præscriptis ad ea orationibus, an sit peccatum, dec. 115. num. 15.
Parochialem Ecclesiam ut populus frequentet, quibus mediis excitandus, dec. 124. per tot.
Parochus de Simonia conventionali Patavii punitus, dec. 24. num. 12.
Parochus inhabitare debet domum Parochialem ob rationes octo, dec. 32. per totam.
Et celebrare in sua Ecclesia diebus festis ob undecim motiva, dec. 39. per totam.
Dicitur missus ad docendum, dec. 118. num. 6.
Non debet timere incommoda, sed incessanter laborare pro salute animarum, dec. 121.
Parochi per seipsos, & non per capellanos debent curam exercere, dec. 127. per totam.
Parochi Patavini occisi à suo Capellano casus tragicus, sed tremendus, dec. 153. uum. 34.
Parricidium continetur in abortu, dec. 145. n. 9.
Participantes de re injustè ablata tenentur ad restitutionem, dec. 96. num. 12.
Pasculum vulgò *Posta da pecore, quo tempore* sit in usu, dec. 69. num. 4.
Pater spiritualis cuilibet necessarius, dec. 46. num. 11.
Patientia quid, & quotuplex sit, Quodnam ejus objectum, Media ad eam acquirendam; vitia ei contraria. Exempla de eadem, dec. 95.
Patronus beneficii nihil accipere potest pro præsentatione ad illud, dec. 23. num. 3.
Patrum familias obligatio pro animabus sibi subditarum, dec. 43. per totam.
Pro iisdem sunt rationem Deo reddituri, decis. 122. num. 10.
Pauli Segneri Soc. Jesu liber *Il Parocho instruito* laudatus, dec. 116. num. 7.
Ejusdem Sermones duo contra amatorias conversationes, dec. 148. num. 8.
Paupertas quomodo metienda in personis nobilibus, dec. 75. num. 7.
Paupertate laborantes quando sint subveniendi de præcepto, dec. 111. num. 7. & 8.
Peccatum, quid, & quotuplex sit, Quando de mortali fiat Veniale, & è contra, dec. 1. per totam.
Peccata dimittuntur ignoscentibus inimicis suis, dec. 54. num. 4.
Peccato non cooperatur faciens actionem indifferentem, dec. 56. num. 16.
Peccatori occulto an sint Sacramenta ministranda, ib. num. 2.
Pecora æstimata an Salvis capitibus possint dari in societatem absque Usura, dec. 53. num. 4.
Peculiorum genera quatuor. Et quæ, dec. 122. num. 9.
Pecuniæ valor si crescat, aut decrescat, ad quem spectet utile, vel damnum, dec. 27. per tot.
Pecuniam dare pro re fructifera titulo venditionis, sed cum pacto recuperationis, an liceat, dec. 58. num. 6.
Pecuniam pecunia non parit, decis. 67. num. 3.
Pecunia est realiter numeranda in actu creationis census, dec. 72. num. 2. & 3.
Pecuniæ usus duplex, Et qualis, dec. 76. num. 3.
Pecunia quo anno cœpit esse expendibilis, ibid. num. 6.
Pecunia reperta in pariete domus an spectet ad emptorem domus, dec. 88. num. 2.
Et reperta in via, cui danda, ibid. num. 15.
Pensionis extinctio cum antecipatis solutionibus an licita, dec. 23. num. 4.
Ejus solutio quoad valorem monetæ quomodo facienda, dec. 37. num. 8.
Pensio modica datur in emphyteusi æqualis fructibus in livello, dec. 69. num. 15.
Pensio livellaria quanta pacisci possit pro quolibet centenario, dec. 71. per totam.
Pensionarius sentit commodum, vel incommodum valoris Ducati aurei de Camera. decis. 27. numer. 20.
Percussores clericorum à quibus absolvendi, decis. 9.
Periculum rei venditæ spectat ad emptorem, at rei locatæ ad locantem, decis. 30. num. 4. & 11.
Periculi prætextu an liceat recipere lucrum ex mutuo, dec. 37. per totam.
Periculum rei quocunque in contractu potest ex pacto pertinere ad accipientem illam, decis. 49. num. 5.
Periculum animalium in socidam datorum, ad quem spectare possit, dec. 50. per totam.
Permutare rem fructiferam cum pecunia, an liceat absque Usura, decis. 58. num. 5.
Permutatio tripliciter fieri solet, & quomodo, decis. 76. num. 2.
Pharmacopola an licitè emat vili pretio bestias magnæ virtutis à rustico, dec. 88. num 11.
Pharmacum nullum legale contra defectum consensus, dec. 47. num. 16.
Philautia quid sit, Undè oriatur, Quæ damna pariat, Quæ sint remedia, dec. 135. per tot.
Philippi mancini lusoris alearum pia conversio, dec. 34. num 25.
Picturæ inhonestæ nec videndæ, nec habendæ, dec. 152. num. 30.
Pignus datum ob mutuum an cadat in commissum, Et cujus sint fructus ex eodem pignore deducti, dec. 44. à num. 10. & seqq.
Nec non dec. 45. à num. 6. & seqq.
S. Pii V. Bulla de Censibus non est extendenda ad Livellos, dec. 73. num. 7.
Piscator reperiens annulos aureos in littore maris quid aget, dec. 88. num. 16.
Planeta bonum si conjugatur cum maligno fit malum, dec. 139. num. 8.

Pœnæ contra Uſurarios an incurrantur ipſo Jure, dec. 29. num. 11.
Pœna pecuniaria adjecta mutuo an absque uſura exigi poſſit, dec. 38. per totam.
Saltem ſi mutuatarius ſit in mora, dec. 53. per totam.
Nec non dec. 57. num. 7.
Pœnitentes publici audiunt Miſſam ad januam Eccleſiæ, dec. 36. n. 3.
Pœnitentes reſtitutionem procraſtinantes non ſunt abſolvendi, dec. 79. num. 5.
Polluta an ſit Eccleſia, ſi in ea percutiatur homo ſine ſanguinis effuſione, dec. 10. num. 4.
Polluta fit per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis humani, & quando, dec. 11. per totam.
Pollutionis prædictæ effectus, deciſ. 12. per totam.
Quando extendatur ad cœmeterium. ibid. nu. 6.
Pondere, vel menſura qui emptores defraudat, quomodo reſtituat, dec. 86. num. 5.
Populi abſtinent à Sacramentis, quia à Parochis non invitantur, dec. 116. num. 3.
Poſſeſſores malæ fidei ſemper ſunt in mora, dec. 52. num. 6.
Poſſeſſores in caſu dubio poſſunt rem retinere vigore poſſeſſionis cum bona fide, deciſ. 86. num. 25.
Poſſibile poſito non ſequitur neceſſarium, dec. 34. num. 12.
Praxis Notariorum Paduæ inſtrumentandi livellos ſuper minori numero camporum de corpore terræ majoris numeri, deciſ. 73. nu. 2.
Prædeſtinationis ſignum ingredi Eccleſiam, reprobationis ſtare ad januam, dec. 36. nu. 10.
Item dare Eleemoſynam, dec. 111. nu. 20.
Prædicatio Parochorum neceſſaria, & utilis ad tollendas blasphemias, & alia plebis peccata, dec. 114. per totam.
Prædicationis fructuoſæ quæ ſit vera methodus, dec. 132. per totam.
Prædicare ſpectat ad Parochos, & ad Epiſcopos, dec. 133. num. 7. & 8.
Prælationis pactum in livello circa venditionem utilis dominii ad favorem livellantis an licitum, deciſ. 71. num. 20.
Præſcriptio legitima liberat ab onere reſtitutionis, deciſ. 86. num. 9.
Quibus in caſibus non juvet poſſeſſorem, ibid. num. 12.
Præſcriptio, & Uſucapio non intrat, ubi bona prohibita ſunt alienari, ibid. num. 23.
Præſumptio mutui ceſſat ex evidenti natura alterius contractus, dec. 50. num. 7.
Pretium rei taxandum juxta tempus contractus, dec. 26. num. 7.
Pretium rei ubi eſt firmatum, ibi mutuum eſſe non poteſt, ibid. num. 15.
Pretium conſideratur tantùm in emptione, & venditione, dec. 27. num. 12.
Solvi poteſt non ſolùm in pecunia, ſed etiam in re æſtimata, dec. 30. num. 5.
Pretium ubi non eſt definitum, ibi non eſt emptio, dec. 42. n. 8.
Pretium juſtum qualiter taxandum in cenſibus vitalitiis, dec. 59. num. 7. & 8.
Pretium cum ſit triplex Maximum, Medium & Minimum, quale ſit reſtituendum pro re ablata, dec. 84. à num. 6. & ſeqq.
Pretium loco rei extantis quando reſtituere ſufficiat, ib. num. 11.
Privatio libertatis in re propria eſt pretio æſtimabilis, dec. 35. n. 4.
Privilegiatus non utitur privilegio contra pariter privilegiatum, deciſ. 52. num. 5.
Procuratores ad lites quando peccent, dec. 156. num. 22.
Prodia livelli decurſa, & non ſoluta, an poſſint converti in Capitale, dec. 72. à num. 1.
Propoſitio eſt damnata, quod coadjuvans in dando damno non ſit obligatus ad reſtitutionem, dec. 97. num. 3.
Prudentia quid, & quotuplex ſit, Quæ ejus munia, Quæ partes integrantes, Quale ejus objectum, ac ſubjectum, Quæ vitia ſint ei oppoſita, dec. 83. per totam.

Q.

Quantitas pecuniæ quæ licitè poſſit exigi ob pignora à Monte Pietatis, dec. 41. nu. 7. & ſeqq.
Quarteſia quibus, & quo jure debeantur, deciſ. 69. num. 6.
Quinque pro centenario exigit annuatim Mons Pietatis Paduæ, deciſ. 41. num. 8.
Quota litis prohibita eſt advocatis, deciſ. 156. num. 17.

R.

Radix qualis rami tales, dec. 48. num. 10.
Ratam habens percuſſionem Clerici eſt excommunicatus, dec. 96. num. 4.
Ratum habens damnum alicui illatum an teneatur ad reſtitutionem, ibid. num. 3.
Recuperatio fundi venditi quo pretio ſit facienda, dec. 72. num. 15.
Reddendum tantum in mutuo quantum fuit acceptum, dec. 27. num. 9.
Regiminis Oeconomici Curiæ Epiſcopalis Paduæ praxis, dec. 42. num. 15.
Regulæ tres obſervandæ in reſtitutione ob ſententiam juſtam, dec. 86. num. 19.
Relaxare ſpontè aliquam portionem crediti debitori pauperi, an expediat Monaſteriis, dec. 75. num. 11.
Religioſi de licentia ſuorum Superiorum poſſunt de livellis ſuis vitalitiis donationes facere, deciſ. 82. num. 5.
Religioſus non eſt, qui non refrænat linguam, deciſ. 119. num. 3.
Res uni promiſſa, & alteri tradita fit ejus cui traditur, deciſ. 47. num. 5.
Res per Uſuram ſoluta an tranſeat in dominium Uſurarii, ibid. num. 22. & 23.
Res empta cum aliena pecunia fit emptoris, dec. 48. num. 14.
Res ſterilis eam laboranti fructificat. ib. num. 15.
Res perit domino ejus, deciſ. 94. numer. 14.
Reſtitutio facienda ab Uſurariis, & ab his, quirem ab Uſurario acquiſierunt, dec. 47. nu. 9. & 24.
Reſtitutio quid ſit, Quotuplex, Quomodo, & quando facienda, dec. 79. per tot.

Restitutio quorum expensis sit faciendа, dec. 84. num. 3.
Circa illam sex casus attendendi, ibid. num. 8.
Restitutio an fieri sufficiat titulo donationis, dec. 92. num. 1. & seqq.
Restitutio an differri possit usque quò nascatur sententia, dec. 94. num. 2.
Restitutionis obligatio in quot, & quibus casibus cesset, dec. 106. à numer. 1. & seqq.
Restrictiones mentales non excusant à mendacio, dec. 144. num. 6.
Rethorica Ecclesiastica Cardinalis Valeri commendata, dec. 28. num. 2.
Item, dec. 132. num. 1.
Reverentia in Ecclesiis quibus argumentis suadenda, dec. 51. num. 1. & seqq.
Ritus Sacri à Rubricis præscripti omnino servandi, dec. 115. per totam.
S. Rodesindi miraculum, decis. 154. num. 27.
Rotæ Romanæ decisio circa bonam fidem excusantem Campsores ab usura, dec. 77. num. 6.
Rubricæ Missalis an omnes Præceptivæ, & quando obliget sub pœna peccati mortalis, aut venialis tantùm, dec. 115.

S.

Sacerdotes nihil plebejum habere debent, dec. 15. num. 16.
Sacramenta à Sacerdote malo an recipere liceat, dec. 56. num. 3.
Sacramentorum excellentia jugiter à Parochis prædicanda, dec. 116. num. 2.
Sacrilegium quid sit, Ejus species, & divisio, dec. 9. num. 1. & 2.
Sacrilegium an sit concupiscere fœminam, dum agitur res Sacra, ibid. num. 6.
Sacrilegium in loco Sacro committitur quinque modis, dec. 10. per totam.
Sacristias decet silentium, decis. 119. per totam.
Sanctificatio dierum festorum quibus argumentis sit plebi suadenda, decis. 14. num. 12.
Sapientia potentior est armis, dec. 51. num. 7.
Satellites in suo officio non fideles teneantur ad damnorum restitutionem, dec. 101. num. 6.
Scandala sunt evitanda etiam in rebus licitis, dec. 38. num. 15.
Scandalum activum est peccatum, dec. 56. num. 12.
Scholam facere, & pueros legere, ac scribere docere in Villis utillimum Parochis, decis. 123. per totam.
Scientia quæ requiratur in campsore, ne committat Usuram, dec. 77. num. 4.
Sclopi ne deferantur in Ecclesiis, aliavè arma tempore Missæ rationes decem, dec. 51. per totam.
Senecæ dictum ne litigetur, decis. 54. num. 18.
Sententia injusta quando liberet possessorem rei ab ejus restitutione? & quando non? decis. 86. à num. 8. & seqq.
Septuplum quid significet in Scriptura Sacra? Decis. 92. num. 7.
Servus non à se, sed à Domino vindicandus. Decis. 54. numer. 3.
Servus malus an lucretur Salarium? decis. 81. num. 2.
Signum pro cognoscenda Usura in mutuo, decis. 53. num. 3.
Silentium servandum in actionibus Sacris, & præcipuè in Choro, dec. 109. num. 13. & 16.
Similitudo infirmi cum livellario, dec. 71. n. 10.
Simonia quid, & quotuplex sit, Quibus in rebus committatur, dec. 22. per totam.
Simonia an sit vendere Agnos cereos benedictos, decis. 5. numer. 5.
Simonia an sit prohibita quia mala, An sit mala, quia est prohibita, Casus varii Simoniaci, decis. 23. per totam.
Simoniæ gravitas, & de octo pœnis contra committentes illam, dec. 24. per totam.
Simonia Usuraria dare Pecuniam Patrono beneficii pro nominatione ad illud, dec. 35.
Simulatio in contractibus undè cognoscatur, dec. 70. à num. 5. & seqq.
Sixti V. Bulla contra Usurarias Societates ob caput salvum animalium, dec. 30. num. 19.
Item decis. 49. num. 3.
Nec non dec. 50. num. 4. sed non damnat pacta, quæ à DD. censeantur licita, ib. num. 9.
Sobrietas in quo differat ab abstinentia, dec. 100. num. 6.
Societatis contractus an sit dare boves rustico cum lucro, dec. 30. num. 7.
Societatis natura quænam sit, dec. 49. num. 2.
Socius, qui vult utile, non autem periculum, injustè agit, dec. 30. num. 17.
An possit nolle sentire partem damni, dec. 49. num. 6.
Socius, quia sumit in se majus periculum, majus lucrum percipit, dec. 78. num. 9.
Spalatum civitas nobilissima, ibid. num. 1.
Spei definitio, Ejus encomia, Quæ peccata contra ipsam, dec. 4. num. 1. 2. & 3.
Spes in mutuante aliquid lucrandi an sit Usura, dec. 57. num. 13.
Sperellus, Episcopus Eugubinus laudatus, dec. 38. num. 9.
Spinulæ Nobilis Januensis egregium facinus, dec. 95. num. 11.
Spontè datum à mutuatario non est Usura, decis. 57. num. 12.
Statutum de interusuriis dotalibus solvendis valet, dec. 38. num. 12.
Statutum Patavinum de animalibus repertis damnificare campos, dec. 79. num. 10.
Struthio cur non educat partus suos, dec. 43 num. 3.
Stultus est, qui credit esse sapiens, decis. 46. num. 6.
Stultitia, & Amor inseparabiles, dec. 153. num. 64.
Suffragium datum in electione injusta an obliget ad restitutionem, Et an si dederit non sincerum: id est nec pro, nec contra, dec. 96. num. 8. & 9.
Item dec. 97. num. 4. & 5.
Superbia, quid sit, Quotuplex, Quot ejus filiæ, Quot mala pariat, Quibus remediis curetur, dec. 136. per totam.
Superiorum Ecclesiasticorum obligatio circa justitiam distributivam, decis. 85. numer. 13.
Superstitio quid, & quotuplex sit, Quando sit peccatum, Quibus remediis eliminanda, dec. 7. per totam.

Suppellex Sacra quibus diligentiis ſervanda ſit munda, ac nitida, dec. 12. num. 7.
Suſurratio peccatum graviſſimum, deciſ. 156. num. 28.

T.

TAbacchi origo, & inventio, Quot modis ſumatur, An proſit, vel officiat, Quando frangat jejunium, Ejus nocumenta, Quibus rationibus ab eo abſtinendum, dec. 15. à n. 5. usque in fine.
Tabernarum fuga quibus rationibus plebi ſuadenda, deciſ. 14. num. 13.
Talionis pœna quid ſit, & contra quos inflicta, dec. 156. num. 23.
Telemachi olla, Proverbium, Quid ſignificet, dec. 75. num. 5.
Temperantia Eccleſiaſticorum in cibo, & potu quibus mediis obtinenda, deciſ. 13. numer. 12.
Templi profanatores cur Chriſtus propriis manibus foras ejecit, dec. 51. num. 2.
Templum Judæorum cur fabricatum à Salomone, & non à David, ibid. num. 8.
Templorum reverentia, Eorum violatio quàm grave piaculum, ibid. num. 3. & 9.
Nec non dec. 151. per totam.
Tenuta camporum livellatorum pro penſionibus non ſolutis quomodo apprehendatur, dec. 73. num. 11.
Terminus ſolutionis intelligitur moraliter poſt ſpatium ad ſummum unius menſis, deciſ. 34. num. 24.
Teſtamento ordinare reſtitutionem an ſit ſatis, dec. 94. num. 1.
Teſtamenta, ut plurimum, ſine executione remanent, dec. 111. num. 16.
Teſtatoris intentio, magis quàm verba attendenda, dec. 74. num. 4. & 7.
Teſtator, quod faceret ſi viveret, etiam hæres facere poteſt, ibid. num. 6.
Teſtatoris verba improprianda, ut ejus mens impleatur, Ead. dec. 74. num. 9.
Theologi curioſus caſus iter agentis cum Oratore Veneto, dec. 154. num. 19.
Theſaurus ad quàm ſpectet inventus tam in fundo proprio, quàm in alieno, deciſ. 88. per totam.
Thomas Morus quomodo reprimebat iram, dec. 140. num. 9.
Thuribuli ſignificatio myſtica, deciſ. 113. num. 12.
Tiberius Imperator quomodo invenerit theſaurum, dec. 88. num. 4.
P. Tobias Lohner Soc. Jeſu cur non dedit monita pro Advocatis, dec. 99. num. 10.
Tolerantia Superiorum non facit Uſuram eſſe licitam, dec. 76. num. 21.
Tonſura Clericalis in quo conſiſtat, Deferenda ab Eccleſiaſticis ob tria motiva. Ea non deferre peccatum eſt mortale, Contraria conſuetudo non excuſat, quia eſt corruptela, dec. 109. à num. 1. & ſeqq.
Tornatura quid ſit, & quid ſignificet, deciſ. 73. num. 10.
Totilæ temerarium Judicium, deciſ. 154. numer. 11.
Traditione rei acquiritur dominium, ſi interveniat titulus juſtus, deciſ. 47. numer. 2. & 11.
Traditio rei donatæ parit actionem ad eam conſequendam, dec. 94. num. 11.
Tritico ex uſura acquiſito, deindè ſeminato, Meſſis eſt ſeminantis, dec. 48. num. 5.
Turcæ, ac Mahumetani diligentiſſimi in ſuarum mulierum cuſtodia, deciſ. 153. numer. 65.

V.

VAlor rei creſcit ejus domino. dec. 26. num. 11.
Quo tempore attendendus in mutuo, dec. 27. num. 4.
Valor rerum augetur monetæ valore, ibid. num. 14.
Veſtarii militis temerè judicantis ultio divina, dec. 154. num. 26.
Venditio rei eum pacto recuperandi melior eſt, quàm datio in pignus, dec. 45. num. 12.
Vendere rem pro valore futuro in tali menſe an licitum, dec. 57. num. 14.
Venditio fundi ut retrocedatur ad livellum, eſt vera venditio, dec. 70. num. 9.
Venditio fundi debet præcedere ſtipulationem livelli, dec. 73. num. 3.
Venditio fundi etſi non deſignati ex majori numero Camporum valet, ib. n. 4.
Venditor ob dilatam ſolutionem pretii an aliquid plus poſſit recipere, deciſ. 26. numer. 12.
Vel ſibi retinere fructus rei venditæ, dec. 30. n. 14. 15. & 16.
Item dec. 57. num. 5.
Venetum Dominium Sereniſſimum laudatum, dec. 89. num. 7.
Verba obſcæna ob rationes quatuordecim evitanda, dec. 1. num. 9.
Verbum Dei tenentur Parochi prædicare ſingulis feſtivis diebus, dec. 131. per tot.
Veriſimile quod eſt, attendi debet, deciſ. 27. num. 41.
Veritas venditionis fundi ubi eſt certa, ibi de validitate livelli non eſt dubitandum, deciſ. 73. num. 6.
Veritatem omnem aliquando non tenemur manifeſtare, dec. 144. num. 10.
Veritas in judicio an ſemper ſit à Reo manifeſtanda, ibid. num. 14. & 15.
Veſtis talaris à Clericis deferenda ſub pœna peccati mortalis, dec. 109. à num. 7.
Vexatione pro redimenda in beneficio quando liceat dare pecuniam, dec. 23. num. 2.
Vidua pro dote ſibi reſtituenda capit interuſuria, dec. 57. num. 15.
P. Vincentii Caraffæ Præpoſiti Generalis Soc. Jeſu notabile dictum circa neceſſitatem orationis, dec. 17. num. 10.
Aliud circa zelum animarum, dec. 121. nu. 7.
S. Vincentii Ferrerii Sororis lapſus, deciſ. 145. num. 7.
Vindicativa Juſtitia quomodo menſuranda, dec. 85. n. 15.
Virtutis definitio, Quid requiratur, ut opus ſit virtuoſum, dec. 80. per totam.

S. Vi-


S. Vitalii Abbatis mirabile, non imitabile factum, dec. 101. num. 5.
Item, dec. 154. num. 17.
Vitia contra justitiam quæ, & quot, decis. 85. num. 16.
Ulpho maritus S. Brigittæ defunctus petit suffragia Missarum, dec. 117. num. 6.
Item testatur fructum ex suis jejuniis in vita susceptis, dec. 130. num. 7.
Voluntas contrahentium non est aliena ab eorum verbis, dec. 42. num. 2.
Voluntas ejus, qui solvit Usuras, an dicatur libera, dec. 47. num. 3.
Usucapio, & Præscriptio non intrat, ubi bona prohibita sunt alienari, dec. 86. num. 23.
Usura quid sit, Quare sic dicta, Quotuplex sit, Quot, & quibus legibus sit prohibita, dec. 25. per totam.
Usura quomodo, & quando committatur, dec. 26.
Usura non est in 14. casibus, & si aliquid detur supra sortem, dec. 57. à num. 1. & seqq.
Usurarii manifesti quinam dicantur, & duodecim pœnæ à Jure inflictæ contra eosdem, dec. 29. per totam,
Usurarius si veniat ad pœnitentiam, quid agendum cum illo, ut possit absolvi, & salvari, dec. 31. per totam.
Usurarius an acquirat dominium rei per usuram acceptæ, Quantum invehendum sit à Prædicatoribus, & Parochis contra Usurariam pravitatem, dec. 47. per tot.
Usurarius an sit dominus fructuum, quos percipit ex re Usuraria, Et an teneatur ad eos restituendos, dec. 48. per totam.
Usurarios requirere, ut dent mutuum cum Usura an liceat, dec. 56. per totam.
Usurpantes bona Ecclesiastica quot, & quas pœnas incurrant, Quot modis fiat eorumdem usurpatio, dec. 15. à num. 1. & seqq.
Usus Universalis circa lucrum in negotiis facit ipsum licitum, decis. 78. num. 11.
Uxores retrahendæ à ludis, & aliis publicis conversationibus, decis. 146. num. 21.

Z.

ZElus gloriæ Dei, & salutis animarum necessarius est in Parochis, dec. 116. num. 4.

FINIS.




Th
914a